LAOCOON

SIVE

HERMESIUS ET PERRONIUS.

SCRIPSIT

DANIEL BERNHARDI.

LATINE CONVERSUS ET VARIIS ADDITAMENTIS AUCTUS.

BONNAE

PROSTAT APUD EDUARDUM WEBERUM.

MDCCCXLII.


THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARIES
CHICAGO, ILL.

Nihil igitur mirum, si, uti quibusdam exemplis supra ostendimus, huiusmodi iudicia (quibus hic ille, quia errorum auctor fuerit, damnatus est) iterum institui et retractari et mutari ecclesia patiatur. Immo cuicunque modeste curanti, ut auctorem quempiam damnatum ab erroribus purget, succensere ecclesia minime consuevit; quum suae esse pietatis ducat omnibus filiis suis quocunque tempore locum vindicandae innocentiae relinquere, dummodo scandala evitentur, et qui patroni munere funguntur, non sententias auctoribus tributas et ab ecclesia proscriptas tueri, sed auctores tantummodo ab erroribus, quibus inquinati credebantur, liberare contendant.

Muratorius de ingeniorum moderatione L. I, 19.

Bonam causam habemus et aequum iudicem, qui non cunctabitur evacuare quod subreptum est, cum apparebit quod verum est; nec poterit inde ridere, qui voluit irridere; sed ut scriptum est, *mentita est iniquitas sibi* (Ps. 26, 12.). *Hoc solet* habere praecipuum apostolica Sedes, ut non pigeat revocare quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.

Res plena aequitate et laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, praesertim apud sanctam et summam Sedem.

S. Bernardus Epistola ad Dominum Papam Innocentium. Epistol. CLXXX.

Sunt qui quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiae metu non audent dicere.

Cicero de officiis l. I *c.* 25.

Praefatio.

Ioannes Perronius, societati Iesu adscriptus et theologiae in collegio Romano professor, in Annalibus theologicis, qui Romae eduntur *de Luca* auctore, duas commentationes satis amplas de causa et doctrina *Hermesiana* quam vocant evulgandas curavit. Earum commentationum priorem Anonymus quidam in linguam Theodiscam convertit, eiusque libelli exempla in officina *Manziana* Ratisbonae titulo qui infra scriptus est prodierunt [1]).

Scriptio quam nos iam emittimus id propositum sequitur, ut argumentum illius libelli perlustret ac vero suo pretio aestimet. Speramus sane et optamus, ut iis quae diximus errores et falsae opiniones de causa, quam denuo pertractare aggressi sumus, disseminatae diluantur vel corrigantur, ut quid verum sit ea in re tandem intelligatur.

Hunc librum quod edidimus, nulla eius rei excusatione opus est. Quicunque testimonio suo verum profiteri potis est, iure id facere potest, ac saepe accidit ut officio ad testimonium dicendum compellatur.

---

1) Ad historiam *Hermesianismi* spectantia P. G. *Perronii*, soc. Ies. Ex Italicis. pars prior, Ratisbonae. Redemptor *Manz* 1839.

Neque hoc usu venire desinit, ubi veritas in uno tantum homine violatur. Nam verissima est Labruyerii sententia: *Un Innocent condamné est l'affaire des tous les honnêtes gens.* Qui aut timore aut spe, aut ignavia aut desidia prohiberi se patiatur, quominus in iudicium adducto alicui, qui sine noxa ut mortis condemnetur periculum subeat, testimonio suo opem ferat, is haud dubie ab omnibus condemnabitur: sed vir probus et iustus officium et honestum pluris ducit quam vitam, isque vel defuncto alicui bonam famam vita potiorem eripi haud patietur.

Erunt qui contra nos proferant, eiusmodi scriptis offensionem excitari, neque id mirum nobis videbitur. Idem quippe simili rerum conditione semper causati sunt. Sane offensio praebenda non est, sed offensio non ei vitio vertenda est, qui veritatis causam suscipit, qui innocentiam defendit, sed qui hanc impetu suo aggredi atque violare ausus est. *Si culpa est respondisse, quaeso ut patienter audias: multo maior est provocasse,* s. Hieronymus dicit. Sed non solum culpa est scandalum praebere, non licet etiam scandalum sumere. Et quis tandem offendi se patietur, si veritas causae cuiusdam et innocentia hominis cuiusdam defenditur? Scilicet is tantum qui, quod verum, quod rectum est, nullius pensi habet! *Si de veritate scandalum sumitur,* s. Augustinus dicit [1], *utilius permittitur nasci scandalum, quam ut veritas relinquatur.* Idem clarissimi viri ecclesiae Christianae et ante et post Augustinum professi sunt, veluti s.

---

1) S. Augustin. *de lib. arbitr.*

Cyprianus, Gregorius Magnus papa, s. Bernardus; immo pro norma haec propositio in *Corpus iuris Canonici* recepta est [1]). Hanc semper in ecclesia observaverunt. Gregorius Neocaesariensis, Dionysius Alexandrinus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Petrus Damiani, qui omnes nominibus suis Album sanctorum ornant, quique ab ecclesia imitandi et aemulandi quam maxime commendantur, hi omnes scandalum non refugerunt, sed criminationem heterodoxiae fortiter repulerunt! „Verumtamen expellenda est talium“ (qui ob ignorantiam scandalum sumunt) „stultitia per informationes idoneas. Qui si nolint acquiescere, ipsi iam sunt iudicandi de scandalo non dato sed accepto, hoc est de scandalo Pharisaeorum et ex malitia, non pusillorum, et ex simplicitate vel ignorantia“ [2]). Hoc Pharisaeorum scandalum Redemptor ipse haud refugit: si refugisset, mundus eius evangelio non illustratus esset.

Est ubi homo privatus testimonio conscientiae suae acquiescere et fidenter sperare possit, fore ut pater coelestis qui occulta videt praemium patientia meritum donet: sed qui publico loco constitutus est, qui aliis exemplum esse debet, is officium suum violat, si bonae famae sustinendae nullam curam adhibet, si quoscunque impetus in eam factos non repellit iis armis, quae honeste sumi exercerique possunt [3]). Ad iniustas criminationes a *Demetriano* proconsule adversus

---

1) *Propter scandalum evitandum veritas non est omittenda.*

2) *Iohannes Gerson.*

3) S. Thom. Aq. quaest. 3 de corrept. frat. art. II, 2 q. 72 art. 2.

Christianos motas s. *Cyprianus* respondit, „ne, dum taceret, non verecundiae sed diffidentiae causa tacere videretur". „Nolo in suspicione haereseos quemquam esse patientem", scribit s. Hieronymus [1]), „ne apud eos, qui ignorant innocentiam eius, dissimulatio conscientia iudicetur, si taceat." Alio autem loco idem vir sanctus, quem nemo unquam impune lacessivit, etiam fortius hac de re loquitur, dum impietatis esse declarat, *si quis criminationem haereseos patienter ferat*.

Defensio eius viri, in quem criminationum Perronianarum moles tanquam in centrum dirigitur, in dies gravior evadit, iamque ita se res habet, ut non unius vel paucorum hominum causa agatur. Nam qui in Germania doctrinam catholicam, quae omnibus saeculis tradita et exposita est, docendo profitetur, qui in hac terra iis placitis haud assentitur, quae falso catholica haberi se volunt, quae ipsa Romae reprobantur et pro absurdis declarantur, is nomine Hermesianismi apposito et nefariis suspicionibus et impudentibus conviciis petitur oneraturque; quaecunque in litteris catholicis bona sunt et egregia et solidae doctrinae plena, ea hoc praetextu pedibus conculcantur. Recenti memoria tenemus, quid *Ludovico Antonio Muratorio*, qui in numerum luminum splendidissimorum quibus et litterae et ecclesia catholica collustratae sunt referendus est, in urbe Coloniensi acciderit [2]), ac nuper

1) Epist. 61.

2) Muratorius scilicet acerrimus ecclesiae catholicae hostis vocatus, egregius eius liber *qui est de ingeniorum moderatione* inter „*pestiferos*" relatus et ab archiepiscopo prohibitus est.

admodum vidimus, quam nefarie tentatum sit, iuvenculorum quorundam machinationibus Hermesianismum perfide praetendentium, ut *Nadermanni* Monasteriensis „*Sacrificium coram Deo*", quo libro tot milia hominum catholicorum animum mentemque ad coelestia converterant, qui liber per viginti quatuor annos ipsius archiepiscopi Coloniensis, *Clementis Augusti liberi baronis de Droste*, approbationem illacessitam tulit, in contemptum et heterodoxiae suspicionem adduceretur!

> „*Veteres causae Hermesianae inimici ex damnatione deducere student quae nullo modo in ea inesse possunt. An damnatione librorum Hermesii approbari putemus absurdam istorum opinionem, qua statuunt, exsistentiam Dei rationis ope demonstrari non posse, ac si ratio eam demonstrare aggrediatur, ab hac idolum sibi demonstrari; homini inesse conscientiam Dei non mediatam, id quod professor Kleeius et alii asserunt. De eiusmodi placitis hic loci iure ridetur, neque eiusmodi placita hic approbata sunt. Scripta Hermesiana permissione praepositorum, ut libet, legere hic mihi licet.*"

Haec studiosus theologiae Theodiscus d. 7 Ianuarii a. 1840 ex Collegio Germanico, quod Romae est, scripsit! In Germania tale quid scribere minime ipsi liceret, ac si scriberet, actum esset de ipsius fama et vitae tranquillitate. Nam ea ipsa placita quae absurda Romae videntur, per Germaniam omnibus locis celebrantur et praedicantur, quique fidem eis denegat, eum con-

tinuo mille voces anathema proclamantium circumstrepunt!

Ut ruina systematis Hermesiani eo certius efficeretur, id saluti civitatum inimicum esse iactaverunt. Sed propediem hominibus ostendemus, falsum hoc esse quam maxime, immo in civitate, per quam placita Hermesiana valeant, violentam omnium rerum immutationem accidere nunquam posse.

Titulus quem huic libro inscripsimus ab eruditis lectoribus sponte intelligetur. Id unum monebimus, non Virgilii poetae Laocoonta, sed insigne illud artis plasticae monumentum, a Winckelmanno descriptum et a Lessingio aestimatum et explicatum, ante animum nobis versatum esse.

Ad versionem Latinam praemonenda.

Liber qui iam Latine conversus exit, ab initio Theodisce scriptus et in Germania multis laudibus exceptus atque commendatus est. Sed causa quae in eo agitur, quum ita comparata sit, ut non solum Theodiscorum sed etiam aliorum hominum referat statum et conditionem accuratius cognoscere, desiderium huius libri non intra Germaniae fines se continuit. Sed quo-

niam et multis aliis, et iis ad quos haec res maxime pertinere videtur lingua impedimento fuit, haec, quae primo Theodisce exposita sunt, iam communi doctorum hominum sermone enarrata prodeunt.

Quemadmodum libri auctori visum est nulla excusatione opus esse quod liber foris daretur, ita Latine quod verterentur quae Theodisce erant proscripta, non solum nulla excusatione opus esse, sed idem a temporum conditione exposci videbatur. Nam mala de quibus dixit in dies maiores vires assumunt, in dies latius serpunt. Doctrina catholica per nefarias artes extirpatur, quisquis hanc doctrinam docet atque defendit a falsis fratribus, rebus turpissimis splendida nomina praetendentibus, lacessitur omnique vexationum genere petitur. Romanorum aures falsissimis et iniuriosissimis relationibus et delationibus obtunduntur, qui domi detestati sunt malis artibus foris clarescere student. Errores[1]) turpissimi, neglecta omni auctoritate divina atque humana, non iam in circulis, in conventiculis, sed palam, in omnium oculis, in foro, in ecclesiis ipsis praedicantur. Auctoritatem summi pontificis *affectatà diligentia* praetendunt, ut liceat iis praecepta ecclesiastica perfringere et impune sequi, quo invidia, quo avaritia, quo vitiositate rapiuntur. Prodierunt proximis hisce diebus *litterae encyclicae*, quae ab ipso qui nunc toti dioecesi Trevirensi praeest, ab Episcopo in Partibus, *Wilhelmo Günther*, ad clerum Trevirensem datae sunt. Difficile non est augurari quo res in hac dioe-

1) Proditurus est brevi tempore liber, *Athanasius* inscriptus, in quo pericula et damna doctrinae catholicae in Germania Latine exposita sunt.

cesi pervenerint, cum adeo is, qui rara animi lenitate et tolerantia conspicuus est, his nefariis ausis tandem obeundum esse sui officii duxerit. Huius igitur rei documentum quod sequitur huc transscribendum curavimus, tum ut intelligant exteri nos nihil sine causa dixisse, tum ut ab hac una dioecesi reliquas cognoscant.

„Quae et quam varia et quam parum iucunda ex nostri episcopatus finibus apud exteros in actis diurnis tum politicis tum ecclesiasticis per aliquot iam annos relata sint, sacerdotum in dioecesi nostra reverendissimorum corpus latere minime potuit. Quicunque ecclesiae bene cupit, vehementer doleat oportet, quum viros probos saepe sine ulla causa in suspicionem adduci, res in facto positas detorqueri vel in pravam partem accipi videt, alia parum apta quae publice pertractentur inclementer evulgari, res nullius momenti importune premi, singula quaedam adversus disciplinam ecclesiasticam commissa, quibus ecclesiae praepositi iam prospexerant, temere in totius Germaniae notitiam protrahi. Ita fit ut alterna fiducia, communia ac fraterna studia corrumpantur, discordiae semen dispergatur, ira et furor factiosus excitetur nutriaturque. Atque haec accidunt ea tempestate, qua si unquam necessario requiri videtur, ut sacerdotes caritate et concordia coniuncti agant omnique virium contentione ad meliorem causam obtinendam incumbant!

„Haec studia perniciosa diutius ut taciti toleremus, non licet: immo pro magistratu nobis commisso omnes, ad quos ea res pertinet, monemus, ut omittant

criminationes et diffamationes, quibus nihil efficitur nisi ut caritas violetur et veritas tenebris involvatur. Eosdem reputare secum iubemus, quanta culpa suam conscientiam obstringant, quam contemnendi apud fratres suos compareant, et quam apertum latus externis ipsi praebeamus, si hac via in nos ipsos invadere nosque ipsos lacerare animum inducimus. Voce magni illius Apostoli omnes rogamus atque obsecramus in Domino: *Idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quae aliorum.* Ad Philipp. 2.

Treviris d. 23 m. Sept. 1841.

Vicariatus generalis capitularis.
Günther."

Quod ad versionem ipsam attinet, non pauca quae ad rem pertinere videbantur addita sunt, quaedam accuratius proposita. Auctor *Laocoontis*, quum librum suum componeret, non Perronii dissertationem *Italice* scriptam, sed interpretationem Theodiscam et in paginis allegandis et in ceteris respexit. Translatione Latina hac absoluta, Perronii dissertatio in manus interpretis Latini venit Quantum fieri potuit, Perronii verba cum iis quae interpres Theodiscus dedit collata sunt. Semel tantum accidisse videtur, ut Perronio vitio verteretur quod interpretis sui culpa commissum est. Pertinet hoc ad locum p. 188, quo interpres verba illa Perronii: *il criterio della ragione teoretica e della ragione pratica*: *die Unterscheidung der theoreti-*

schen und praktischen Vernunft, repetita vice reddidit. Iam haec versio interpretis Theodisci recte se habet, aut non habet. Si recte se habet, omnia valent quae contra Perronium disputata sunt. Sin prava est et falsa, et vox illa Italica „*criterio*" potius transferenda est *criterium*, id est *formula* qua de veritate aut falsitate rei cuiusdam iudicatur, tum dicta quidem non valent, attamen etiam sic Perronius locum scripsit omnium ineptissimum. Potestatem igitur atque optionem Perronio facio, ut eligat interpretationem utram velit. Si praeoptaverit interpretem male vertisse, tum novo et illustri exemplo Perronius discere poterit, quae monstra saepe prodeant, si, qui ipsius est mos, interpretes sequamur. Nam idem ille interpres et Theodiscus natus est, et non modo non infestus est Perronio sed ei egregie favet, usque adeo ut, ne Perronius ineptissimam sententiam scripsisse videretur, consulto locum illum ita quemadmodum vidimus conversum esse, gravis sit suspicio.

Tu, lector humanissime, vale et veritatis causae fave, quae *id unum gestit ne ignorata damnetur* [1].

---

1) Tertullianus in Apologetico.

Index.

Quid spectare debeat censor, arti criticae convenienter de aliis sententiam laturus. — Voluntatis ac morum integritatem in Hermesio etiam acerrimi eius adversarii agnoverunt.

Quicunque philosophicum aliquod systema via ac ratione, id est arti convenienter aestimandum suscipit, is ante omnia eius principia ad leges, menti humanae ingeneratas easque immutabiles, expendere atque ex his legibus, utrum stare principia possint necne, evincere debet. Deinde inquiret, utrum singulae quaeque cogitationes hoc systemate expromptae, ad unam omnes, ad principia illa revocari possint necne. Pariter ille, qui positivam aliquam doctrinam, ab alio libris expositam, examini subiicere adgreditur, et ipsa principia id est fontes explorare debet, unde is, de quo iudicaturus est, sua hauserit, debet quaerere, qua ratione hauserit, et circumspicere, num singula ex illis fontibus ducta eo ordine posita sint, ut suo ac proprio quidque loco pertractetur, numque ea omnia, quae ex his fontibus ad argumenti propositi explicationem peti possunt, revera inde petita sint. Praeterea oportet eum, qui arti consentaneum aestimatorem se praebere volet, id tantum opus vel ea tantum opera considerare, quibus systema examinandum proponitur. Id vel eam ob causam necessarium est, ut ne mentis oculi, dum in aliena excurrunt, propositum systema minus acriter inspiciant atque cognoscant. Nihil, nisi quod in ipso libro dictum, ad iudicium censoris informandum valere, nihil ab eo pronuntiari debet, nisi quod ab ipso auctore prolatum esse, libro in promptu habito, probari possit. Sed prae ceteris nulla personae ratio censori habenda est, ira et studium procul amovenda sunt. Quaecunque novit de persona eius, de quo iudicat, haec novit, qua homo est; qua censor, systematis personam omnino ignorat; nam de systemate iudicat, non de auctore.

Quodsi censor quae aliunde rescivit, iis iudicium suum inflecti patitur, eo ipso prodit, se non idoneum esse exsequendo negotio, quod, sive proprio Marte sive aliunde invitatus, in se suscepit. Kantii vel Fichtii systema stare posse aut non posse, id nunquam quisquam affirmavit, nunquam quisquam aliis persuadere aggressus est, nisi argumentis ex ipso systemate petitis, ita, ut placita illorum philosophorum ad leges menti humanae ingeneratas easque immutabiles expenderet. Nemo unus ad mores horum philosophorum provocavit, quo placita eorum sive probaret sive repudiaret. Raphael Urbinas si mira pulchritudine Innocentiam pinxit, nemo tamen adhuc vitae ab eo gestae rationem, quamvis a virginali integritate multum discessisset, in medium protulit, ut hac norma, quo pretio illius artificia habenda sint, diiudicare posset. Etiam Hermesii systema philosophicum per se ipsum aut stare aut cadere necesse est: personae conditio nihil valere potest ad illud vel labefactandum vel sustentandum. Accidit huic systemati philosophico idem quod omnibus adhuc accidere consuevit. Non contigit ei, ut *omnium* hominum approbationem sibi conciliaret. Eodem in solo, ubi in lucem prodiit, nactum est etiam adversarios suos. Pauci quidem in his fuerunt, qui *non* egrederentur ultra iusta moderationis et sincerae veritatis terminos. Sed nemo tamen in omnibus his adversariis fuit, qui etiam personam, vitam et mores Hermesii invaderet. Qua quidem in re utrum interiore quodam recti atque decori sensu ducti fuerint, an prudentia quadam, quippe intelligentes, fore ut omnis impetus ab hac parte retundatur, id quaerere nunc nobis non est propositum. Satis est animadvertere, etiam acerrimos Hermesii adversarios non potuisse, quin personam eius iuste pensarent vitaeque integritatem in eo agnoscerent. Ipse Windischmannus hoc palam negare ausus non est, immo anno 1826 impetrare a se non potuit, quominus publice profiteretur:

„omnino sese agnoscere, Hermesium Professorem sincero animo id operam dare, ut veritas erueretur et dogma catholicum integrum servaretur“ [1]).

---

1) v. Diurna quae inscribuntur, „der Katholik“, fasc. mens. Octobr. a. 1826. Additam. IV.

Quinque annis post in dissertatione, quae impressa est in iisdem diurnis quaeque doctrinam Hermesii in heterodoxiae suspicionem adducere sibi propositum habuit, iterum haec verba legimus:

> „Hermesium sincera erga veritatem catholicam voluntate affectum fuisse“ [1]).

Franciscus Geiger, Canonicus Lucernensis, vir meritissimus, quanquam nonnullas de doctrina Hermesii dubitationes proferebat, tamen eius studiis et moribus iustum iudicem se praebuit. Quippe scribit:

> „Hermesius nostra memoria subtili rerum theologicarum perscrutatione in primis conspicuus, idemque omnino sincerus et pius Christianus ac presbyter. — — — Rediit in mentem illustrissimus ille Origenes, et multa in eo reperi, in quibus Hermesius illi similis est. Origenes sine dubio omnes sui temporis homines subtilitate cogitandi superavit, sed idem vir egregia pietate excelluit, et toto pectore Christum amplexus erat“ [2]).

Num quis altiori loco ponere potest personam Hermesii, quam hoc testimonio factum est?

Liber ille, qui *ruber* vulgo appellatur (Symbolae ad Historiam eccles. saeculi XIX.) ut rem in facto positam et omnibus notam memorat,

> „Hermesium in suis praelectionibus (pro ecclesia catholica tuenda) semper animo valde intrepido locutum esse“ [3]).

Atque his ipsis diebus, posteaquam omnia illa iniqua de Hermesio omnium hominum oculis exposita, emerserunt his ipsis, inquam, diebus *Berlagius*, professor Monasteriensis, scribit, et scribit in libro, quo Hermesii doctrinam impugnare et in heterodoxiae crimen adducere non dubitat:

> „Sese esse, qui grato animo et cum veneratione Hermesium semper prosecutus semperque prosecuturus sit — se esse, qui talem erga Hermesium aestimationem sem-

---

1) ibid. 1831. fascicul. 10. pag. 102.

2) Benkerti Diurna, quibus titulus „Religions- und Kirchenfreund“. fasc. Iunii mensis a. 1832.

3) p. 32.

per in pectore suo conservaturus sit, quique hanc aestimationem omnino postulet, quali oporteat unumquemque hominem frui, qui certum vitae finem sibi proposuerit, et ad eum consequendum suis viribus strenue constanterque utatur" [1]).

Alius vir doctus qui placitis Bolzani addictus nuper edito peculiari libro adversus systema Hermesii pugnam ingressus est, testatur:

„Hermesium ut virum integerrimum optima fama apud aequales suos viguisse" [2]).

Ipse Görresius in Athanasio suo, qui quidem liber de causa Hermesiana fere tot falsa, tot mendacia, quot versus, continet, ita dicit:

„Nemo discipulos Hermesii prohibeat, quominus memoriam praeceptoris, multis nominibus honestam, pie venerentur" [3]).

Nolumus hic praetermittere aliud testimonium, quod magnopere declarat, quanta aestimatione Hermesius usque ad extremum vitae suae spatium frueretur. Decem annis ante quam mortuus est reliquerat Academiam Monasteriensem. Nihilominus haec solennia funebria agebat, et ea quidem ratione, quae et ipsi honorifica erat, et defuncti, qui pristinum Academiae decus appellabatur, nomen ornabat. Atque haec solennia tum in aula academiae, tum in ecclesia agebantur. Quum ad memoriam Hermesii in aula celebrandam Rector Senatusque publicis litteris invitassent, Brockmannus, Capituli Canonicus, insigni oratione merita virtutesque defuncti enarravit. In ecclesia autem Decanus Capituli, Katerkampius missam solennem habuit, assistentibus ei Professoribus Kellermanno et Reinkio. Quaerimus igitur, num Katerkampio Capituli Decano, eidemque Archiepiscopi Coloniensis de Droste educatori et perpetuo amico, num Kellermanno, quem sedi Romanae vel inprimis addictum esse nemo ignorat, num Reinkio, quem nuper etiam annales scientiarum religiosarum in Urbe Roma editi magnis laudibus extulerunt, num his omnibus viris solennia

1) Introductio in Dogmaticam Christiano-Cathol. 1839. p. VIII et XII.

2) Examen philosophiae beati Hermesii, susceptum a fautore placitorum Bolzani. Sulzbachii 1850. conf. censuram huius libri in Diurnis Bonnensibus. fasc. 34.

3) pag. 152.

illa ecclesiastica celebrare, immo etiam instituere et parare placuisset, si Hermesius ullo modo fuisset heterodoxiae suspectus ac non potius insignem orthodoxiae famam habuisset? Voluit Academia Monasteriensis publico testimonio declarare illum venerationis affectum, quo omnes Hermesium prosequuti erant, idque quum honorifice fecit, tum a nemine eam ob causam vituperata est, sed omnium potius approbationem tulit.

Quid Perronius sibi tractandum sumserit, — quam agendi rationem sequatur, — quem finem proprie ante oculos habeat.

Perronius Acta Hermesiana, h. e. doctrinam ab Hermesio traditam, ad examen revocare instituit. Ea in re non alienum illi visum est, nonnulla de vita et persona Hermesii praemittere paucisque ostendere, quo modo et ante damnationem librorum Hermesii et post Hermesiani se gesserint. Iam qui Perronii morem ex ceteris eius scriptis cognovit, hunc ipsum autem libellum vel obiter perlustravit et perspexit, quam consulto omnia tractentur et computentur, is de fine Perronio proposito dubius haerere non poterit: scilicet praevia rerum illarum narratione illud efficere voluit, ut lectores de examine postea ab ipso instituendo melius iudicare possent, h. e. ut animi legentium adversus ea, quaecunque ab Hermesio essent, occuparentur et iudicium eorum corrumperetur. Idcirco omnia fere silentio praetermittuntur, quibus Hermesii mores illustres comparere possint, idcirco res planissimae ex vita eius repetitae deformantur, corrumpuntur et in falsum conspectum detorquentur. Quoscunque fines Hermesius ullo tempore sequutus est, nunquam non ex Perronii iudicio pravi fuerunt, ut summa haec proficiscatur: Hermesium fuisse hominem nequam, fuisse simulatorem, qui sub auspiciis imperii Borussici hoc studiis suis et opera efficere voluerit, ut religio catholica, quantum in eo esset, exstirparetur.

Eo tendit auctor huius libri, artibus usus, quas iam ex tenebris suis protrahere et in lucem collocare instituemus.

Quemadmodum umbris lumen ipsum illustrius fit, quemad-

modum nox diei pulchritudinem declarat, quemadmodum mendaciis veritatis fulgor magis magisque augetur, sic Perronius vel invitus iuvare veritatem et ad vindicandum honorem eius, cui ipse maledixit, opem suam conferre debebit.

Quid sequi debeat qui vitam alicuius narrat. — Perronius hoc ignorat. — Idem simulat sibi esse comperta, quae non sunt. — Suo ipsius commodo providere nescit.

Qui vitam alicuius narrare aggreditur, ostendere debet, quomodo virtus habitans in singulari quodam homine tanquam principium movens, ratione rerum externarum habita et acceptis hinc inde stimulis, sese exseruerit, quomodo illud, quod flecti et formari potest, certam formam acceperit, quomodo ingenii animique vires ipsis etiam actionibus, studiis, operibus sese praestiterint. Propterea opus est, ut vitam scripturus ante omnia sciscitetur, quantum momenti in rerum externarum conditione fuerit ad mentem moresque eius informandos, cuius vita scribenda est; propterea continuam oportet temporis, patriae, populi rationem haberi. Fieri non potest, ut id, quod proprium singularis cuiusdam hominis est, rite cognoscatur atque aestimetur, nisi ad totius populi vitam, ad totius aetatis, ingenium respicias, fieri omnino non potest, ut singulare quid satis perspiciatur, nisi generis sive universi lumen accedat. Inest in homine a natura stimulus, quo agitatur ut scire cupiat non modo *quid* sit, sed etiam *quo modo* factum sit. Itaque vitam scripturus ut intelligat, *quo modo* singularis quidam homo factus sit is, qualis est, ad maiores eius et magistros regreditur, ut tum physici, id est corporei status conditiones, tum mentis culturae initia rationesque inde repetat.

Haec omnia Perronius ne suspicari quidem videtur, et vix unquam inter homines extitit, qui vitam narraturus tam parum paratus ad negotium suum accesserit, quam Perronius. Vitam, mores, doctrinam, ipsam etiam linguam Germanorum plane ignorat; immo tam incertus et vagus errat, ut ne terram quidem cognitam habeat, in qua Hermesius in lucem editus est! At quomodo, ita quaerere nonnullos audio, Perronium res a se conscri-

ptas non accurate comperisse dicamus, cum nomina virorum recenseat, quorum praelectiones in universitate Monasteriensi Hermesius frequentarit, et nomina quidem per ipsam Germaniam fere ignota! Cuinam enim ex Theodiscis, nisi is forte Monasterii aut vivit aut vixit, haec nomina cognita sunt, Kremering, Baltzer, Forkenbeck, Schnoesenberg, Büntgens, Albers, Goecken?

Ne quis hac falsa specie in errorem se duci patiatur! Paulo post videbimus, qui fontes sint, unde hauserit Perronius, simulque ostendemus, quomodo se habeat id, quod interpres Theodiscus libelli Perroniani confidenter affirmat, summa cum diligentia causam Hermesianam Romae exploratam esse. Sed quem tandem in finem Perronius illa nomina enumeravit? Scilicet ut videretur esse quam accuratissime instructus. In ipsa enim Germania nomina illa tam nude posita, ut posuit Perronius, nihil sunt nisi soni inanes, et prorsus inutiles lectoribus. At multo etiam magis inanes sunt Italis, quibus librum suum Perronius prae ceteris destinavit, ut saltem non parum inurbane fecisse videatur, qui aures et linguam popularium suorum nominibus adeo barbaris et ad pronuntiandum difficillimis sine ulla causa fatigarit. Perronius si revera talis esset, qualis videri vult, si revera cognitam haberet viam ac rationem, qua Hermesius litteris artibusque informatus fuerit: in Hermesii magistris non tam obiter nominasset Ueberwasserum, immo ostensurus fuisset, quam vim praestans ille psychologus ad ingenium Hermesii excolendum, ad doctrinae progressionem in eo dirigendam exercuerit; demonstraturus fuisset, in huius viri praelectionibus semina eius systematis dispersa iacuisse, quod Hermesius percoluit et perfecit.

Perronius si is esset, quem videri se cupit, si res tractandas probe cognitas haberet, alius viri egregii mentionem omittere non debuit, qui et praestantia ingenii et constantia voluntatis ad mentem Hermesii excolendam non minus valuit; dicimus autem liberum baronem de Fürstenberg, magnum illum per terram Monasteriensem rerum publicarum moderatorem. Hoc si fecisset Perronius, et artem aliquam ipsaque illa, quae in promptu habere solet, adminicula adhibuisset, potuit etiam triumphum quodammodo de Hermesio referre, potuit ei inventionem systematis propositi abiudicare.

Veritatis studium in Hermesio. — Unde originem traxerint eius dubitationes: — Perronii astutia. — Quid de Hermesii dubitationibus statuendum.

Inveniuntur qui vitam transigant non quaerentes, unde orti et quo venturi sint. Pauci quidem numero videntur, nec sane eo fruuntur ingenii cultu, cui invideas. Alii quaestionem, quid fuerit et futurum sit de nobis, detrectant et conscientiae vocem vitae iucunditatibus et strepitu nituntur comprimere. Attamen non omnes id plane efficere possunt; nam qui meliori quadam natura praediti sunt ex iis, neque adhuc in summam levitatem inciderunt, hi quidem ad quaestiones interiore voce propositas responsionem aliquam circumspiciunt, neque antea quam invenerint, acquiescunt. Verum enimvero sunt etiam homines aliter comparati, quibus minime sufficit, tali modo sedare animum, quorum ingenio ardens studium innatum est, quamcunque veritatem usque ad extremum fontem persequendi, qui non quiescunt, donec ad hunc fontem descenderint, qui omnes vitae iucunditates negligunt, fructus mittunt, irritamenta voluptatis superant, sed illam veritatis sitim, illud certae persuasionis acquirendae studium missum facere nullo modo possunt. Ex hoc numero Hermesius fuit. Talis erat in eo indoles, quae necessario eum ad investigandum et perscrutandum adduceret. „Id age, quantocunque demum pretio constet, ut veritatem cognoscas, ut de veritate tibi persuasum sit", ita interior vox in Hermesio loquebatur. Atque haec indoles, ad veri investigationem compellens, in Hermesio exculta erat per Mathesin, quae quidem ars a levitate in rebus tractandis, a meris opinionibus, a fanaticis phantasiae somniis vel maxime homines arcere solet. Eadem illa indoles adiumentum acceperat ex psychologiae empiricae studio, quo se ipsum penitus noscere didicerat; provecta erat Fuerstenbergii opera, severissime praecipientis, ut omnes artes et disciplinae non levi brachio, sed solide accommodateque ad peritiorem rerum scientiam adipiscendam tractarentur. Iam vero Hermesium pro indole ipsi innata non potuerunt non vehementer movere res ea aetate gestae, dubitandi libido, fidei defectus, sy-

stemata philosophorum saeculi duodevicesimi, quibus probatum erat, nullam esse revelationem, certe nullam eius persuasionem firmam ab homine comparari posse. Numquid mirum videri potest, si dubitationes etiam Hermesii mentem occuparent? Num mirum, si haec illa argumenta, quibus has illas veritates demonstrare solebant, vacillare ei viderentur, quum intelligeret, quanta ingeniorum vis eadem illa argumenta labefactare studeret, quum intelligeret, multos aequalium eadem pro nihilo habere. Fecit igitur, quod e ratio a deo data postulavit, fecit quod eodem rerum statu integerrimus quisque faciet et facere debet: id operam dedit, ut iniectas dubitationes solveret, atque hoc modo ad *inquirendum* adductus est.

Quid iam Perronius? omissa commemoratione rerum conditionis, unde hae dubitationes exortae erant, omissis iis omnibus, quae faciant ad rem rite diiudicandam, Perronius talem narrationem contexit, ut Hermesii Χαρακτήρ in deterius conversus appareat. Si hoc licet, res gestas extra connexum suum referre, quivis vel integerrimus homo turpis procedere potest. Sed hoc ipso artificio Perronius utitur, quotiens res gestas non omnino corrumpit.

Rem narrandam a ceteris rebus omnibus, quibuscum connexa est, divellit, nudam ponit, ac nihil admonens ad alias festinat. Post demum, cum narratio facti lectorem iam occupavit, post demum quo tendat proponit, et admonitionem suam cum facto ante tradito iungit, quo perficit, ut id non recte intelligatur, iudicium legentis a recta via seducatur, denique veritas corrumpatur. Eiusmodi illud est, quod p. 10 scribit:

> „Quum primum theologiae studium attigisset Hermesius, variae in eius mente dubitationes obortae sunt de Deo, de revelatione, de vita aeterna".

Quibus traditis statim ad alia pergit, ac post demum adiungit:

> „quum ita animo affectus esset, autumno a. 1798 professoris in gymnasio Monasteriensi munus accepit".

dein rursus post haec omnia demum legimus, „Hermesium sacerdotem consecratum esse", ne verbo quidem de Hermesii dubitationibus adiecto. Iam lector Perronium ducem secutus statim ab initio Hermesium intuetur tanquam eum, qui, quamvis de Dei exsistentia, de vita aeterna dubitet, tamen iuventutem praeceptis

instruere, tamen consecrationem sacerdotalem accipere audeat! Num citius atque callidius existimatio indolis cuiusdam hominis everti potest, quam in hac re a Perronio factum est? Sed haec interim mittamus, et quid valeant dubitationes Hermesii explicemus.

Sane verum est, Hermesii in praefatione Introductionis philosophicae hoc professum esse, sese dubitavisse. Numquam magis in deterius tracta est hominis alicuius professio, numquam tanta criminum moles ob eam rem mota est, quam ob haec verba usu venisse vidimus. Ubique hanc criminationem in limine collocatam videmus ab omnibus, qui Hermesium impugnare, qui de eo triumphum reportare et suam ipsorum orthodoxiam vindicare conantur. Est igitur quod quaeramus, in quo tandem positum sit crimen istud immane? Ut iuste ad hanc quaestionem respondeamus, ante definiendum est, quid sit dubitare, et num dubitatio ubique in reprehensionem incurrat; num crimen sit, quod neque in hac vita neque post mortem condonari possit?

Ubicunque argumenta, cur aliquid verum habeamus, non satis firma videntur, aut ubi argumenta contraria comparent, *dubitamus*. Accidit verbi causa, ut instituta consideratione in res quasdam incidamus, quae cum facto a nobis credito pugnare videantur; id ubi fit, persuasio nostra labare incipit. Assensus, si nondum adhibitus est, cohibetur; inter duo iudicia diversa incerti haeremus, et quamdiu is status manet, de re quadam certi quiddam pronuntiare non possumus. Iam si exposita vi ac natura dubitationis ad eius originem spectamus, ab hac parte duplex est, 1) non voluntaria aut 2) voluntaria. Inde sponte consequitur, non omnem dubitationem reprehensione dignam esse: nam dubitatio non voluntaria poenam certe non meretur. Sed voluntaria dubitatio num in reprehensionem incurrit? Eum ratione iudice poena dignum esse, qui consulto dubitationes hunc in finem anquirat, ut certitudinem suam de quibusdam veritatibus ipsi molestis labefactet, ut has veritates ex rerum credendarum numero excludat, id in aperto est. Sed qui nullo eiusmodi improbo consilio ad quaerendum accedit, qui sine eiusmodi consilio dubitat; qui factum quoddam propterea examinare instituit, ut fidem suam confirmet; qui ita est animo affectus, ut

veritatem, ubicunque eam invenerit, libenter amplecti velit, quique non nisi verum anquirit, etiamsi sensibus suis ingratum fuerit, is ut poena dignus ratione iudice videatur tantum abest, ut ratio dubitationem eius concedat, immo etiam approbet et bene se habere pronuntiet. Ponamus igitur dubitavisse Hermesium ita, ut Perronius tradidit, num propter hanc unam causam reprehensione dignus videbitur? Num talem unquam animum Hermesius prodidit, ut suspicari possimus, aliud in perscrutando illum spectavisse quam veritatem? Num levis dubitationibus suis acquievit eoque prodidit, sese nihil pensi habere, quid verum sit aut non sit? Num trepidus vultum a veritate avertit vel eandem sibi unquam dissimulavit? Et scripta eius opera et vita plane contrarium clamant. *Dubitare coeperat* Hermesius, sive hoc sive alio modo dubitationes in ipsius animum irrepserant. Iam quid debuit facere, nisi id quod re vera fecit? Num fortasse abiicere debuit fidem Dei, fidem Christi, ut in ara Rationis sacra offerret, et eius quidem Rationis, quae vere ac proprie erat prostibula (prostitué), quemadmodum adversus Bautaenium nuper episcopus Argentoratensis monuit? At ille *dubitabat* tantummodo, minime vero persuasum ipsi erat, *non* esse Deum, *non* esse vitam aeternam, *non* esse revelationem. Ita affectus animo, si illa dogmata reprobasset, officium suum omnino violasset: nam negasset id, quod an negandum esset, certo non sciebat. Sed ille hoc animi habitu fecit quod ratio praescribit, quod religiosi homines omnes quibus dubitationes oboriuntur, ante fecerunt et post facient, *inquirebat*. „Qui dubitat, inquirere debet“ [1]), ita praecipit pater Rozavenius, qui nunc etiam in urbe Roma vivit et in eodem Ordine vitam agit, cui etiam Perronius adscriptus est. Cur igitur Hermesius in suspicionem adducitur, cur ei tanto vitio vertitur, quod idem fecit, quod pater Rozavenius in hac re faciendum esse praecipit?

Redemptor noster Iudaeos de missione sua dubitantes ad Scripturam ablegat. „Scrutamini scripturas“, inquit; „et illae sunt

---

1) Celui qui doute peut et doit examiner pour dissiper son incertitude, et celui qui ne doute pas, peût encore examiner pour se confirmer dans sa croyance. — Examen d'un Ouvrage etc. I. p. 324.

quae testimonium perhibent de me" [1]). Iudaeos ob solas dubitationes eorum non damnavit. Tum demum eos damnavit, ubi apertissimis argumentis cor suum et animum clauderent. Etiam discipuli Emmaum euntes *dubitaverunt:* sed Redemptor noster eam ob causam non damnavit illos, immo edocuit, incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant [2]). Etiam Petrus *dubitavit*, cum in lacu ad Redemptorem properaret et demergi inciperet. Redemptor vero demergi eum non est passus, sed *continuo* manum extendens apprehendit eum, ut super undas elevaret [3]). Dubitantem Thomam Dominus propter dubitationem non reiecit [4]), sed promptissime fecit, ut ipse eam solvere posset. Mulier illa in Evangelio drachmam perdiderat; accendit lucernam et totam domum perscrutata est, neque Dominus eam propterea quod nummum perdidit et diligenter quaesivit, reprehendit [5]).

Praeterea vero si ponamus, Hermesium ea mente dubitavisse, qua dicunt adversarii, num solus ille hac sua dubitatione invenitur, num delictum eius ita in suo genere excellit, ut adversarii proponere conantur? Is sane homines parum noscere videtur, qui nesciat, non ita esse in fidei causa, ut adversarii, dum Hermesii exemplo utuntur, esse simulant. Si omnia tam plana et dilucida sunt, si facillimo negotio res gravissimae ad considerandum homini propositae certo expediri possunt, cur tandem proferuntur omnia illa argumenta, quibus probetur, esse Deum, esse vitam animorum post mortem, quem in usum proferuntur tot rationes ad fidem extorquendam accommodatae, quem in usum argumenta pro veritate Christianae religionis, quem in usum tanti labores, quos insumitis ad homines in viam veritatis deducendos, quem in usum perpetuae conciones et libri innumerabiles, quos ipsi evulgatis? Undenam querelae istae, defectum fidei aut perversam fidem in orbem terrarum invassisse? Si omnia tam plana sunt et facilia, unde accidit, ut ipsi acerrimi accusatores Hermesii item dubitaverint, — — ut ipsi acerrimi accusatores Hermesii fidem in Deum adeo exuerint, ut pinguis-

---

1) Ioann. 5, 39. 2) Luc. 24, 27. 3) Matth. 14, 31.
4) Ioann. 20, 29. 5) Luc. 15, 8.

simo materialismo indulserint; ut catholicam ecclesiam eiusque institutiones pedibus conculcaverint? Numquid obliti sunt hi crudeles iudices, ipsos quondam fuisse, qui locis publicis baptisma sibi abluendum iuberent; esse inter ipsos qui sacram eucharistiam in pileis suis ex ecclesia reportaverint, ut eam domi nefando et sacrilego more dehonestarent? Num obliti sunt, esse in eorum synedrio, qui furore vere iconoclastico, in humeris scalas gestantes, manibus malleum tenentes, per vias incesserint, ut Christi imagines, ut statuas Sanctorum frangerent? Num etiam nunc Confluentiae oculis suis circumspicere possunt, quin adspectu eversorum monogrammatum et symbolorum ordinis Iesuitarum in memoriam prioris in religionem odii redeant? Quis Hermesium unquam in istorum hominum societate et in his foedis Bacchanalibus comissantem vidit? Eo ipso tempore, quo haec agebantur, Hermesius relictis omnibus fructibus et vitae amoenitatibus, ad lucernam consederat, ut, quas illi gladio disciderant quaestiones, ipse solveret, ut et sibi et aliis filum inveniret, quod ex labyrintho dubitationum et fidei defectu in lucida veritatis domicilia duceret. At hic mos est tam multorum Hermesii accusatorum. In quascunque saeculi turbas et stultitias ipsi se proiiciunt, ubique principes ebriorum, partim etiam choragi errantis multitudinis esse deprehenduntur: mox si conversio rerum incidit, si poculum voluptatis funditus exhauserunt, tam alacriter, ut mirari debeat, ad contrarias partes transcurrunt, et iam acerba insectatione petunt non ea, quae stulte ipsi commiserunt, non eos qui cum ipsis circum aras idolorum saltaverunt, immo eos qui etiam ante sobrii manserant, qui in via virtutis et honestatis incesserant. Inspice libros eorum, et tubo aeris modos indicante videris quomodo temporis ingenium perpetuas vicissitudines in istis hominibus subierit et quidem per omnes gradus, ab infimis scalis animi increduli et rigentis usque ad febrem caloremque erroris fanatici in pravam concupiscentiam desinentis. At cur Hermesius, ita vos obloquentes audio, cur Hermesius, si dubitavit hoc publice professus est? Quid illum movere potuit, ut hanc confessionem in libro exprimeret? Nonne satis est dubitationum in hoc saeculo? Mirum sane quod dicitis. Primum, nonne illa professio nobilem indolem, ingenuam libertatem eius, qui professus est, ostendit? Nonne ostendit, quam procul abesset

etiam a specie simulationis, cum id candide promeret, quod tam facile erat opperire? Et quis unquam s. Augustinum reprehendit propterea, quod Confessiones scripsit in iisque res memoravit, quae multo facilius offensioni esse possunt, quam ea dubitatio, de qua locutus est Hermesius? Scriptores veteris novique Testamenti, qui duce Spiritu sancto scripserunt, multo candidiores fuerunt quam vos, non ea curaverunt quae vos in Hermesio desideratis. Unde vos nisi ex sacra Scriptura accepistis, fuisse Aaronem, summum sacerdotem, qui Israelitis aureum vitulum pararet? Unde nisi testimonio trium Evangelistarum rescivistis, fuisse Petrum, qui Dominum ter abnegaret? Unde nisi rursus ex Evangelio vobis compertum est, Thomam dubitavisse de Domini resurrectione?

Nonne hac vestra accusatione ostenditis, vos attente nunquam legisse in sacris Scripturis? Nam alioqui quomodo latere vos potuit, illam ingenuam libertatem, quae nihil dissimulat, nihil subornat, ut facere solent malae causae patroni, quaeque non nisi in veritatis comitatu reperitur, paene in quavis pagina sacrae Scripturae mirum in modum conspicuam fieri? Et quam parum vos ingenium rationemque doctrinae christianae perspexisse credibile est! Num ignoratis, venisse Christum, ut quaereret quod perditum esset? Num ignoratis, Christum esse qui dixerit, non validus sed aegrotus medico eget? Quid fieret de sacra scriptura, si tantum perfectae virtutis et sanctitatis exempla nobis proponeret, in quibus ne umbra quidem humanae imbecillitatis et defectus deprehendi posset! Omnes continuo qui hanc suam imbecillitatem sentiunt aut voluntatem prope fractam et ad inhonesta valde proclivem gerunt, eiusmodi exemplis non ad aemulationem excitarentur, immo nimis facile animum et spem omnem deponerent. Atque hac ipsa de causa professio illa, qua Hermesius se dubitasse aperit, plurimi facienda est. Iam enim eius verba: *certum mihi factum est, Deum esse; certum mihi est semper me futurum esse et victurum; certum mihi, Christianismum divinam esse revelationem, et Catholicismum verum esse Christianismum;* haec verba iam omnibus, qui de gravissimis, quas homo movere potest, quaestionibus incerti anguntur et molestis dubitationibus obnoxii sunt, solatium praebent, novum animum addunt, tranquillitatemque animi conciliant,

quae quidem bona ego illis eripere nolim, nec vero, nisi me ipse contemnam, eripere possim, quaeque vos etiam eripere illis non debetis tam nefario pretio, quale est accusatio hominis integri et innocentissimi!

Dubitatio doctorum virorum sive scientifica. — Theologi Salmaticenses, S. Liguori, Bonellius, professor Romanus, hi omnes dubitant. — Lamennaisius non dubitat isque ab episcopis Francogallicis damnatur. — Lamennaisii doctrina per Germaniam. — Eius doctrinae consequentiae.

Praeter eam dubitationem, de qua adhuc locuti sumus, etiam aliud genus est dubitationis, quae ab illa natura sua discrepat. Sed haec nonnisi forma eius spectata dubitationis nomen meretur, materiam si spectaveris non meretur. Cum ea non nisi in doctrinis tradendis reperiatur, non iniuria dubitatio doctorum sive dubitatio scientifica appellari poterit. Quod dubitationis genus quid valeat, Muratorius in libro bonae frugis plenissimo de recto iudicio (*sopra il buon Gusto*) edito dilucide admodum exposuit [1]). Muratorius ibi scribit:

„Unum ex insignibus magni ingenii illud est, quemadmodum diximus, scire de rebus bene dubitare, ac mente sua in remotissimas partes excurrere ad inveniendum id, quod possit sententiis nostris opponi, atque ad exploranda omnia argumenta et rationes, quae adversariis nostris possint in cogitationem incidere. Nimis levi brachio res tractat de cathedra docens, qui nescit primum discernere istas obiectiones easque, saltem mente sua, solvere atque cognoscere eorum infirmitatem ac vanitatem, si comparentur cum propria sententia. Nam secus ipsi non raro continget, ut, postquam iudicavit, in manu competitorum deprehendat fortiora argumenta, quibus iudicium prius a se latum labefactetur. Non satis iste consuluerit prima principia omnia, ex

1) Rifflessioni sopra il buon Gusto nelle scienze et e nelle arti. Lib. II. cap. 10.

quibus ventilanda et expedienda fuit quaestio proposita; neque perspexerit sententiam a se latam ex principio haud idoneo pugnare cum aliis axiomatis magis finitis, quae potius ei tum pro norma iudicandi esse debuerunt. Pari modo non poterit unquam quisquam, sive adhibet in dicendo sive negligit artem oratoriam, persuadere aliquid vel iudicibus vel populo vel lectoribus vel aliis certis quibusdam hominibus, ubi careat facultate anticipandi per intellectum omnes obiectiones ac difficultates, quae verbis suis et rationibus prudenter aut sponte opponi queant ab iis, ad quos ratiocinia sua pertinent. Ex altera parte non solum felicis ingenii sed etiam politioris iudicii signum est posse dissolvere obiectiones, recognoscere distinctiones opportunas et validas ad illarum solutionem, distinguere item, qualia sint vera principia rationesque propriae ad quaestionem propositam hoc potius modo quam alio, et hoc unico modo neque tot aliis modis diiudicandam."

„Iam vero videmus d. Thomam Aquinatem hac virtute esse incomparabilem, quum nemo fortasse sit, qui melius ipso dubitare sciat et exquirere rationes dubitandi, et eligere vera principia, ex quibus iudicium ferendum et stabiliendum est."

Hoc sensu veteres iuvenem discendi cupidum hortabantur verbis illis: *disce dubitare! A dubiis incipiendum est*, haec erat norma, quam veteres sequebantur in exploranda veritate, et quantum lucri ex hac norma ad veri scientiam profectum sit, historia testatur. Neque vero unus aliquis id hortatus est, immo tanta est hortantium multitudo, ut vix numerari possit. Non provocabimus ad Graecam philosophiam, quae, ut Cicero scribit, praecipue propter hanc causam ad tantam laudem pervenit, quod sectae diversae sese semper impugnarent, h. e. quod una adversus alteram *dubitationes*, *scrupulos*, *obiectiones* ingereret atque vim eis insitam in lucem ponere conaretur: unos Scholasticos respiciemus. Nonne omnes ita dubitantes fuerunt, ut ante definitum est, ac nonne s. Thomas ut aliis in rebus omnes Scholasticos, sic quoque in hac superavit? Etenim quid illorum quaestiones erant nisi dubitationes, scrupuli, obiectiones, argumenta contraria ad impugnandam doctrinam quam exposuerant, aut expositori erant? Verum etiam si Scholasticos miserimus, tamen ubique in Theologica disciplina hanc dubitandi methodum inve-

nimus usque ad hanc recentissimam aetatem, qua demum evenit, ut una cum dubitatione scientia ac prudens fidei assensus proscriberetur. Paucas hoc loco easque minus notas auctoritates ex multis produxisse contenti erimus, neque denuo eas afferemus, quae aliis in locis saepissime in memoriam revocatae sunt.

Amplum illud opus theologorum Salmaticensium, cui titulus *Collegii Salmaticensis cursus theologicus*, voluminibus undecim forma maxima compositum, qui liber dux et auctor theologiae Hispaniensis haberi potest, cursum suum conficit disputationibus, perscrutationibus, quaestionibus, articulis, dubiis. Plurimae earum disquisitionum dubiis movendis initium capiunt. Sic volumine quinto quaestio 109 inscribitur disputatio secunda [1]) *de necessitate gratiae pro operibus naturalis originis*, ac statim dubiis motis progreditur. Placet exempli gratia ea huc transcribere:

Dubium 1.

Utrum homo indigeat gratia ad cognoscendas veritates naturales?

Dubium 2.

Utrum homo in natura lapsa possit absque gratia efficere aliquod opus moraliter bonum?

Dubium 3.

Utrum homo in natura pura constitutus, viribus ipsius possit diligere Deum ut unum et auctorem naturalem amore absoluto, efficaci et super omnia?

Dubium 4.

Utrum homo lapsus solis naturae viribus possit diligere Deum super omnia ut unum et auctorem naturalem?

Dubium 5.

Utrum homo lapsus possit servare praecepta legis naturalis sine concursu gratiae?

Dubium 6.

Quae gratia necessaria sit et sufficiat, ut possit homo longo tempore servare omnia divina praecepta?

Dubium 7.

Utrum ad vitanda omnia peccata venialia collective requiratur speciale gratiae privilegium, et cui fuerit concessum?

---

1) Collegii Salmaticensis F. F. Discalceatorum Mariae de monte Carmeli primitivae observantiae cursus Theologicus. Ed. Lugdun. 1670. sqq. XI volum. forma max.

Dubium 8.

Utrum homo lapsus vel in puris constitutus possit absque gratia vincere graves tentationes?

Tertia disputatio similiter undecim dubiis absolvitur, ita ut quaestio 109na in universum 19 dubia expediverit. Quaestio 110 in prima disputatione rursus octo dubia producit, quaestio 111 decem, et hac ratione totius operis cursus perficitur, ut in universum compluribus dubiorum centuriis in medium prolatis tota theologia catholica explicetur. Sed multum a vero aberraret, si quis crederet, haec dubia non serio penitioris scientiae acquirendae causa allata esse. Contrarium non modo ex copiosis discussionibus, sed etiam ex singulis partibus apparet: nam *motiva* et argumenta dubiorum semper magna cum diligentia *proponuntur*, *expenduntur*, dein, ut propositi ratio poscit, *dissolvuntur, eliduntur*, *diluuntur*, *convelluntur* iisque *occurritur*, donec satis amota videntur.

Iam etsi nemo eo audaciae progredi velit, ut theologos Salmaticenses, duces et auctores totius per Hispaniam theologiae catholicae, qui docebant in ea terra, quae heterodoxiae nomine minus quam ulla alia infamata est, in suspicionem adducat, tamen fortasse obiiciat aliquis, eos viros nimis a nostra aetate remotos esse. Haec obiectio autem tam vana est, ut ipsam relinquere possimus. Sed auctorem producemus, qui magnam existimationis suae partem recentissimae aetati debet. Quis tandem est ille? S. Alphonsus Liguorius, qui anno proximo superiore in numerum Sanctorum relatus est. Idem hic vir sanctus *dubitationi* multum tribuit in operibus suis. Evolvas quaeso eius Theologiam moralem [1]), evolvas quaeso Epitomam eius libri, cui titulum fecit *Homo apostolicus* [2]), et dubia dubiis accumulata inveneris. Veluti eius partis in qua de s. *eucharistia* agit, primum statim caput a dubio inchoatur, ac post hoc sequitur dubium secundum, dubium tertium, dubium quartum, dubium quintum, dubium sextum, dubium septimum; atque tota quaestio de *essentia eucharistiae* sub his septem dubiis absolvitur. In pri-

1) Liguori, Theologiae moralis tom. V. ed. Paris 1838.

2) Homo apostolicus, ed. Mechlin. 1832.

mordio capitis II. *de causis et subiecto eucharistiae* rursus magnum dubium comparet; sequitur dubium secundum, et sub his duobus etiam haec quaestio expeditur. Similiter totum opus s. Liguorii descriptum est. Ubique dubia praemittuntur, tum sequitur solutio. Plura exempla inde afferre supervacaneum videtur.

Iam videamus, quomodo Hermesius hoc genere dubitationis usus sit. Ipsum audiamus, in praefatione Introductionis philosophicae p. VI. scribentem:

„Studia mea inchoavi propositum secuturus, ut quae scirem, tum demum me scire concederem, si ipse invenirem, atque, ut certiore via procederem, addebam, nonnisi id inventum esse concedere me velle, quod negare non possem. Sed quoniam nihil sciebam et ea quoque, quae sciebam, non volebam scire, unum reliquum erat ut quaererem.“

Num dilucidius verbis exprimi potest, quam hoc loco factum est, dubitationes, quas Hermesius hic memorat, *doctas (scientificas)* fuisse? Num quispiam, qui doctrinae cuidam operam daturus est, minus severam legem in explorandis rebus sibi imponere potest, quam Hermesius hic sibi imposuit? Nihil tam in aperto est et ab omnibus concessum, quam hoc, opus esse, ut, si quis cuidam disciplinae operam dicaturus est, omittat interim eam scientiam quam vulgo vocant scientiam (id quod Hermesius praescripsit), et in docta disputatione non nisi eam scientiam admittat, quam docta disquisitione invenit et docto examine probatam agnovit. Hanc legem qui non curat, is nullam doctrinam agnoscit, immo verae doctrinae vim de medio tollit. Utut praeclare se habeat huius illius rei scientia, quam ipse non inveni quaerendo, mea non est, sed est alterius. Atqui si non perspectis rationibus, quibus haec scientia nititur, alienam scientiam adopto, tum ego nihil sum nisi servilis imitator, caecus in campo veritatis, et casus unice definit, utrum talis homo recta via et munita incedat, an in devia aberret et voragine abripiatur. Quomodo autem aliquid verum habebo et concedam, si etiam argumenta adsunt, cur negare possim? Num scientia, quam negare possum, etiam scientiae vim retinet? Tunc ego non modo *indocte* et *imprudenter* ago, sed etiam in *legem moralem* pecco, quippe et me ipsum et alios decipiens, si quid concessero et verum habuero, quamdiu rationes adsunt, cur dubitare et possim et

debeam. Huius rei turpitudo iam a gentili homine, a Cicerone perspecta est. Hermesius ipse addit [1]:

„Me quidem neque mirum habebit neque offendet, si qui dicturi sunt, se scivisse ea, quae ego hic explicaverim; equidem et ipse diu scivi, sed non scivi, me scire."

Quid rursus luculentius esse potest, quam ab Hermesio hic duplicem scientiam distingui, vulgarem et eam, quae ad solidioris doctrinae normam adprobari possit. Dum ille scientiam anquirit, quae κατ' ἐξοχήν scientia appellatur, vulgarem scientiam minime reiecit: immo hanc firmare et ab impetu philosophiae tutam praestare studuit. Nam peritior illa scientia, ad quam perscrutando pervenit, haec, ut ipse professus est, quantum ad obiectum attinet, cum vulgari scientia, cum scientia sanae mentis consentit. Quippe diu sciverat, sed non sciebat, se scire. Itaque Hermesius, antequam ad perscrutandum se accingeret, ut omnes alii deum esse credidit, animum immortalem esse credidit. Sed aliud est, deum esse credere, aliud rursus, deum esse ita argumentis demonstrare, ut demonstratio ex severioris doctrinae legibus omnino iusta, valida, sufficiens sit. Iam si Hermesius, ubi de dei existentia quaerit, eiusmodi demonstrationem proposuit, quae ex ipsius sententia magis obstringit quam ceterae, num propterea in reprehensionem cadit? Num propterea scepticismi accusari potest? Scepticus id sequitur, ut dubitationes excitet, Hermesius id unice studuit, ut dubitationes dispelleret. Et hanc rationem per omnem vitam honestissime tenuit, tum quod ad ipsum tum quod ad auditores, futuros religionis magistros, attinebat. Ubi dubitationes protulit, eo id consilio fecit, ut dubitationes dilueret, ut in auditoribus certam et firmam persuasionem veritatis catholicae religionis efficeret. Corporis venena et morbos medici docentur, ut sanos a morbis tueantur et aegrotos ad sanitatem reducere possint: animorum medicis status animi et morbi dissimulabuntur! Num manifestior repugnantia esse potest, et nonne haec fructus suos sane dolendos ferre solet in eorum clericorum moribus et vitae curriculo, qui has dubitationes declinaverunt et ad nullam certam persuasionem pervenerunt?

---

1) Praefat. Introduct. philosoph. p. VIII.

„Ne quis iudicet,“ Hermesius dicit [1], „perversum esse, desideria, vel quod idem hoc loco valet, dubitationes excitare. Praestet sane in aliis rebus non sentire desideria, quam his satisfacere non posse, in futuro Religionis magistro non ita se res habet. Hunc scire oportet se nescire, ut eam scientiam, qua caret, studiose anquirat; hunc intimos quosque et ad modum Labyrinthi complicatos dubitationum recessus pervestigare oportet, ut possit aliquando alios dubitantes in omnibus eorum viis prosequi, hunc oportet cum unoquoque adversario, et nostra praecipue aetate cum iis in arenam descendere, qui negant eorum, quae aliquando docturus sit, quidquam scire posse, ne, dum illi irrident religionem, ipse obmutescat atque hoc modo iis, quos confirmare debet, scandalum afferat; omnia argumenta dubitandi diligenter explorabit, et omnia secernet, quibus sese dedere cogantur omnes, qui sana mente praediti sunt, ne ipse et argumenta eius in ludibrium vertantur; denique veritatis sanctitate impleatur oportet, et nihil magis fugere, et tanquam summum peccatum vitare debet, quam aliud ore fateri, aliud pectore clausum ferre, ut se paret, ob veritatem omnia relinquere et tunc quoque de Iehova testari, cum omne vulgus ad Baalem festinat.“

Considera quaeso haec verba et ipse te roga, an Hermesius aliud a sacerdotibus catholicis postulaverit, quam quod Muratorius hunc in modum poposcit [2]:

„Sed non idcirco omnes Christianos ab huiusmodi onere eximimus. Arbitramur enim, sacros Ecclesiarum ministros, et omnes, quibus erudienda creditur plebs Christi, debere diligenter inquirere et noscere Christianae Legis fundamenta ac principia; neque huius tantum veritatem, sed et reliquarum falsitatem habere perspectam. Tum etiam magis necessarium ducimus, quum Christianus populus in Gentilium et aliarum sectarum vicinia constitutus est, et aut occasio fert, aut Charitas suadet, pugnandum saepenumero esse non minus contra superstitionem, quam pro Religione legitima. Quando enim, ut diximus, populo Chri-

---

1) Praefat. Introduct. philosoph. p. XV.

2) De ingeniorum moderatione in religionis negotio. Lib. I. c. 4. p. 30. edit. August. 1779.

stiano fas est conquiescere in sapientia, fide, pietate tot Maiorum suorum, doctrinam a Deo revelatam, rationisque suffragio probatam tradentium, si forte populo eidem dubitationes iniiciuntur, sive occurrunt, aut si ab hostibus impugnetur Christianae Legis veritas: quis haereditatem sanctam in tuto collocabit? Est id Pastorum pocul dubio, quibus cura gregis demandata fuit. At qui periculum a grege avertent, ubi prae ignorantia ne se quidem expedire possint ab instantibus lupis?"

Quaerimus igitur, neque id iniuria quaerimus; cur unus Hermesius damnatur, cur non etiam s. Thomas Aquinas damnatur cum ingenti Scholasticorum caterva, cur non damnantur duces et auctores theologiae catholicae Hispaniensis, cur s. Liguorius non damnatur, ut alios taceamus? Cur compendia logices, quae clerici nostri olim in manibus habuerunt, quibus in scholis clericalibus instituti sunt, non comburuntur? Scilicet omnes, quemadmodum Hermesius, dubia in operibus suis proposuerunt, longe plura quam Hermesius prompserunt, doctam dubitationem tanquam optimum adiumentum explorandae veritatis laudaverunt. Num cunctae Christianorum scholae veteres tam stolidae fuerunt aut tam impiae, ut videre aut non possent aut nollent, quod nostro demum saeculo animadversum est? Difficile foret ad hanc respondere quaestionem, nisi cognitae essent principia pro unice veris venditata a certa quadam schola theologica, quae, quidquid sibi adversum videt, cum refellere illud doctrinae armis non possit, in heterodoxiae crimen adducit. Lamennaeus quique sectam eius in Germania sequuntur iam multos annos, ut satis constat, hoc palam ubique proclamarunt, Rationem singulorum hominum non posse pervenire ad veritatem et certam persuasionem. Inde necessario consequitur, despici et contemni ab his viris theologicam doctrinam, quae adhuc in omnibus scholis catholicis tradita est. Nam theologi catholici omnium saeculorum multum aberant, ut individualem rationem condemnarent. Huius operae in aedificanda theologica doctrina multa negotia et gravia demandata erant. Quid miri igitur, quod Lamennaeus et discipuli eius hanc theologiam reiecerunt, heterodoxiae crimine et infamia gravare studuerunt? Audiamus ipsa Lamennaei verba.

„Illa Methodus," inquit „quae in scholis imperium nanciscebа-

tur, quaeque nonnisi logice res tractare solebat, eo ipso quoscunque progressus repressit, et nonnisi abstractam scientiam, rebus vacuam et solis verbis constantem, edere potuit. Catholica igitur scientia procreanda est, et hanc mens humana, pertaesa inopiae et turbarum eius, quae nunc est scientiae, exspectat. Ex certis fidei notionibus ocius serius aut mox systema generale omnibus acceptum *(système d'explication)*, vera philosophia, quae desideriis saeculi respondet, orietur."

Haec est Lamennaei doctrina, quam quidem doctrinam episcopi Franco-Gallici tanquam eam notaverunt, quae scandalosa sit, haeresin sapiat, falsa sit, temeraria, in sanctissimos viros, qui magno catholicae religionis bono Scholasticam excoluere, iniuriosa [1]).

Ut istam doctrinam adprobaret Lamennaeus, vetere artificio usus est, cum episcopos et theologos Franco-Galliae tanquam Cartesianos proscriberet et praecipue in Cartesii dubitationes impetum dirigeret. „Iuxta systema Cartesianum," sic alia Lamennaei propositio asserit, „fidelis, quoties de veritate a se credenda in animo eius emergat dubitatio, huic assentiri debet [2])."

Sicubi negaverimus, ut Lamennaeus facit, singularem rationem per se ipsam intelligere posse ullam partem veritatis, continuo concedere debebimus, dubitationes veritati perniciosas esse,

---

1) Haec doctrina, quatenus asserit scientiam catholicam nondum esse creatam, scandalosa est, haeresim sapiens.

Qua parte affirmat Theologiam, iuxta methodum in Scholis catholicis usurpatam, scientiam esse abstractam, rebus vacuam et solis verbis constantem, atque adeo esse confusam, inconditam et inopem, ut impar sit, sicuti insinuat auctor, certae fidei notioni exhibendae, falsa est, temeraria, in sanctissimos viros, qui magno catholicae religionis bono Scholasticam excoluere, atque in Scholas catholicas iniuriosa, infesta in Scholasticam haereticorum convicia renovat. V. Censure de M. De La Mennais, par l'Archevêque de Toulouse.

2) Censura episcoporum Franco-Gallicorum haec est: Haec propositio, in qua auctor his vocabulis, systema seu doctrina cartesiana, abutitur, ut supra notavimus, falsa est, calumniosa, iniuriosa in Ecclesiam quae fidem suorum alumnorum, si verum diceret auctor, a pluribus saltem saeculis tutari nesciisset. — Censure de M. De La Mennais, par l'Archevêque de Toulouse.

neque mirabimur, cur Systema Cartesianum, quod cum Hermesio doctam dubitationem admittit, tanquam perniciosum designetur. Sed antequam alter iste Arcesilaus et Pyrrho idemque novus libertatis vindex gloria sua hominum oculos praestrinxit, dubitatio Cartesiana non dedit ullam offensionem. Contra usque ad *recentissima* tempora in scholis Catholicis hanc dubitationem magistri tanquam egregium adiumentum inveniendae veritatis proposuerant. Quod ut probemus, locum transcribemus ex *Institutionibus* Walseri, quae olim multum versatae in scholis catholicis atque clericis nostris qui aetate provecti bene cognitae sunt [1]:

„Aptius, et validius ad illa (sc. noxia principia) tollenda nihil est, quam prudens de omnibus dubitatio, seu examen universale: a dubitatione, monuit Cartesius, philosophiae studium inchoandum esse: nimirum de omnibus nostris notionibus, opinionibus, et principiis primis, unde reliquae nostrae assertiones derivantur, ac coniunguntur, num solidae sint, ac solidae inde fluant conclusiones, quaerendum.“

Mox idem scribit:

„Proprie dubitat, qui nondum certus de cuiusdam rei veritate iudicium suspendit, ne erret. Latiori sensu dubitat, cui quidem rerum veritas non est suspecta aut dubia, sed ut veritatem examinando ac dubitando magis perspicuam reddat, aliis dubitationem adimat, et semel confirmatos veritate ab aliorum impugnationibus praemuniat. Talis non dubitat, sed dubitantis personam induit, et eodem modo, quo dubius rem investigat, eius ope ponderat momenta. Sic viri praestantissimi, qui certe Deum, religionem, veritatem venerabundi agnoscunt, dubitantis specie inquirunt, utrum detur Deus, religio, veritas.“

Hoc dubitandi genus tantum abfuit, ut periculosum unquam visum sit, ut Bonellius, qui Romae philosophiam profitetur, planis verbis scribat, hanc methodum Cartesianam *per duo saecula ab omnibus philosophis sine ulla fere exceptione probatam esse.* Et haec a censoribus Romanis a. 1836 denuo adprobata sunt! Quid? etiam episcopi Francogallici propositiones Lamennaei supra memoratas confidentissime reiecerunt. Quippe illos non latuit, aliud agi quam quaestionem de philosophia Cartesiana moveri: immo

1) Institut. philos.; Logica practica sect. II. cap. 1.

bene cognitum iis erat, Lamennaeum hoc praetextu a Cartesiana philosophia desumto usum esse, ut catholicam scientiam everteret in eiusque locum sua principia induceret.

Qui tam de hac re quam de aliis multis cum ea iunctis accurate edoceri se cupit, is legere velit *Historiam novae Haeresis saeculi undevicesimi ab episcopo Marocensi, Guillon* conscriptam [1]). Obstupescimus, cum videmus, qua licentia, qua oris procacitate et Lamennaeus et aemuli eius, adolescentuli in theologia rudes iidemque tamen inflati, episcopos Franco-Gallicos, theologos Franco-Galliae, denique omnes prioris aevi theologos, qui novum istud evangelium aut ignorarent aut repudiarent, petiverint. Eo iam devenerant, ut theologos, qualis Bossuetius fuit, quem saeculis futuris ecclesia catholica eadem admiratione prosequetur, quam is adhuc excitavit, atrocissimis maledictis proscinderent, ut non solum ingenii illius viri gloriam sed morum etiam integritatem adtrectarent, adeo ut ipsum proditorem ecclesiae, ἄϑεον appellarent! Sed non minus miramur, cum ex hoc opere cognoscimus, eandem esse doctrinam, eadem etiam subsidia, quibus per Germaniam utuntur, ac praecipue ad Hermesium et discipulos eius impugnandos, ut doctrina a Lamennaeo dispersa in Germania radices agere possit.

In Germania Cartesius non erat: statim huius partes Hermesio demandatae sunt. Iamque in hac terra eo audaciae progressi sunt, ut non occulto et per ambages doctrinam et docendi methodum Lamennaei adiuvent, sed palam celebrare audeant. Nuper etiam diurna ecclesiastica catholica, quae Francofurti ab Hoeninghausio evulgantur, aperte proclamaverunt [2]), damnata Hermesii doctrina totam Theologiam catholicam, qualis hucusque per imperium Austriacum viguisset, concussam esse, apud iuniores theologos diffamatam esse, et mox fore, ut illa „*sceptrum inane plumbeumque, nimis diu obtentum*", amittat!

Sed quo tandem res veniet, si vetus scientia in dies ma-

---

1) Histoire de la nouvelle Hérésie du XIX. siècle ou refutation complète des ouvrages de l'Abbé de la Mennais; par M. N. S. Guillon, Evêque de Maroc et Professeur d'Eloquence sacrée à la faculté de Théologie de Paris. III. Tomes. Paris 1835.

2) v. Volumen anni 1839. No. 39. pag. 307.

gis reprimitur, si nova doctrina, quae rationem nihili pendit et nonnisi caecam fidem postulat, semper, ut fieri sane videtur, latius serpit? Ad hanc quaestionem *Fridericum a Schlegel*, virum in omni scientiarum genere illustrem, respondentem introducemus: is enim non minus severe quam Hermesius doctae investigationis partes definivit his verbis:

„Si docta investigatio non hoc praesumit, esse veritatem, id agens strenue fortiterque ut talem recipiat, qualis inventa sit, sed si licenter postulat, ut hoc illud verum sit, necesse est eam vel *in nihil credendo et desperatione* vel *in superstitione et erroribus fanaticis* terminari."

Et nonne, proh dolor! superstitio atque error fanaticus in dies apud nos magis emergunt? Nonne fidei inopia est et desperatio, nonne eorum principiorum, quibus ecclesia et civitas continentur, planissima abiectio, in quam doctrinae illius fautores postremo incurrunt? Inspice quaeso Lamennaeum! ipse quidem iam confecit curriculum, quod secta eius etiam emetiendum habet. Tanta est autem vis praeiudicii et occupatae opinionis, ut eos etiam abripiat, qui perniciem prae oculis habent, ad quam propero gradu pergunt. Ecce vox in Ephemeridibus sub nomine „*Catholici*" editis, dum Hermesii dubitationem impugnat et Hermesii systema condemnare conatur, profitetur, systema contrarium, h. e. Lamennaei systema paulo ante defensum, si ab initio in ecclesia valuisset, effecturum fuisse, ut ecclesia catholica eo deveniret, ut eius theologi suo iure *stolidissimi omnium hominum* essent [1]). Quid igitur dicemus, cum viderimus, Perronium, quamvis istos homines iure optimo *causae proditores* appellet, communi cum illis impetu in Hermesium irruisse!

---

1) Ipsa verba haec sunt: „Sed quo perventura fuisset ecclesia, si eiusmodi persuasio ab initio in ea valuisset? Nonne eo venisset, ut, quemadmodum apostolus dicit, si nulla post hanc vita esset, Christiani omnium hominum infelicissimi forent, iam de theologis catholicis, neque iniuria, dici possit, eos esse *stolidissimos omnium hominum*"! v. *Catholici* fasc. X. a. 1831.

Hermesius ex Perronii sententia purus putus Scepticus — Perronius vapulans — eius peccata et mendacia. — Socratem irridet et damnat, damnat Dmowskium collegam suum, damnat Buttaonium S. Palatii Apostolici magistrum, damnat Praepositos societatis Iesu. Ut Hermesius damnetur, damnantur egregii quique Theologi catholici.

Eosdem locos, quos supra ex Hermesio attulimus, aliosque consimiles Perronius in Ephemeridibus: *Annali delle scienze relig. Vol. 9. Nro. 27.* eo vertit, ut efficiat, Hermesianam dubitationem non esse „*hypotheticam, methodicam, scientificam*", sed contrario modo affectam, id est, quemadmodum ille dicit pag. 326, „*veram, seriam, positivam, theoreticam, universalem, illimitatam* de omni veritate etiam primitiva." Non attinet hic diligentius inquirere, quo iure quove sensu postremas denominationes omnes opponere liceat prioribus — nam difficile est ad intelligendum, cur scientifica dubitatio non possit appellari theoretica, aut in suo genere vera et seria, cur dubium positivum ea significatione, quae a nonnullis, veluti a Dmowskio, Perronii, collega, statuitur [1]), necessario incurrat in reprehensionem, aut cur dubitatio, quae ad primas veritates, ad prima principia pertinet ideoque implicite etiam ad derivatas omnes veritates extenditur, hanc unam ob causam desinet esse scientifica atque illico vituperari debeat, — his igitur missis id unum quaerendum est, num Perronius evicerit, quod certe voluit persuadere lectoribus, Hermesium fuisse *verum* ac *purum putum Scepticum*. Ecquis tandem est huiusmodi scepticus? Utrum is, qui doctam disquisitionem instituens dubitationes vel ab ipso iniectas vel aliunde illatas etiam solvit ac diluit, an is, qui non solutas relinquit? Utrum is, qui perscrutando labyrinthum dubitationum etiam felicem exitum habet, id est ad persuasionem et fidem adducitur in eaque iam mirifice confirmatum se sentit, an is, qui in dubitationibus,

---

1) Vide Dmowskii Institutiones philosophicas Vol. I. pag. 37, ubi haec leguntur: „Animus de aliquo re *dubius* haeret, dum pro utraque contradictionis parte solidas esse rationes cognoscit, et hoc est dubium *positivum*."

unde orsus est, terminatur, qui ita in illo circumagitur labyrintho, ut exitum non inveniat? Equidem de vera sceptici notione satis inter omnes constare arbitror. Ostendat igitur nobis Perronius, Hermesium fuisse eum, qui dubitationes moverit, motas non expediverit, non solverit, non diluerit; fuisse eum, qui ingressus in labyrinthum dubitationum non habuerit exitum felicem, non ad certam persuasionem, non ad firmam atque inconcussam fidem pervenerit. Non potest ullo pacto ostendere; nam plane contrarium omnes libri ab Hermesio conscripti, omnes horum librorum partes loquuntur, ut supervacaneum sit singula effata commemorare, veluti illud, quod iam supra ex praefatione philosophica attulimus, ubi Hermesius hoc tanquam summarium disquisitionum suarum proponit: „*mihi certum factum est, esse Deum; mihi certum factum est, me semper futurum et vitam aeternam esse; mihi certum factum est, christianam religionem esse divinitus revelatam et catholicismum esse verum Christianismum.*" Nimirum is, cui certum omnino factum est de his rebus omnium gravissimis, quique ad hanc certitudinem parandam stabiliendamve quascunque dubitandi rationes non praetermisit, non oppressit, sed produxit in medium, rectis oculis intuitus est et argumentorum pondere fregit, is, unquam, si Perronio credimus, iudicandus est purum putum scepticismum sequi, nec dubitasse methodo scientifica! Sed videamus, quomodo Perronius rem suam agat.

Primum de fallacibus Hermesii doctrinis, quae fucum facere potuerint tam multis Germanis, bonis quidem illis et nimium credulis hominibus (**far velo all' intendimento di tanta parte di buoni e troppo creduli Alemanni**), deque methodo Hermesiana pessima quaeque enarrat initio tractatus sui. Multa ex his aut plane falsa aut vehementer distorta. Eiusmodi illud est, quod legitur pag. 323. not. 2.: „**Nisuno de' fautori di Ermes potrebbe adontarsi di questa frase** (*laberinto* scil.), **che spesso mi verrà alla penna.. Ella non é mia, ma di Ermes stesso, il quale, come vedremo, ripone la verità e la scienza in un *laberinto*, nel che forse ha voluto imitare quel greco *sofo*, che la poneva in un *pozzo*.**" Quid? Hermesius veritatem et scientiam posuit in labyrintho? Quis unquam fando audivit tale quidquam? Stupidissimus omnium, immo etiam amens ac plane vesanus Hermesius fuisset, si veritatem atque scientiam in labyrintho posuisset.

Et Germani, qui boni quidem et ingenui sunt, adeo etiam creduli extiterint, ut fallere eos posset tanta insaniae vis! Non ita, me hercle, res sese habet, neque quisquam de Hermesio tam absurda commenta referre potest, qui verae scientiae naturam atque originem perspexit, quique perpendit aut vult perpendere, aliud omnino esse *ingredi* in labyrinthum dubitationum, vel in eo errantem comitari, aliud rursus ex eodem labyrintho felicem *exitum invenire.* Pollicetur Perronius, se postea, quod dixerit, esse argumentis demonstraturum; et nos igitur de his ipsis argumentis videbimus postea. Interim ille, dum Hermesianam methodum et philosophiam pessimis coloribus depingit, multa admiscet, quae facere queant ad melioris notionem informandam. Quasi vero haec omnia apud Hermesium contra se habeant. „Fundamentum philosophiae est rationalis et intellectiva natura homini ingenerata." Idem Hermesius docet. — „Insitae sunt homini primae quaedam veritates, quibus denegare assensum nemo potest, nisi ab ipsa rationali natura se abdicaverit." Idem Hermesius contendit. Attamen ea res minime obstat, quominus dubitatio hypothetica s. methodica etiam ad illas veritates, quae primae videntur, pertineat; certe enim philosophi est, in has ipsas veritates, quae et quales sint et quam late pateant, diligenter inquirere, easdem accurate secernere, munire etiam adversus quascunque difficultates. Perronius si forte istam licentiam non concedit, et ipsa res ei obloquitur et auctoritas praestantissimorum philosophorum. — „Quum sint primae veritates, in ratiociniis non est progressus in infinitum." Plane eodem modo Hermesius, neque hic tam ineptus est, ut, quum primum certa quaedam principia constituta sunt, eadem rursus in dubitationem adducat. Quod Perronius innuit pag. 326, Hermesium ubique ita inchoare disquisitionem, ut faciat *tabulam rasam* omnium humanarum cognitionum (**non si cominci ogni volta a far *tavola rasa* di tutte le umane conoscenze**), id nihil est nisi merum commentum. Ubicunque Hermesius ingreditur novam disquisitionem, diligentissime respicit ad principia iam constituta, omninoque ad ea, quae pro veris et ratis habenda esse iam demonstravit: ad haec regreditur tanquam explorata, ex his argumenta petit eo modo, quem sana praescribit dialectica, ut novae quaestiones propositae solvantur. — „Criterium certitudinis, saltem in primis

veritatibus, est evidentia intellectiva, quae nascitur in homine per intrinsecam necessitatem logicam huiusmodi veritatum, unde intelligit homo et scit, non posse cogitari contrarium, seu videt impossibilitatem oppositi, ita, ut illis denegare assensum non possit, immo ne dubitare quidem de illis, nisi abneget se ipsum.“ Etiam Hermesius statuit, generale et ultimum criterium certitudinis esse *necessitatem* aliquam, sive physicam sive moralem, in rationali hominis natura sitam, verumtamen non necessitatem *logicam* per se solam, sed necessitatem *assentiendi.* Et recte quidem in hoc genere magisque acute Hermesius nostra sententia. Quippe aliud est *cogitare* et iudicare, aliud *adhibere assensum,* pro rato habere; *sequitur* autem cogitationem et iudicium assensio. Proinde etiam necessitas cogitandi, id est necessitas logica, per se non iam includit assensionem, sed haec potius accedit, ubicunque exoritur. Iam vero illud, quod oppositum est dubitationi, quod eam removet sua vi ac natura, proprie est assensus. Qui dubitat, is hoc ipso, quod dubitat, non adhibet cogitationi aut iudicio assensum: contra is, qui assensum adhibet, hoc ipso, quod assentitur s. rem cogitatam pro rata habet, non dubitat, sed in ea mentis affectione versatur, quae dubitationi contraria est. Quid inde efficitur? nimirum si assensio, ad cogitationem aliquam accedens, etiam necessaria est (vel physice vel moraliter), et ita quidem necessaria, ut vel diligenti examine instituto non possimus eam retinere aut tollere, nisi ab ipsa rationali natura deficiamus; iam illud adest, quod omnem iustam dubitationem removet, hoc est, quod omnino certos nos reddit. Itaque non necessitas logica per se ac sua vi, sed necessitas assensionis, eo sensu, quem modo paucis indicavimus, criterium est certitudinis. Ipse Perronius hanc alteram necessitatem videri queat prae oculis habuisse; nam eo loco, quem supra attulimus, haec verba sub finem adiungit (pag. 325): „ita ut illis *denegare assensum* (homo) *non possit,* immo *ne dubitare quidem* de illis, nisi abneget se ipsum (**per forma che non può niegare a quelle l'assenso, anzi nè pur dubitarne senza rinnegare** se stesso). Sin Perronius pro una eademque mentis affectione habeat necessitatem logicam et evidentiam inde oriundam cum necessitate assensus, in magno errore psychologico versatur. Ceterum bene cum Dmowskio, collega suo, inter *cri-*

terium veritatis vel potius certitudinis et *fontes* veritatis distinguit. Eandem distinctionem ubique apud Hermesium reperimus. Criterinm illud unicum est: fontes autem veritatis, id est fontes cognitionum humanarum, ad quas applicari illud criterium ita queat, ut necessario iis assensio adhibenda sit, plures et varii sunt. Enumerantur a Perronio „sensus exterior, sensus interior, ratio, auctoritas.“ Eosdem fontes etiam Hermesius agnoscit. Ostendit primum, interiori sensui (nam ab hoc incipiendum est,) cum physica necessitate adhiberi assensum, neque fieri posse, ut hunc assensum, qui vel invitis nobis exoriatur, idoneo ullo argumento labefactemus. Ostendit, etiam exteriori sensui, oculis, auribus, dummodo perceptiones satis clarae et distinctae sint, assensionem adhiberi cum eadem necessitate. Ostendit, rationem sensu strictiori esse fontem cognitionum, quae pertineant ad res etiam ultra sensuum perceptionem remotas. Numquid igitur hic saltem Hermesius se verum scepticum praebet! num huiusmodi cognitiones in dubio relinquit aut denegandam iis assensionem esse statuit? Immo contrarium evincit, studiosissimeque inprimis adversus Kantium, Fichtium, alios; demonstrat, principium causale non esse formale tantum, ut dicunt, sed reale principium, id est, vim eam habere, ut causam sufficientem non cogitare tantum seu ideam eius mente informare, sed cogitatam etiam pro rata (reali) habere cogamur, quamvis in sensum non incurrat. Ex quo intelligi licet, rursus nihil esse nisi merum commentum, ne dicam turpissimum mendacium, quod Perronius commemorat p. 365: Hermesii systema concludi sensualismo et empirismo. Ostendit denique Hermesius, etiam auctoritati, si non physica saltem morali cum necessitate, sub certis conditionibus credendum, fidem assensionemque adhibendam esse, neque in hoc genere requiri, ut res ipsas ab alio traditas aut nostris sensibus usurpemus aut nostra ratione perspectas habeamus. — Perronius reprehendit eos, qui „philosophiam volunt inchoandam esse ab infinito, aeterno, absoluto, ut veniant deinde ad res finitas, creatas, contingentes.“ Eosdem reprehendit et insectatur Hermesius, immo inter hos ipsos, qui in Germania sic invertunt naturalem cognoscendi ordinem, quique partim se annumerant Perronii amicis, Hermesius acerrimos adversarios et accusatores habet. Quid ergo est, quod Perronius, ubi Hermesianam metho-

dum et philosophiam perstringit, tam copiosus est in meliori methodo et philosophia describenda? nonne persuadere voluit lectoribus, ea omnia, quae saniorem methodum philosophiamque declarant, ab Hermesio penitus abfuisse? — Pergit ad Cartesii dubitationem, quam excusat, tuetur, approbat. „Dubium Cartesii, inquit p. 333, illud erat, quod paulo ante dixi *hypotheticum* et *methodicum*, non *serium* et *theoreticum*. Cartesius ubi tantisper prae se fert dubitationem de omnibus, id facit ad intellectum, quemadmodum ipse ait, purgandum ab omni praeconcepto errore et ad certum ab incerto discernendum.“ Sic Perronius de Cartesio, dum turpiter ignorat, plane idem de Hermesio dicendum esse.

Quemadmodum Lamennaeus eiusque dicipuli, quoscunque Galliae Theologos, a suis placitis dissentientes, Cartesianismi incusarunt, ita etiam in Germania multi homines id ipsum, quod Hermesius Cartesianam dubitandi rationem sequutus sit, vehementissime reprehenderunt atque ex hoc tanquam primario fonte omnem Hermesiani systematis perversitatem derivandam esse voluerunt. Perronius, ab illis dissentiens hoc scilicet tempore, non audet contra gravissimorum virorum auctoritatem Cartesium arguere, immo hunc excusat et benignum eius patrocinium suscipit, deinde vero, ut habeat, quod damnet in Hermesio, huius dubitationem a Cartesii mirum quantum differre dicit. Sic lepidum ab ipsis Hermesii et scholae Hermesianae adversariis spectaculum offertur: dum communi consilio meditantur alteri ruinam, eosdem inter sese pugnantes atque digladiantes videmus. Clamant alii: Hermesius suam fecit dubitationem Cartesianam; hinc tanta malorum vis. Clamat Perronius: minime omnium res ita se habet, Cartesiana dubitatio nihil nocet, fortasse etiam utilis est, sed dissidet ab ea toto caelo Hermesiana. Iam in eo quidem nos Perronium non reprehendimus, quod Cartesium post alios defendit: id maxime reprehendendum est, quod Cartesium defendit in damnum Hermesii. Ostendat Perronius, si potest, quid differat inter utriusque dubitationem. Num legit unquam Cartesii *dissertationem de methodo recte utendi ratione et veritatem in scientiis investigandi?* In hac dissertatione tot loci reperiuntur teneris auribus facile molesti, ut sane mirandum sit, cur Perronius, si tamen legit Cartesium, non potius duxerit hunc phi-

losophum silentio praetermittere. Eiusmodi est ille locus, qui legitur in dissertatione de methodo etc. pag. 2. (Vol. II. edit. Francof. 1692): „Simul ac illud studiorum curriculum absolvi, quo decurso mos est in eruditorum numerum cooptari, plane aliud coepi cogitare. Tot enim me dubiis totque erroribus implicatum esse animadverti, ut omnes discendi conatus nihil aliud mihi profuisse iudicarem, quam quod ignorantiam meam magis magisque detexissem.“ Et paulo post: „Quae omnia mihi audaciam dabant de aliis ex me iudicandi, et credendi nullam in mundo scientiam dari illi parem, cuius spes facta mihi erat.“ Et praecipue pag. 7.: „quod ad eas opiniones attinet, quas ego ipse in eum usque diem fueram amplexus, nihil melius facere me posse arbitrabar, quam si omnes simul et semel e mente mea delerem, ut deinde vel alias meliores vel certe easdem, sed postquam maturae rationis examen subiissent, admitterem: credebamque hoc pacto longe melius me ad vitam regendam posse informari, quam si veteris aedificii fundamenta retinerem, iisque tantum principiis inniterer, quibus olim iuvenilis aetas mea, nullo unquam adhibito examine an veritati congruerent, credulitatem suam addixerat.“ Adde primam regulam, quam in perscrutanda veritate Cartesius sibi ipse praescripsit religiosissime servandam atque his verbis expressam pag. 10: „Primum erat, ut nihil unquam veluti verum admitterem, nisi quod certo et evidenter verum esse cognoscerem; hoc est, ut omnem praecipitantiam atque anticipationem in iudicando diligentissime vitarem; nihilque amplius conclusione complecterer, quam quod tam clare et distincte rationi meae pateret, ut nullo modo in dubium possem revocare.“ Ostendat igitur Perronius in iis locis, quos infra in cumulum ex Hermesio congessit, inesse sententiam, quae apertum faciat, Hermesianae dubitationis vim et naturam omnino aliam esse atque Cartesianae. Adiungit Cartesius pag. 15.: „Nec tamen in eo Scepticos imitabar, qui dubitant tantum ut dubitent, et praeter incertitudinem ipsam nihil quaerunt. Nam contra totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem; et quemadmodum fieri solet, cum in arenoso solo aedificatur, tam alte fodere cupiebam ut tandem ad saxum vel ad argillam pervenirem.“ Proferat argumenta Perronius, quibus liquidum fiat, Hermesium dubitasse, ut dubitaret, non ut certum inveniret,

incertum a certo secerneret. Proferat argumenta aut mendacia revocet!

Transit a Cartesio ad recentiores philosophos, praesertim eos, qui in Germania prodierunt, quosque ipse nunquam legit, Kantium, Fichtium, Schellingium, Hegelium, alios. Quo facto demum regreditur ad Hermesium pag. 339: **„ora eccoci finalmente ad Ermes.“** Paulo post inde a pag. 341 usque ad pag. 344 enumerat locos quosdam, e quibus intelligi satis superque existimat, Hermesium fuisse purum putum scepticum. Enumerat, inquam, hos locos, non perpendit, non explicat, non habet ullam rationem contextus, non considerat illud, quod maxime in censum venit, Hermesium ubique sermonem facere non de communi intelligentia, sed de altiori et perfectiori, quae *κατ' ἐξοχήν* appellatur scientia. Enumerat tantum, id unum praeterea agens, ut singula verba litteris cursivis aut maiusculis excusa compareant.

Primus locus, quem in suam rem vertit, hic est. Loquitur Hermesius de utilitate, quae ex perfecto systemate redundet. „Vel notissima, inquit, Theologiae dogmata etiam quasi velo obducuntur, verusque eorum sensus in obscuritate positus variaeque interpretationi obnoxius est, nisi unumquodque eorum intelligatur tanquam pars integralis perfecti systematis, et nisi hoc systema methodo inquirendi — id est ea methodo, quae opponitur vulgari methodo syntheticae — exstructum perque omnes dubii recessus perductum fuerit.“ Postrema verba Perronius litteris tum cursivis tum maiusculis imprimenda curavit: **„e non si facesse passare per tutti gli andirivieni del DUBBIO.“** At enimvero quid apertius est, quam Hermesium hic loqui de perfecta scientia theologica? Igiturne talis scientia parabitur sine perfecto systemate? poteritne perfectum systema exstrui, nisi omnes difficultates, omnes dubitandi causae, quae in singulis quibusque partibus occurrant, diligenter perlustrentur et ponderentur, id est, quemadmodum metaphorice ait Hermesius, nisi systema per omnes dubii recessus perducatur? Respondeant viri sapientes. Eiusdem omnino generis sunt alii loci a Perronio commemorati et e contextu orationis avulsi, veluti is, quem postremo affert et in quo plurimum momenti inesse videtur opinari. Est autem idem locus, cuius partem nos ipsi iam supra

exscripsimus. Agitur de via ac ratione, qua ad perfectam scientiam theologicam perveniatur. Agitur de modo, quo institui oporteat non multitudinem, non vulgus, sed eos homines, qui in dubitationes inciderint, eos etiam — et de his maxime sermo est —, qui aliquando futuri sint religionis magistri. Monet Hermesius, coram istis non celanda esse ea, quae dubitationem iniecerint aut iniicere possint, sed in medium proferenda, ut adolescentes litterarum studiosi ad perscrutandum, ad perfectiorem scientiam, quae superat dubitationes, studiose quaerendam impellantur, ut, quum tali scientia demum imbuti fuerint, possint omnibus rationem reddere, dubitantibus respondere, cum adversariis in arenam descendere, religionem idoneis armis tueri. Sed placet locum ipsum denuo apponere, et ita quidem, ut verba litteris cursivis aut maiusculis a Perronio scripta eodem modo significemus. Quidquid uncis inclusum est, id Perronius omisit. Hermesius igitur postquam commemoravit, se eis, quibus simile ingenium simile desiderium indiderit, velle libros suos consecratos esse, et maxime eis consecratos, qui olim ipsius auditores fuissent, sic pergit: „Spero me in his *simile desiderium atque illud quod erat in me*, — **un bisogno simile al mio** —, si non iam apportaverunt, excitavisse; [et cupio eis, ut desiderio satisfiat, adiumentum afferre scriptis meis, siqua in parte factum non fuerit ore [1])] Ne quis iudicet perversum esse, *desideria*, ***vel quod hoc loco idem valet*, D u b i t a t i o n e s — bisogni, o per dirlo col vero senso della parola, D u b b i** — excitare,

1) Hermesius igitur non voluit tantum *excitare* desideria (bisogni), sed excitatis etiam *satisfacere*. Non id unum efficere voluit, quod optime suadet Cartesius, ut auditores discerent dubitare, atque hoc modo sentire, quam indigerent altiori scientia, sed etiam illud sequutus est atque eo impendit operam suam, ut discerent solvere dubitationes et difficultates quamlibet multas, ut discerent felicem ex iis exitum ipsi invenire, ut hac ratione, quum antea animi eorum sive multum sive parum commoti fuissent, eam sibi pararent securitatem, quae severioris studii et perfectioris scientiae pretiosissimus fructus est. Cur Perronius id unum commemorat, Hermesium voluisse excitare desideria? cur alterum, quod adiungitur, quodque verum finem Hermesio propositum declarat, silentio praetermittit?

dum et philosophiam perstringit, tam copiosus est in meliori methodo et philosophia describenda? nonne persuadere voluit lectoribus, ea omnia, quae saniorem methodum philosophiamque declarant, ab Hermesio penitus abfuisse? — Pergit ad Cartesii dubitationem, quam excusat, tuetur, approbat. „Dubium Cartesii, inquit p. 333, illud erat, quod paulo ante dixi *hypotheticum* et *methodicum*, non *serium* et *theoreticum*. Cartesius ubi tantisper prae se fert dubitationem de omnibus, id facit ad intellectum, quemadmodum ipse ait, purgandum ab omni praeconcepto errore et ad certum ab incerto discernendum.“ Sic Perronius de Cartesio, dum turpiter ignorat, plane idem de Hermesio dicendum esse.

Quemadmodum Lamennaeus eiusque dicipuli, quoscunque Galliae Theologos, a suis placitis dissentientes, Cartesianismi incusarunt, ita etiam in Germania multi homines id ipsum, quod Hermesius Cartesianam dubitandi rationem sequutus sit, vehementissime reprehenderunt atque ex hoc tanquam primario fonte omnem Hermesiani systematis perversitatem derivandam esse voluerunt. Perronius, ab illis dissentiens hoc scilicet tempore, non audet contra gravissimorum virorum auctoritatem Cartesium arguere, immo hunc excusat et benignum eius patrocinium suscipit, deinde vero, ut habeat, quod damnet in Hermesio, huius dubitationem a Cartesii mirum quantum differre dicit. Sic lepidum ab ipsis Hermesii et scholae Hermesianae adversariis spectaculum offertur: dum communi consilio meditantur alteri ruinam, eosdem inter sese pugnantes atque digladiantes videmus. Clamant alii: Hermesius suam fecit dubitationem Cartesianam; hinc tanta malorum vis. Clamat Perronius: minime omnium res ita se habet, Cartesiana dubitatio nihil nocet, fortasse etiam utilis est, sed dissidet ab ea toto caelo Hermesiana. Iam in eo quidem nos Perronium non reprehendimus, quod Cartesium post alios defendit: id maxime reprehendendum est, quod Cartesium defendit in damnum Hermesii. Ostendat Perronius, si potest, quid differat inter utriusque dubitationem. Num legit unquam Cartesii *dissertationem de methodo recte utendi ratione et veritatem in scientiis investigandi?* In hac dissertatione tot loci reperiuntur teneris auribus facile molesti, ut sane mirandum sit, cur Perronius, si tamen legit Cartesium, non potius duxerit hunc phi-

losophum silentio praetermittere. Eiusmodi est ille locus, qui legitur in dissertatione de methodo etc. pag. 2. (Vol. II. edit. Francof. 1692): „Simul ac illud studiorum curriculum absolvi, quo decurso mos est in eruditorum numerum cooptari, plane aliud coepi cogitare. Tot enim me dubiis totque erroribus implicatum esse animadverti, ut omnes discendi conatus nihil aliud mihi profuisse iudicarem, quam quod ignorantiam meam magis magisque detexissem.“ Et paulo post: „Quae omnia mihi audaciam dabant de aliis ex me iudicandi, et credendi nullam in mundo scientiam dari illi parem, cuius spes facta mihi erat.“ Et praecipue pag. 7.: „quod ad eas opiniones attinet, quas ego ipse in eum usque diem fueram amplexus, nihil melius facere me posse arbitrabar, quam si omnes simul et semel e mente mea delerem, ut deinde vel alias meliores vel certe easdem, sed postquam maturae rationis examen subiissent, admitterem: credebamque hoc pacto longe melius me ad vitam regendam posse informari, quam si veteris aedificii fundamenta retinerem, iisque tantum principiis inniterer, quibus olim iuvenilis aetas mea, nullo unquam adhibito examine an veritati congruerent, credulitatem suam addixerat.“ Adde primam regulam, quam in perscrutanda veritate Cartesius sibi ipse praescripsit religiosissime servandam atque his verbis expressam pag. 10: „Primum erat, ut nihil unquam veluti verum admitterem, nisi quod certo et evidenter verum esse cognoscerem; hoc est, ut omnem praecipitantiam atque anticipationem in iudicando diligentissime vitarem; nihilque amplius conclusione complecterer, quam quod tam clare et distincte rationi meae pateret, ut nullo modo in dubium possem revocare.“ Ostendat igitur Perronius in iis locis, quos infra in cumulum ex Hermesio congessit, inesse sententiam, quae apertum faciat, Hermesianae dubitationis vim et naturam omnino aliam esse atque Cartesianae. Adiungit Cartesius pag. 15.: „Nec tamen in eo Scepticos imitabar, qui dubitant tantum ut dubitent, et praeter incertitudinem ipsam nihil quaerunt. Nam contra totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem; et quemadmodum fieri solet, cum in arenoso solo aedificatur, tam alte fodere cupiebam ut tandem ad saxum vel ad argillam pervenirem.“ Proferat argumenta Perronius, quibus liquidum fiat, Hermesium dubitasse, ut dubitaret, non ut certum inveniret,

incertum a certo secerneret. Proferat argumenta aut mendacia revocet!

Transit a Cartesio ad recentiores philosophos, praesertim eos, qui in Germania prodierunt, quosque ipse nunquam legit, Kantium, Fichtium, Schellingium, Hegelium, alios. Quo facto demum regreditur ad Hermesium pag. 339: „ora eccoci finalmente ad Ermes." Paulo post inde a pag. 341 usque ad pag. 344 enumerat locos quosdam, e quibus intelligi satis superque existimat, Hermesium fuisse purum putum scepticum. Enumerat, inquam, hos locos, non perpendit, non explicat, non habet ullam rationem contextus, non considerat illud, quod maxime in censum venit, Hermesium ubique sermonem facere non de communi intelligentia, sed de altiori et perfectiori, quae κατ' ἐξοχήν appellatur scientia. Enumerat tantum, id unum praeterea agens, ut singula verba litteris cursivis aut maiusculis excusa compareant.

Primus locus, quem in suam rem vertit, hic est. Loquitur Hermesius de utilitate, quae ex perfecto systemate redundet. „Vel notissima, inquit, Theologiae dogmata etiam quasi velo obducuntur, verusque eorum sensus in obscuritate positus variaeque interpretationi obnoxius est, nisi unumquodque eorum intelligatur tanquam pars integralis perfecti systematis, et nisi hoc systema methodo inquirendi — id est ea methodo, quae opponitur vulgari methodo syntheticae — exstructum perque omnes dubii recessus perductum fuerit." Postrema verba Perronius litteris tum cursivis tum maiusculis imprimenda curavit: „**e non si facesse passare per tutti gli andirivieni del DUBBIO.**" At enimvero quid apertius est, quam Hermesium hic loqui de perfecta scientia theologica? Igiturne talis scientia parabitur sine perfecto systemate? poteritne perfectum systema exstrui, nisi omnes difficultates, omnes dubitandi causae, quae in singulis quibusque partibus occurrant, diligenter perlustrentur et ponderentur, id est, quemadmodum metaphorice ait Hermesius, nisi systema per omnes dubii recessus perducatur? Respondeant viri sapientes. Eiusdem omnino generis sunt alii loci a Perronio commemorati et e contextu orationis avulsi, veluti is, quem postremo affert et in quo plurimum momenti inesse videtur opinari. Est autem idem locus, cuius partem nos ipsi iam supra

exscripsimus. Agitur de via ac ratione, qua ad perfectam scientiam theologicam perveniatur. Agitur de modo, quo institui oporteat non multitudinem, non vulgus, sed eos homines, qui in dubitationes inciderint, eos etiam — et de his maxime sermo est —, qui aliquando futuri sint religionis magistri. Monet Hermesius, coram istis non celanda esse ea, quae dubitationem iniecerint aut iniicere possint, sed in medium proferenda, ut adolescentes litterarum studiosi ad perscrutandum, ad perfectiorem scientiam, quae superat dubitationes, studiose quaerendam impellantur, ut, quum tali scientia demum imbuti fuerint, possint omnibus rationem reddere, dubitantibus respondere, cum adversariis in arenam descendere, religionem idoneis armis tueri. Sed placet locum ipsum denuo apponere, et ita quidem, ut verba litteris cursivis aut maiusculis a Perronio scripta eodem modo significemus. Quidquid uncis inclusum est, id Perronius omisit. Hermesius igitur postquam commemoravit, se eis, quibus simile ingenium simile desiderium indiderit, velle libros suos consecratos esse, et maxime eis consecratos, qui olim ipsius auditores fuissent, sic pergit: „Spero me in his *simile desiderium atque illud quod erat in me*, — ***un bisogno simile al mio*** —, si non iam apportaverunt, excitavisse; [et cupio eis, ut desiderio satisfiat, adiumentum afferre scriptis meis, siqua in parte factum non fuerit ore [1])] Ne quis iudicet perversum esse, *desideria*, ***vel quod hoc loco idem valet***, ***D u b i t a t i o n e s*** — ***bisogni, o per dirlo col vero senso della parola, D u b b i*** — excitare,

1) Hermesius igitur non voluit tantum *excitare* desideria (bisogni), sed excitatis etiam *satisfacere*. Non id unum efficere voluit, quod optime suadet Cartesius, ut auditores discerent dubitare, atque hoc modo sentire, quam indigerent altiori scientia, sed etiam illud sequutus est atque eo impendit operam suam, ut discerent solvere dubitationes et difficultates quamlibet multas, ut discerent felicem ex iis exitum ipsi invenire, ut hac ratione, quum antea animi eorum sive multum sive parum commoti fuissent, eam sibi pararent securitatem, quae severioris studii et perfectioris scientiae pretiosissimus fructus est. Cur Perronius id unum commemorat, Hermesium voluisse excitare desideria? cur alterum, quod adiungitur, quodque verum finem Hermesio propositum declarat, silentio praetermittit?

tibi nullae sunt. [Praestet, ab aliis quibuscunque non sentiri desideria, quam his satisfacere non posse, in futuro Religionis magistro non ita se res habet [1]]. Hunc scire oportet, se nescire, ut eam scientiam, qua caret, studiose quaerat [2], hunc pervestigare oportet *omnes dubitationum recessus ad modum labyrinthi complicatos* — andare ***errando nel laberinto del dubbio per tutte le sue giravolte*** —, ut possit aliquando eos, qui dubitant, in omnibus eorum viis prosequi, [hunc oportet cum unoquoque adversario, et nostra praecipue aetate cum iis in arenam descendere, qui negant eorum, quae aliquando docturus sit, quidquam sciri posse, ne, dum illi irrident religionem, ipse obmutescat atque hoc modo iis, quos aedificare debet, scandalum afferat; hunc oportet omnia argumenta scrupulose perpendere, atque id omne, quod eiusmodi est, ut non unusquisque ratione utens assentiri debeat, secernere, ne aliquando et ipsius argumenta in ludibrium vertantur; immo hunc oportet penitus impleri veritatis sanctitate, nec quidquam pro maiori habere peccato, quam illud ore profiteri, quod in corde suo non credit, ut paratus sit veritati omnia sacrificare, atque etiam tum testimonium dare Iehovae, quum populus omnis ad Baalem festinat; hunc denique oportet id agere, ut perfectum habeat systema rel.]“ Habes locum illum famosissimum, in quo occurrit vox ***labyrinthi***, Perronio ita terribilis.

---

1) Primam huius periodi partem Perronius omisit, atque ut bene oratio procedere videretur, totum id, quod uncis inclusum dedimus, his verbis expressit: „hoc est necessarium in eo, qui *debet esse Religionis magister* — cio è necessario per chi *deve essere insegnatore della Religione.*“ Hermesius aperte distinguit inter duas hominum classes, quarum unam alteri opponit. Fatetur et ipse, in multitudine indocta non esse excitanda desideria, h. e. multitudinem non esse ita instituendam, ut coram ea dubitandi rationes expromantur: in iis autem, qui aliquando futuri sint doctores, rem contra se habere contendit. Cur Perronius primam partem omisit, in qua certe ad totam sententiam Hermesii accurate intelligendam aliquantum momenti inest?

2) Id est: hunc *conscium* fieri oportet, ad *veram* et *perfectiorem scientiam* se nondum pervenisse, ut oriatur in eo desiderium et quasi quaedam necessitas, quaerendi id, quod ipsi deest adhuc.

Habes locum, ex quo Perronius concludit, Hermesium ita vesanum fuisse, ut veritatem et scientiam poneret in labyrintho. O miserum, ne dicam malignum, interpretem Perronium! Ergone is qui monitu Hermesii omnes dubitationum recessus ad modum labyrinthi complicatos pervestigavit, ut rationem reddere, dubitantibus quasi comes esse ad eos liberandos, adversarios religionis refutare possit, credendus est non felicem e labyrintho exitum invenisse, sed in ipso etiam labyrintho circumagi? ergone is, qui didicit quidem dubitare, sed didicit etiam solvere dubitationes et argumenta incerta aut parum valida secernere a validis, credendus est in ipsa dubitationum voragine interiisse? ergone is, qui severiori studio et superatis quibuscunque dubitandi rationibus ita sibi persuasum habet de veritate, atque ita impletur sanctitate veritatis, ut paratus sit pro ea divitias, iucunditates, honores, vitam ipsam offerre, credendus est animum a veritate alienum habere aut arundinis instar huc illuc agitari ac purum putum scepticismum sequi? — — At enim Hermesius *excitavit* desideria iussitque futuros Religionis doctores *intrare* in labyrinthum ad omnes dubitationum recessus pervestigandos: hoc ipsum est, in quo cernitur perversitas methodi Hermesianae. Nolumus ad hanc obiectionem diluendam repetere illud, quod iam ante diximus, ab Hermesio non excitari tantum desideria, sed etiam opem ferri ad satisfaciendum, viamque monstrari, quae felicem e labyrintho exitum aperiat; id potius quaerimus, quomodo is, qui multiplices dubitationum recessus non cognovit, satis paratus fieri possit ad eos, qui inciderunt in dubitationes, sanandos? Deinde vero si crimini datur excitare desideria, id est excutere animos atque eo adducere, ut primum sentire discant nescientiam suam, tum quasi calcaribus additis stimulentur ad liberandos se ab hac nescientia et ad veram perfectamque scientiam sibi comparandam, si hoc igitur crimini dandum est, fateri debemus, Socratem optimo iure damnatum esse. Nam quis unquam magis excitavit desideria quam Socrates? Pleni sunt ea de re Platonis dialogi, plena omnium eorum testimonia, qui de Socrate tradiderunt. In Platonis Theaeteto Socrates sibi vindicat artem quandam obstetriciam, et mirabiles eius effectus satis copiose describit. Per hanc Socrates quaerendo et multiplices dubitandi rationes excitando, etiam in iis rebus, quae

maxime apertae viderentur, non solum effecit, ut ii, qui se scire crederent, quum longe etiam abessent a vera scientia, perplexi fierent et modeste de se sentientes 1), verum etiam, ut animi eorum, si quidem ingenii aliquid inesset, quasi praegnantes conciperent, ut idem eis accideret, quod parturientibus, doloribus ut angerentur et aestu complerentur (ἀπορίας ἐμπίπλανται) dies noctesque magis etiam quam illae. Per hanc et excitare dolores animorum et sedare potuit 2). Mirum non est quod Socrates, qui talem artem adhiberet paucis satis cognitam, multis molestam, incidit in ludibria, contemptum et persecutiones aequalium, quod

---

1) Theaetet. p. 143. C. Confer. Men. pag. 80. B., ubi haec ait Meno: „O Socrates, audivi equidem antequam tecum collocutus sum, te nihil aliud quam et ipsum dubitare, et ceteris dubitationem iniicere; et nunc, ut quidem mihi videris, praestigiis me decipis et fascinas et revera incantas, ut plenus dubitatione extiterim. Ac videris mihi prorsus, siquid cavillari decet, simillimus esse tum specie tum reliquis, latae illi torpedini maritimae; nam haec quoque cuique appropinquanti et tangenti torporem affert; et tu, videris mihi nunc idem intulisse, torporem; revera enim equidem et animo et ore torpeo, nec habeo quid respondeam tibi.“ rel. Adde Sophist. p. 230, ubi prisco et multis usitato instituendi generi, quod non tam in inquirendo consistat, sed in affirmando, dictando, diciturque νουθετητικόν, opponitur alterum genus in quaerendo positum et quaerendo mirificam quandam vim exserens. „Quaerunt (διερωτῶσι) de his, de quibus opinatur aliquis se dicere quidquam nihil dicens, deinde utpote vagantium opiniones facile explorant . . . . Illi (sc. qui hac methodo instituuntur) hoc videntes sibimet ipsi succensent, erga reliquos vero mansueti fiunt; atque hac iam ratione a magnis, quas de se ipsi conceperant, obstinatisque opinionibus liberantur, quae quidem omnium liberationum est et auditu iucundissima et ei, cui obtingit, firmissima (βεβαιότατα γιγνομένη). Etenim, mi care puer, qui illos purgant, quemadmodum corporum medici iudicant non prius pastu, qui praebeatur, frui posse corpus, quam, quae impedimento sint, ex eo quispiam eiecerit, ita etiam animum existimant non prius ex his, quae praebeantur, disciplinis utilitatem esse capturum, quam quis refutans refutatum ad pudendum induxerit eisque, quae disciplinis impedimento sint, opinionibus expulsis purum reddiderit et haec tantum, existimantem se scire, quae sciat, non plura.“

2) Theaet. pag. 150—51.

videbatur homo plane ineptus et ridiculus [1], quod audiebat sophista, quod arguebatur etiam esse corruptor iuventutis. Perronius — nam aperte dicendum est — qui methodum Hermesianam prorsus repletam artis Socraticae ingenio condemnat, Perronius, inquam, si sibi constanter agere volet, omnino accedere debet ad partes eorum, qui Socratem damnarunt. Excitavit desideria Socrates, excitavit etiam Hermesius. Causa utriusque plane similis est. Hermesium Perronius irridet et damnat. Num recusabit irridere atque damnare Socratem! Sed irridet Perronius damnatque illud, cuius vim et praestantiam prorsus ignorare videtur; certe in omnibus eius libris ne levissima quidem artis Socraticae vestigia reperiuntur.

Perronius ubi in eo est, ut argumenta ad suam de dubitatione Hermesiana sententiam confirmandam enumeret, plures etiam excitat locos, qui magis pertinent ad criterium certitudinis ab Hermesio positum. Eiusmodi ille est, quem in pauciora contractum ex praefatione Introductionis Philosophiae Perronius proponit pag. 342. Postrema verba, aliqua ex parte cursivis litteris a Perronio scripta, haec sunt: „**Dunque filosofó (Ermes) da se solo, fermo di *non ammettere nulla come reale o vero fin che potea dubitare*** — itaque philosophabatur, per se ipse, propositum tenens *nihil pro rato et vero habendi, quamdiu dubitare posset.*“ Ex eodem genere est locus a Perronio allatus pag. 343: „**E *in tutti questi lavori* ha adempito nel modo il più scrupuloso il proponimento *di dubitare* da per tutto che ha potuto e solo allora determinarsi definitivamente, quando potè dimostrare una *assoluta necessita della ragione* ad una determinazione cosi fatta** — Et *in his omnibus laboribus meis* religiosissime tenui propositum tam diu *dubitandi* [2]) quam fieri posset, ac tum demum aliquid certo (definitive) decernendi, ubi mon-

---

1) Theaet. pag. 149. B.: „Ne prodas me apud ceteros; fugit enim eos, me hanc tenere artem, isti vero, quippe nescientes, id quidem non dicunt de me, hoc autem, me esse ineptissimum (ὅτι δὲ ἀτοπώτατός εἰμι).“ — Confer in eandem rem Symposii locum insignem, qui extat pag. 221 in fine laudationis habitae ab Alcibiade.

2) Id est, tam diu non certo statuendi aliquid, tam diu abstinendi a certa rei decisione.

strare potui sic decernendi *necessitatem absolutam rationis* adesse.“ Utroque loco Hermesius indicat, quale sit ipsius iudicio criterium certitudinis: positum enim esse non in assensione qualicunque modo exorta, sed requiri *necessitatem* assentiendi *rationabilem* sive *ex ratione oriundam*, qua efficiatur, ut cum ratione (rationabiliter) dubitare non possimus. Propterea in praefatione Introductionis philosophicae (pag. VIII.) post locum superiorem a Perronio allatum illud admonet: ut ne in disquisitionibus, ad certam veri inventionem susceptis, vim ullam habere patiamur vel phantasiae imagines vel animi commotiones, quandoquidem assensio, quae huiusmodi causis excitatur, licet fortuito incidat in verum, tamen omni certitudine caret. — Magnam etiam offensionem dedisse Perronio videtur locus ab eo commemoratus pag. 343, in quo leguntur vocabula *tribunal rationis*. Videamus de contextu. Postquam professus est Hermesius: mihi certum factum est, esse Deum, esse vitam aeternam, christianam religionem esse divinitus revelatam et Catholicismum esse veram Christianismum, ita pergit: „propter ea etiam toto pectore exopto — et quis essem, si non exoptarem? — ut omnes homines eandem persuasionem suscipiant, ut eadem fide eademque spe mecum uniantur in uno Deo et in una catholica ecclesia filii Dei, Domini nostri Iesu Christi. Quanquam autem hoc meum optatum ex intimo corde fluit, laetitiaque mens mea exultat istiusmodi coniunctionem omnium cogitans: tamen in eo, qui nunc est, huius coniunctionis defectu longe abest a me omnis intolerantia adversus aliter sentientes, praesertim talis intolerantia, qualem contra Catholicos et hoc et superiore anno tam multi Protestantium, quum festum saeculare factamque eo tempore unionem inter Lutheranos et Calvinistas celebrarent, et ore et scriptis praedicaverunt, qualem *Boysenius*, consiliarius ecclesiasticus — ut uno tantum exemplo utar — in 95 *antithesibus* non uno loco declaravit.“ (Sequuntur hic theses nonnullae in catholicam ecclesiam iniuriosissimae; quo facto Hermesius haec verba adiungit:) „Talis, inquam, intolerantia, addere etiam licet, talis ignorantia systematum, quibus addictae sunt aliae confessiones christianae, in me non deprehendetur. Nunquam ego, me ipsum scilicet abiecturus, conviciis utar, neque ab his rei ad defendendum susceptae victoriam expectabo. Quan-

quam id parum est! nunquam ego, qualicunque demum ratione, dum meam fidem doceo atque defendo, existimationem illam, quae aliorum fidei debetur, violabo. Siquis per viginti amplius annos continuo elaboravit ad persuasionem parandam solideque probandam coram tribunali rationis, et siquis in hoc negotio tot vias a vero deflectentes et interdum tam fallaces deprehendit: tollitur omnis fastus [1]) et omnis tumor, qui fons intolerantiae est,

---

1) Pro „tollitur *omnis fastus*“ Perronius ita scribit: si dilegua in lui *ogni oscurità*“. Adeone vanum et fatuum hominem credamus Hermesium fuisse, ut praedicaret de se, factum esse 20 annorum studiis, ut tolleretur in ipso *omnis obscuritas*, ut nihil reliquum esset ad indagandum, aut clarius intelligendum? Hermesii verba haec sunt: „so verschwindet *aller Duenkel*“. Non vidit, qui ea verba latine conversa Perronio suppeditavit, fidissimus sane pragmaticus, paulum inter se differre *aller Duenkel*, id est *omnis fastus s. nimia de se ipso opinio*, et *alles Dunkel*, id est *omnis obscuritas*. Non vidit, vocabulum *Duenkel* una littera differre a *Dunkel*; non vidit, prius vocabulum esse masculini generis et propterea Hermesium scripsisse *aller*(s) *Duenkel*, posterius vero esse neutrius generis, ut dici non possit *aller Dunkel* sed dicendum sit *alles*. — Paulo ante, ubi nos cum Hermesio dedimus: „tot vias a vero deflectentes et *interdum (mitunter)* tam fallaces“, Perronius vel potius fidissimus eius pragmaticus suppressit voculam *interdum*; nam ita ille vertit: „dei tanti sutterfugi che v'ha et tanto ingannevoli.“ — Longum est enumerare omnia, quae e Germanico aut parum accurate aut pessime in latinum conversa Perronius profert; sed unum tamen exemplum adiungere placet. Hermesius in Introductione philosophica pag. 81 (ex 2da edit.) *veritatis* notionem ita definit, ut positam esse dicat in „convenientia (s. consensu) cognitionis cum re cognita“. Reprehendit recentiores quosdam philosophos, id est autem potissimum scepticismi et idealismi fautores, qui hanc veritatis notionem missam fecerint. Monet, eam omnino retinendam esse, non tantum quod sola cum communi loquendi usu conspiret, sed maxime hac de causa, quia *veritas* illo sensu accepta habeat, quod uniuscuiusque hominis intersit, quum e contrario nihil habeat, quod intersit, si alium sensum ab illo essentialiter diversum posuerimus. Deinde Hermesius occurrit obiectioni. „Ipsa illa, inquit, obiectio, fortasse indissolubilis: impossibile esse hominibus, qui immediate non possint comprehendere cognoscendi obiecta, usque eo perducere cognitionem suam, ut ad istam, quae proprie non differt ab obie-

efficiturque ut animum tolerantem habeas erga omnes.“ Perronius ut quasi digito monstret, ubi lateat venenum in hoc loco,

---

ctiva idearum nostrarum realitate, veritatem pertingat — propter rationes commemoratas non potest id momenti habere, ut huic veritati renuntiemus, sed potius movere nos debet, ut circumspiciamus numqua alia via et quatemus de illa (veritate) certos nos reddere possimus“. Nimirum illi philosophi, qui veteri veritatis notione repudiata novam substituerant, volebant defendere istam mutationem. Urgebant illud, homines, prouti a natura comparati essent, non posse immediate comprehendere obiecta cognoscendi, non posse quidquam, quod a subiecto diversum poneretur, cognoscere ipsum atque in sese, sed tantummodo per media subiectiva, per ideas subiectivas, proinde cognitionem humanam his ideis subiectivis contineri. Sic eas res, quae sensus excedere dicerentur, non cognosci nisi per medium idearum, quae a mente nostra informarentur ac sua vi essent subiectivae; sic etiam eas res, quae corpora vocarentur, non cognosci nisi per medium sensuum et per ideas sensuales subiectivas, quarum origo et qualitas ex parte saltem derivanda esset ex facultate nobis ipsis innata; in utroque igitur casu cognitionem humanam contineri ideis subiectivis, neque fieri posse, ut sepositis ideis nostris ad cognitionem rerum ipsarum, quae et quales essent, pertingeremus. Ex quo concludebant, omnem etiam certitudinem esse subiectivam, ita quidem ut non egrederetur ultra ideas nostras, fieri nulla ratione posse, ut de obiectiva idearum nostrarum realitate certi redderemur; veterem igitur veritatis notionem repudiandam et in eius locum aliam substituendam esse. Respondet Hermesius: utut se habeant praemissae illius argumentationis, conclusio praepropera est. Sumserunt illi philosophi, nam hoc est, quod Hermesius sibi vult — sumserunt, sub ea tantum conditione, si cognitio nostra pertingeret ad res ipsas atque in sese, id est, si immediate comprehendere nobis liceret obiecta cognoscendi, ad certitudinem de obiectiva idearum nostrarum realitate perveniri posse. At sumserunt hoc suo iure; neque eam ob causam, quod cognitio humana fortasse non pertingat ad res in sese, repudiare debemus veterem notionem veritatis, sed quaerere potius, numqua alia via et quatenus de obiectiva idearum nostrarum realitate nos certos reddere possimus. — Iam quid Perronius ad haec? Primum non videtur vim intellexisse neque obiectionis ipsius, neque responsi ab Hermesio dati. Deinde textum corrumpit. Hermesius non dicit, illam obiectionem esse indissolubilem vel quasi indissolubilem, sed mittit

qui nostra sententia honorificentissimum Hermesii de se ipso testimonium continet, verba illa: „siquis per viginti amplius annos

---

hoc utpote alio loco pertractandum, et propterea dicit: „ipsa illa obiectio, *fortasse* indissolubilis (*vielleicht* unwiderleglich)". Quicunque germanice scit, non potest non scire, vocabulum *vielleicht* idem significare quod *fortasse*, non *quasi*. Perronius tamen edidit *quasi*, ac deinde irridet Hermesio. Audiamus ipsa Perronii verba pag. 346—47: „*Quid est veritas?* interrogat Hermesius, dum belle incipit suam philosophandi operam (sul bel principio del suo filosofare), et respondet sic: „„veritas est consensio cognitionis cum cognito"": sed adiungit huic definitioni opponi posse „„l'obiezione *quasi ineluttabile*, che non potendo gli uomini asserrere immediatamente gli oggetti del loro conoscere, è impossibile che la conoscenza loro giunga mai al conseguimento di tal veritá, la quale in fondo è identica con lá realtá delle nostre rappresentazioni (idee)."" Ut dicam quod res est, vox ista *ineluttabile*, vox ista *insolubile* (unwiderleglich), in ipso huius templi philosophici atrio scripta, fatalis inscriptio est, quae tibi clamat: „ „Uscite di speranza o voi che intrate — discedite de spe o voi qui intrate —"" fore ut unquam in hac regione inveniatis veritatem *realem* et *obiectivam*. Verum tamen continuo nos erigit vox illa *quasi*, quae ibi affixa est, et hoc, quod adiungit Hermesius: oportere hanc ipsam ob causam nos videre, *num* et *quatenus* possimus alia ratione nos certos reddere de hac veritate, che per ciò appunto dobbiamo vedere *se* e *findove* possiamo noi in altra guisa assicurarci di quella verità". Haec Perronius. Quemadmodum initio loci pervertit Hermesii sententiam, ita etiam in fine, et quidem voculis illis *per ciò appunto, hanc ipsam ob causam, propter hoc ipsum*". Nam si Perronium legeris, qui partem loci Hermesiani suppressit, dixeris significari „propter id ipsum, quia obiectio illa quasi indissolubilis sit". At Hermesius hoc neque voluit, neque scripsit. Verba eius haec sunt: „Ipsa illa obiectio, fortasse indissolubilis . . . . *propter id quod dictum est (um des Gesagten willen)*, id est *propter rationes supra commemoratas* non potest id momenti habere, ut etc." Respicit Hermesius rationes, cur vetus veritatis notio retinenda sit, iam supra ab eo propositas, priusquam ad mentionem obiectionis faciendam progrederetur. Erant autem duae rationes: prima, quia haec notio cum communi loquendi usu conveniens esset; altera, quia veritas hoc sensu haberet, quod hominis interesse posset. — Vide iam, candide lector, quomodo Perronius

continuo elaboravit ad persuasionem parandam solideque probandam coram tribunali rationis", partim cursivis partim maiusculis litteris impressa exhibet: et maiusculis quidem voces: *tribunali rationis*, cursivis autem voces: *ad persuasionem parandam*, non item proximas voces: „solideque probandam", quae saltem non minorem vim habent et coniunctim cum prioribus accipi debent. Num quid igitur reprehendendum est, quod Hermesius per tot annorum spatium continuo elaboravit tum ad parandam tum ad paratam persuasionem solide probandam? nonne docti theologi est, totam vitam suam eo impendere, ut argumenta, quibus nititur persuasio de veritatibus theologicis, magis magisque illustria fiant, et robur eorum ad has ipsas veritates

---

omnia detorqueat, pervertat, corrumpat. Et tamen hic idem Perronius audet Hermesium comparare cum Pilato! Hermesius veri amans fuit, idque huic acerrimi etiam adversarii tribuerunt, Perronius, quemadmodum demonstravimus et novis argumentis demonstraturi sumus, veri amans non est, ut, si quaereremus, uter eorum iure cum Pilato comparari posset, facilis responsio foret. Et nonne is, qui systema philosophicum exstruere ingreditur, a principio definire debet, quid intelligat per veritatem? Habetne igitur Perronius, quod in Hermesii definitione reprehendat? Si nihil habet, cur virus suum effundit? — Deinde scire velim ex Perronio, quid tandem ipse responsurus sit ad obiectionem ab Hermesio commemoratam. Concedet, opinor, quod sane concedendum est, si non omnia saltem pleraque obiecta, eaque praecipua, ut Deum, ut ipsas substantias rerum naturalium non posse immediate comprehendi, id est non posse cognosci nisi per medium quoddam. Iam si quaeritur, qua via ac ratione certi reddamur de talium cognitionum veritate obiective et proprie sic dicta, omnino ad immediatam comprehensionem sive ad eam cognitionum virtutem, qua ad obiecta ipsa et in sese pertingamus, provocare non licet. Quid inde efficitur? Alterutrum fateri debemus: aut nulla hic certitudo de veritate obiectiva comparari poterit, aut, si poterit, necesse est, ut alia via sit ad eandem perducens. Hermesius hoc alterum ponit. Hinc retinendam esse monet veterem veritatis notionem, videndumque, num qua alia via et quatenus, etiam sine immediata comprehensione ad certitudinem de veritate sensu usitato pervenire possimus. Perronio si aliud respondendum videtur, non equidem intelligo, quomodo scepticismi et idealismi laqueos effugere queat.

probandas ac tuendas magis magisque in lucem collocetur? At provocavit Hermesius ad *rationis tribunal*, ad *rationem iudicem.* Quid? num ignorat Perronius, quod praestantissimi omnium aetatum theologi docuerunt, non esse credendum, nisi *ratio* credendum esse iudicaret? num ignorat, quod ipse Sanctissimus Pater Gregorius XVI declaravit (vid. Acta Romana pag. XXIII): „*ratio* nos ducit ad revelationem; quo facto ipsa sese revelationi subditam praestat?“ an vero, si unaquaeque earum confessionum, quae profitentur christianum nomen, sibi vindicat veram doctrinam a Christo et ab apostolis traditam, ut necessario quaerendum sit, cui assentiri debeamus ex partibus admodum diversis et inter sese discrepantibus, non erit in hac quaestione consulenda et audienda ratio? Ostendat igitur Perronius, si potest, Hermesium eum esse, qui alias rationi partes tribuat in religionis negotio, quam ceteri fecere theologi, quorum orthodoxia minime suspecta est. Num forte Hermesius tanta confusione laborat, ut rationem faciat *fontem* doctrinae christianae? num illud postulat ad fidem prudentem, ut ratio *perspiciat* et evidenter intelligat *res ipsas* divinitus revelatas? Minime omnium; neque enim id inest ullo pacto in locis a Perronio allatis, et plane contrariam sententiam Hermesius sexcenties propugnat atque inculcat verbis gravissimis. Ostendat igitur Perronius — nam iterum iterumque expostulandus est —, Hermesii sententiam de rationis usu in rebus theologicis differre a sententia probatissimorum theologorum, ostendat etiam, si potest, a Dmowskio, collega suo, non idem plane, quod Hermesius docuit, doceri et evulgari sub oculis Sanctissimi Patris, Eminentissimorum Cardinalium ipsiusque ordinis reverendissimi, cui Perronius adscriptus est. Nam Dmowskius, vir doctissimus, in praelectionibus philosophicis nuper editis [1])

---

1) Totus libri titulus hic est: Institutiones philosophicae, auctore Ioseph. Aloysio Dmowski, e Societate Iesu, in Collegio Romano Philosophiae Moralis Professore. Vol. I. continet institutt. Logicae et Metaphysicae generalis. Vol. II. continet institutt. Metaphysicae specialis. Vol. III. continet institutt. Philosophiae Moralis. In Uden, sumptibus G. N. Verhoeven, Bibliopolae. Lovanii, typis Vanlinthout et VandenZande, Universitatis catholicae typographorum. Praefixa est singulis voluminibus approbatio F. D. *Buttaonii,* Ord. Praed. S. P. A. Magistri, et F. B. *Pauwelsii,* Vic. Gen. Mechliuensis.

Vol. I. pag. 76 ita scribit: Quomodo poterimus assentiri revelationi divinae aliquid manifestanti, si certi prius non sumus, hanc esse revelationem divinam, nobisque incumbere onus (officium voluit dicere) eidem assentiendi? Quomodo poterit dici actus noster, quo assentimur, prudens, si in nullo prorsus certo rationis nostrae dictamine fundetur?" Si Dmowskio enuntiare licuit, ad prudentem fidei assensionem requiri, ut certum *rationis* dictamen pro *fundamento* habeat, cur Hermesio idem enuntiare non liceat? Perronius, si sibi constare volet, damnare etiam Dmowskium debet, collegam suum, damnare Buttaonium, virum gravissimum eundemque s. Palatii apost. Magistrum, qui Dmowskii libros approbavit, damnare Praepositos Dmowskii, qui tale quidquam ab eo tradi atque in vulgus emitti patiuntur. — At Hermesius generale criterium certitudinis statuit esse *necessitatem* aliquam e ratione oriundam, qua efficiatur, ut omnino assentiendum sit, ut dubitare non possimus, nisi ab ipsa ratione deficiamus. Quasi vero is, qui *potest* etiam *cum ratione* dubitare aut cohibere assensum, vere certus esse et effugere periculum errandi queat. Rectissime igitur Hermesius; et propterea etiam praescribit, ut docti homines, quorum praecipue est incerta a certis secernere, non praetermittant quascunque dubitandi causas, sed diligentissime investigent atque perlustrent, tum vero secundum rationis principia severissime examinent: nam his demum mentis actionibus planum fiet, utrum ullius an nullius momenti sint ea, quae moverunt aut possunt movere dubitationem, sitne proinde annon sit dubitationi ullus locus cum ratione relinquendus. Ceterum facile intelligent viri sapientes, criterium certitudinis ab Hermesio positum, quemadmodum usu venit in quaestionibus ad veritates naturales pertinentibus, sic etiam usu venire in quaestionibus, quae vel ad factum revelationis pertinent vel ad singula dogmata divinitus revelata, neque tamen ex eo, quod ad posterioris generis quaestiones applicetur, ullo modo concludi posse, rationem ab Hermesio considerari ut fontem Theologiae christianae. Sed quorsum haec, ubi cum Perronio res est? Sufficiet contra eum rursus in scenam adducere ipsius collegam. Idem ille Dmowskius, philosophiae moralis in collegio Romano Professor, in volumine I. Institutionum suarum satis copiose pertractat quaestionem de certitudinis ultimo motivo,

norma, regula, criterio. Unicum dicit hoc esse criterium et generale, ut ad omnes cognitiones, sive ex hoc sive ex alio fonte manaverint, applicari queat. Ponit autem in evidentia. Per evidentiam tamen non intelligit id, quod vulgo intelligitur, non claritatem et perspicuitatem cognitionis, sed tale quidpiam, quod plane conspirat cum criterio certitudinis ab Hermesio posito. Quod ne temere dicere videamur, placet complures locos exscribere. Pag. 40. l. c. sic scribit Dmowskius: „In *evidentia,* iuxta communiorem et veriorem philosophorum doctrinam, generalem hanc veritatis normam reponemus; prius tamen, ut difficultatibus aditus praecludatur, evidentiam in concreto spectando, nihil aliud esse dicimus, nisi *naturalem rationis nostrae dispositionem, qua fit, ut positis quibusdam adiunctis (seu dato, quod media naturalia certitudinis rite adhibuerimus)*, *ad sic et non aliter iudicandum cogamur, nisi ipsi rationalitati nuntium remittere velimus.* Ibid. in nota haec leguntur: „Hinc colliges, evidentiam nostram in actu consideratam, consistere in reflexa rationali coactione, s. melius *convictione* (italice *convincimento*) de realitate certitudinis acquisitae (quam *convinctionem* certe non experimur, licet evidentiam in causa, seu naturali dispositione, habeamus, nisi reflectendo ad nos et adiuncta, in quibus versamur).“ Et pag. 42.: „Omnium, qui de hoc motivo statuendo disputant, iudicio, homo vi rationalis suae naturae in certam veri cognitionem tendit. Debet igitur habere tale ultimum motivum s. regulam, quae intellectum ad assentiendum invincibiliter cogat, quae sit ipsi immediate applicata et probatione non egeat.“ Et pag. 43.: „Per evidentiam non intelligimus claritatem quandam in mente nostra vel in rebus ipsis, unde res etiam in se obscurae dici possunt evidenter certae, quotiescunque talia motiva eas comitantur, ut animus ad sic et non aliter iudicandum saltem moraliter cogatur, omnisque erroris et dubii de opposito periculum excludatur. . . . Ad certitudinem gignendam sufficiunt rationes etiam extrinsecae assensum extorquentes, sicut accidit circa plures quoque naturales veritates, et circa fidei nostrae mysteria, ad quae admittenda non *physice*, sed *moraliter,* scilicet *si prudenter agere velimus,* cogimur per extrinseca credibilitatis motiva, quae moralem proprie dictam certitudinem praebent, suadentque quidem rem ita esse, obscuritatem tamen in-

trinsecam non minuunt" [1]. Et pag. 45.: „Qui errores defendunt, poterunt quidem mala fide dicere, se a ratione impelli ad sic iudicandum, ut veram rationalitatis coactionem non experiantur, neque proinde fides ipsis adhibenda est, dum rationes ostendunt contrarium verum esse." Videmur iam nobis attulisse satis locorum. Ostendat igitur Perronius, si potest, qua re differat Dmowskii sententia ab Hermesio. Dmowskius in eo quidem non est nostro iudicio laudandus, quod evidentiam differre dicit a claritate et perspicuitate: nam ubicunque aliquid clare et perspicue videmus sive cognoscimus, ibi hanc ipsam ob causam et hanc unam ob causam adesse dicitur evidentia, contra vero haec abest secundum communem loquendi usum, ubicunque rem aliquam non clare et perspicue videmus. Quanquam facile intelligitur, non de nomine hic agi, sed de re. Hanc si spectaveris, omnino consentit cum Hermesio Dmowskius. Damnet igitur Perronius etiam collegam suum, damnet eos, qui Dmowskii librum approbaverunt, damnet Praepositos Dmowskii, qui sententiam perniciosissimam divulgari patiuntur. Atque hoc idem, quod faciet Perronius, si sibi constare volet, faciendum est ab iis omnibus in Germania viris, qui adversus necessitatem ab Hermesio acriter vindicatam in quaestione de certitudine cognitionum nostrarum tantos clamores excitarunt aut etiam nunc excitare pergunt. Sic nuper in Ephemeridibus politico-historicis, quae Monaci prodeunt *G. Phillipsii* et *G. Görresii* opera, extitit philosophus, qui ad persuasionem quamcunque efficiendam nihil omnino necessitati ex ratione oriundae tribuendum, sed omnem persuasionem ex libertate, ex libero voluntatis delectu derivandam esse studiosissime contendit (Historisch-politische Blätter für das katholische Deutschland. Siebenter Band. Sechstes Heft. München 1841.), ad commendandam vero hanc novam theoriam a se delineatam, pag.

---

1) Adiungit Dmowskius: „Ex eo etiam aliquatenus colligit, quomodo actus fidei sit liber, et remaneat sub imperio voluntatis." Pari modo Hermesius in quaestione de fidei libertate. *Moralis* necessitas assumsionis seu fidei adhibendae non tollit libertatem actus, quo fides adhibetur, neque is, qui argumentis demonstrat, adesse necessitatem moralem fidei adhibendae, hoc efficit, ut fides cesset esse actio libera.

351 argumentum petit etiam a litteris apostolicis, quibus Hermesii opera in indicem relata sunt, dicitque, Hermesianum illud principium, quod ad certam persuasionem requirit necessitatem ex ratione oriundam, ab ecclesia ipsa apertissime damnatum esse. Quid inde efficitur? Nimirum si in Hermesio illud principium damnavit ecclesia, damnavit idem principium in Dmowskio. Ergo illi, qui Dmowskii libros approbaverunt, qui eos in vulgus edi permiserunt, et ipsi damnandi sunt, idque eo magis, quum contra apertissimam ecclesiae declarationem peccaverint. Vides, quorsum causa evadat! Vides, quales ecclesiae amici sint, qui Hermesium et Hermesianos tantopere insectari non desinunt!

Sed quoniam de illis loquimur quae Perronius in *Articulo primo* contra Hermesium eiusque discipulos scripsit, illa omittamus. Nam in toto hoc *secundo Articulo*, in quo iniquissimus Censor de placitis philosophicis Hermesii disputavit, vix quidquam quod rectum et verum sit posuit; quare novum volumen a nobis efficiendum erit, ut gravissima peccata ipsius penitus refellantur et veritas in omni quaestione explicetur.

Argumentum Ontologicum. Ab Hermesio reiicitur. Etiam a S. Thoma Aquinate reiectum est. Perronius nescit quae Romae docentur. Quam amanter tractet Seberum et Kleeium.

Nimis diu fortasse in iis immorati sumus, quae duobus capitibus antecedentibus exposita sunt: operam igitur dabimus, ut quae sequuntur arctioribus terminis includamus. Perronius ita scribere pergit:

„Professum esse Hermesium, se argumenti ontologici, quo Deum esse demonstretur, falsitatem intellexisse ex libris philosophicis et theologicis Benedicti Stattleri, cuius operum magna pars, quod neminem lateat, in Indicem librorum prohibitorum relata sit.“

Ecce argumentum ontologicum ab Hermesio reiicitur! Quam horribile omnibus iis, qui adhuc argumentum ontologicum tenuere! Nondum est satis: „Hermesius hoc argumentum invalidum esse intelligit ex libris Stattleri, quorum magna pars, ut cognitum cuique, in Indicem librorum prohibitorum relata est!“ Num seges tam pestifera, hoc enim indere legentium animis Per-

ronius intendit, qualem continent Stattleri opera, nisi malas fruges proferre potuit?

Sed dicas mihi, Perroni, nihilne unquam didicisti ex libris in Indicem relatis? Nihilne tu ex Institutionibus *Wegscheideri* didicisti? Si hoc in te crimen non est, cur tandem Hermesium in suspicionem adducis, qui, si quidem tu vere retulisti, nihil fecit, nisi quod tu etiamnum coram oculis omnium facere non intermittis? Sed interim ignorantiae nostrae te ignoscere velim! In Germania enim non *cognitum cuique* est, *magnam partem* operum Stattleri in Indicem librorum prohibitorum relatam esse, neque, opinor, cuivis in Italia cognitum est, quippe quum cognitum esse non possit. Etenim, vir doctissime, plane falsum est, magnam partem operum Stattleri in Indicem relatam esse. Stattlerus triginta amplius opera conscripsit, et quinque ex omni numero in Indice sunt. Quinque autem magna pars de triginta non est. Omisisti igitur hac in re haurire ex istis tuis *fidis fontibus*, aut iniquam Stattleri imaginem legentibus producere voluisti, ut suspicioni in Hermesium excitandae vim adderes. Atque hoc tanto magis reprehendendum est, cum in lectoribus, quibus tu scripsisti, Italos dico, pauci tantum sint, qui Stattleri libros et fata cognoverint. Quodsi Hermesius intellexit, *invalidum esse argumentum ontologicum* demonstrandae exsistentiae Dei, num hoc peccatum est? Si est, Perronius saltem, validum esse illud argumentum, ostendere debuit, demonstrare debuit, vanas esse obiectiones ab Hermesio in hoc argumentum prolatas. Sed hoc ille non fecit, propterea quod non potis est. Pauca sufficient ad lectorem, cui ratio huius rei minus cognita est, ita instruendum, ut ipse iudicare possit.

Argumentum ontologicum quod vocatur nihil est nisi argumentum ex mera idea desumptum. Totum enim ex Idea Absoluti iam parata et in animo abscondita ducitur. Hoc quod videtur argumentum ex notionibus ductum fieri adornarique potest, propterea quod a Christianis affertur, qui fidem suam, unde iam sciunt, esse *ens absolutum* et *perfectissimum*, argumento philosophico substituunt. Sed hoc sine dubio neque recte fit neque docte. Contra Hermesius aliud exsistentiae Dei argumentum, et quidem mere philosophicum proposuit, h. e. eiusmodi quod esset *praeambulum fidei*, ut Perronii verbis utar, quodque quae fides

suggerit non clam arcesseret. Sed quod ad hanc quaestionem attinet, duo theologorum genera distinguenda sunt. Alteri eorum, in quibus Seberus, Kleeius, alii, aperte pronuntiant, Deum esse argumentis probari nec posse nec deberi, et in eos etiam Perronius pugnat. Alteri *inscii et inviti* Dei Ideam revelatione acceptam argumento philosophico admiscent eoque sese ipsi decipiunt. In hanc alteram argumentandi rationem Hermesius pugnat. Sed hoc ontologicum argumentum, quod Hermesius suo Marte sine Stattleri auxilio impugnat, mere logicum est, ut ante diximus, nec nisi meris ideis (notionibus) continetur atque conficitur. Hermesii autem argumentum ita comparatum est, ut non consistat in meris ideis, vim metaphysicam habet, neque ad ideas tantum sed ad ipsam *exsistentiam* rerum pertinet. Inde Hermesii metaphysica Kantianae contraria, inde eius argumentum ab ordinibus rerum naturalium petitum, quum Kantius non haberet, quo ad Deum ultra rerum ordines perduceretur. Quodsi Hermesius, iterum hoc dictum volumus, firmius exsistentiae Dei argumentum, quam est argumentum ontologicum, invenit aut invenisse sibi videtur, num qui ob hoc reprehendatur dignus est? Oppugnent argumentum eius, si qui possunt, sed ipsum in suspicionem adducere, id minime decet.

Sed quid tandem de Perronii doctrina vel probitate animi existimabimus, ubi cognoverimus, argumentum ontologicum pluribus saeculis ante Hermesium oppugnatum esse et reiectum! ubi cognoverimus, ab ipso Thoma Aquinate hoc argumentum saepius oppugnatum esse! Conferatur eius *Summa Theolog.* I. 1. Qu. 2. Art. 1. *Contra Gentiles* l. 1. c. 11. Nemo s. Thomam in suspicionem adduxit propterea, quod hoc argumentum reiecit; neque rursum Gregorius de Valentia aliique pii et docti viri in suspicionem adducti sunt, quod et ipsi plura argumenta reiecerunt, quae s. Thomas ad probandam exsistentiam Dei proposuerat. Perronius certe quidem scire debebat ea quae docuit s. Thomas; eo magis hoc exspectare possumus, cum ipse in *Praelectionibus Dogmaticis* [1]) auctoritati s. Thomae tantum tri-

1) „Vix theologum dixeris", Perronius scribit tom. I. p. IX. praefationis, „qui ipsius (S. Thomae) opera, *summam* praesertim et libros *contra gentes* non legerit ac pervolutaverit. Nostra studiorum

buerit. Sed quid sciat Perronius? ne illud quidem scit, coram ipso sanctissimo Patre Gregorio XVI licere, argumentum ontologicum exsistentiae Dei impugnare et reiicere. Hoc qui certo scire cupit, legat is *Institutiones Logico-Metaphysicas* a *Bonellio* editas, quo libro ille et subtiliter et dilucide disputantis partes egregie tuetur, quae adprobatione Romana commendatae a. 1837 [1]) iterum Romae prodierunt. Hunc librum auctor in praelectionibus, quas Romae habet, ducem sequitur, ibique in tom. II. sect. 1. cap. 2. planis verbis docetur, *argumentum ontologicum nihil valere.* Si Perronius hoc ignoravit, quid dicemus de eius eruditione? Sin cognitum fuit, quid dicemus de eiusdem animi probitate? Utrumlibet statuerimus, malus animus Perronii denuo comparet, cum animadverterimus, a Sebero, a Kleeio, aliis, non tantum argumentum ontologicum, sed *omnia exsistentiae Dei argumenta* reiici, immo etiam ab his viris confidenter declarari, *non posse* exsistentiam Dei per rationem demonstrari. Et tamen quam leni animo affectum Perronius sese praestat erga Seberum et Kleeium, imprimisque erga Kleeium, quem vel tunc *virum pium et doctum* appellat, cum is proxime ante propositionem haeresim sapientem produxit et probavit!

Hermesius praeceptor in Gymnasio Monasteriensi. — Perronius adversus eum suspiciones movet. — Vita intra fidem. — Vita extra fidem. — Hermesii concio Paschalis. — Specimen praeceptorum, quae Hermesius in gymnasio Monasteriensi tradidit.

Antequam Hermesius sacerdos consecratus erat, munus praeceptoris in Gymnasio Monasteriensi a. 1798 accepit. Esserus, qui vitam eius scripsit, dicit, ad hoc munus illum „ea fide et religione, eo sui commodi contemptu accessisse, quibus per omnem vitam atque omnibus in rebus conspicuus fuisset.“ Alius vitae scriptor, Clemens Augustus de Droste, qui discipulus in eo Gymnasio ab Hermesio institutus est, summa admiratione virtutes

---

ratio theologiae professores iubet eum ut doctorem proprium habere (reg. 2. prof. Theol.)“

1) Institutiones Logico-Metaphysicae Aloisii Bonellii, presbyteri Romani. Editio accuratior et emendatior. Romae MDCCCXXXVII.

eius in erudienda iuventute prosequitur. Verba ipsa tam egregie Hermesii indolem pingunt, et tam luculenta veritatis signa impressa habent, ut digna videantur quae huc transscribantur:

. „Triginta annos tunc natus erat, subpallidus quidem multis lucubrationibus, sed iuvenili decore et statura venerabili. Memoria teneo, me matri meae, quum primum e schola domum redieram, studiosissime narrare, quantopere me moverint oculi praeceptoris nostri vigore plenissimi. Sane ex ipsius oculis, colore subnigro, forma satis ampla, tanta et lenitas et severitas et laetitia et vis animi relucebat, ut vultum figens omnes scholae discipulos subito obstupefaceret, et plerosque, ut ita dicam, oculis moderaretur. Nulla autem oblivio ex memoria paucos annos delebit, quibus mihi contigit, ut eo duce studiis in gymnasio operam darem. Equidem, cum deinde et alios praeceptores audirem, et ipse mox per tres annos et dimidium officio praeceptoris in eo gymnasio fungerer, saepeque consilium eius percontarer, tam penitus quam vix ullus alius hanc incomparabilem praecipiendi facultatem perspicere et admirari potui. Omnia nos discipuli ipsi agere nobis videbamur, et docere et invenire, omnes aemulatione et studio et opera sine intermissione compellebamur, et quoquo accessit Hermesius, singulare eius ingenium, ad inveniendas res aperiendasque veritatis vias natum, excelluit et sensim sensimque ne pueros quidem latuit. Sed maxime eius virtus in eo cernebatur, quod discipulos ita ducebat, ut ipsi indagarent et invenirent, ut ex iis etiam, qui valde rudes essent dummodo mentis facultate praediti, cognitiones quasi eliceret. Fortasse nemo mortalium methodum erudiendi quam vocant Socraticam illo magis tenuit et adhibere melius potuit. Ad haec disciplinam exactissime tuebatur et ne minimam quidem turbam patiebatur. Ut totius classis discipulos continua animi intentione occupatos teneret, in omni litterarum genere, quod eo duce tractabatur, hoc officium praescripserat, ut, sicubi aut discipulus aliquis, qui verbi causa veterem auctorem interpretaretur vel mathematicam demonstrationem perageret, aut ipse (hoc enim saepe de consulto faciebat) vitium admisisset, statim ceteri consurgerent, ut vitium corrigerent. Nemini eorum, qui surrexissent, loqui licebat, donec interrogaretur. Sed vae illi, qui vitium non animadverteret, ubi Hermesius exspectasset

animadversum iri. Brevis quidem erat reprehensio, sed tam severa et acris, ut plerique acerbam poenam maluissent. In universum magnopere eum verebantur discipuli, at simul intime eum amabant; nam iis, qui diligentes et probi erant, verissimum Hermesius amicum se praestabat; qua quidem in re plurimum valuit mirifica quaedam cura, quo omnes vitae casus, etiamsi aliis contigerant, usque ad mortem prosequi solebat. Ceterum et in discipulis moderandis et in rerum tractatione sequebatur rationem, tam mature perpensam et per omnia cohaerentem, ut nullum, prope dixerim, verbum proferret, nullum gradum faceret, cuius rationem reddere non posset, ut tota eius in gymnasio institutio tamquam exemplum esset ex animi humani legibus perfectissimum et in omnibus maxime consentaneum.“

Idem hoc sentiunt omnes, qui ab Hermesio in gymnasio *instituti sunt*. *Nunquam* tota Germania adversus eius disciplinam in gymnasio traditam reprehensio exstitit, nunquam auditum est, illum quidquam peccasse, sive res ipsas ab eo traditas sive rationem docendi spectaverimus, nunquam auditum est, opiniones impias ab eo disseminatas esse. At vero nunc, annis quadraginta post quam Hermesius ad illud munus accersitus est, subito Perronius exoritur, et in turpissimam suspicionem illius viri mores adducit. Quippe scribit: „Tali rerum statu,“ h. e. eo animi habitu, quo Hermesius dubitaverit de Dei exsistentia,“ professoris munus anno 1798 ei in gymnasio Monasteriensi demandatum esse.“

Quis non intelligit, Perronium id agere hoc loco, ut suspicemur, Hermesium tanquam simulatorem ad id munus accessisse, aut dubitandi libidinem in animis discipulorum excitasse, religionem in iisdem labefactasse? In recenti memoria est, quantopere tunc, cum Hermesius in gymnasio Monasteriensi docere inciperet, religio per Galliam publice contumeliis peteretur, proscriberetur, quantopere defectus fidei ex Gallia etiam Germaniam pervaderet. Ea mente, sicut hostes religionis, etiam Hermesius in gymnasio docuisse videbitur. Ut huic suspicioni a se motae facem addat Perronius, copiose nobis narrat, qua veneratione Kantium Hermesius prosecutus sit, quomodo Fichtium in caelum laudibus extulerit, scripta eius commendaverit, quaeque eius generis sunt alia.

Sed quibus rebus gravem istam suspicionem firmat Perronius? Nihil affert, prorsus nihil, nisi mendacia de iis quae Hermesius circa Kantium et Fichtium sensisse dicitur. Si tam leviter iudicium conformare et pronuntiare licet, nimirum integerrima ingenia, sanctissimi viri suspicionibus et calumniis continuo obiicientur. Sane est cur gaudeat s. Petrus Apostolorum princeps, suis temporibus non vixisse Perronium; is enim non tam promptus futurus fuisset ad condonandam abnegationem, quam fuit Dominus noster. Sollertius ille s. Petri indolem criminaturus fuisset, quam Pauliciani haeretici, qui huius apostoli auctoritati quovis modo obtrectare studuerunt. Et certe faciliore opera huic principatum eripere potuisset, quam Hermesii mores in suspicionem adducere. Supra vidimus quo sensu dubitatio Hermesii intelligi debeat. Sed posito, Hermesium ita dubitasse, ut adversarii contra ius et fas statuunt, quid causae est, cur Perronius suspicionibus Hermesium obiiciat? Nam si Hermesius ante dubitavit, num inde consequitur, etiam tum eum dubitavisse, cum praeceptoris munus in gymnasio susciperet? Perronius si quidquam curaret probitatem et legem moralem Christianam, scire debebat, haud licere eiusmodi suspicionem intromittere aut pronuntiare, donec invictissimae rationes cogant. His Perronio satisfecisse nobis videmur: nam sicubi suspicionem iste proferre aggressus erat, officium postulabat, ut eam argumentis firmaret.

Verumtamen hac re non erimus contenti, sed documentis in medium allatis probabimus, Hermesii persuasionem longe aliam fuisse, ac Perronius hominibus suggerere voluit, huncque rursus summam iniuriam Hermesio fecisse. Primum ex his documentis parva commentatio est, quam Hermesius in adversariis suis conscriptam reliquit, quamque cum lectoribus communicare non dubitamus, cum ea fidem eius intimo pectore fixam tam splendide testetur. Ipsa commentatio ostendit, eo tempore litteris consignatam hanc esse, quo ad quaestiones, ad quas totis viribus incubuerat, responsionem iam invenisset.

Vita citra fidem.

„Fide destitutus quid homo prospecturus esset, nisi ad interitum eius sortem vergere! Natus maioribus, quos mors in mes-

sem abripuit, posteros procreat, ac tum in mortis messem decidit. Praetervehi et dilabi coram oculis naturae, omnia generantis omniaque corrumpentis, quae ipsa nihil videt, haec tum vita humana est. In brevi peregrinatione sensuum voluptati indulgere, hoc unum eius lucrum, quod tamen largius contingit passeribus tecti, piscibus maris silvestribusque cultoribus omnibus ratione carentibus. Omnes, uno hominum genere excepto, feliciter nesciunt, fore ut putrescant."

Vita intra fidem.

„Non species mutabiles, quas rerum natura mihi ostendit, illud est, quo mundum contineri credam. Non quae oculi intuentur et quibus sensus delectantur sunt mihi pro rerum essentia. Id unum, quod illis subest et illa mutat milleque variata formis spectanda exhibet, quodque ipsum sensu non percipitur, vere essentia est. Verane essentia? immo et hoc nihil nisi testis unius et verae essentiae, nihil nisi scala, in qua ratio ascendit ad unam veramque essentiam. O me felicem, qui intellexerim tuum, natura, testimonium! Me felicem, qui ascenderim, nullo labore fatigatus, in tuas scalas ad ens entium! Ipsum (ens entium) voluerat, ut tu mihi scala esses, ducemque constituit in me. Confisus duce ascendi de gradu ad gradum et viam a terra in coelum inveni — accessi ad eum, *qui est.* Laetitiam advenientis, amorem recipientis, o quis narrare eam possit! Mihi enim, longe derelicto, ut scala esses, voluerat ille, qui est, ducemque te constituerat in me. Et quis iam ego? Ascenderam in alta vidique scalam sub pedibus meis: vidi me superiorem esse quam supremum ex gradibus scalae, transgressusque supremum omnino me liberaveram a metu, ne et ipse nihil essem nisi unus aliquis ex eorum numero. Attamen ibi semper permanere et in Deo laetitia exsultare, id mihi non concessum erat: nam nondum exsolutus sum mortali involucro, quod infra remansit, neque ascendere potest. Ad fidem tantum adductus fui, atque in fide ut hic terrarum pugnarem ac vincerem, id primum mihi iniunctum est. Libenter pugnabo, o mi Deus! Si quidem pugna est, posteaquam et Te et me et naturam cognovi. Quae enim adversantur? Voluptas, opes, honores, quaeque alia dele-

ctabilia in terra sunt, voluntatem meam ad se allicere student — ah, postquam Deum cognovi! — ut pro veritate speciem, pro amore fastidium adoptem. Subiicere me, quem fides liberavit, conatur natura modo alliciendo, modo deterrendo, natura ista, quae sita est infra pedes meos. Non haec pugna est. Tantummodo desiderium tui, o Deus, ut sustineam adiuva me!"

Nonne pudor Perronium perfundit, si haec legerit, propterea quod Hermesium tanquam religionis inimicum in suspicionem adduxit? Num quisquam Christianus nobiliores animi religiosi commotiones, nobiliora sensa exprimere potest, quam hic factum videmus?

Sed alia etiam proferemus, quibus probemus, quam graviter Perronius, quoquo gradum moverit, in Hermesii memoriam peccaverit. Hermesii vox nimis imbecilla fuit, quam ut concionando multum proficere posset. Hinc raro tantum per vitam concionem habuit. Unam tamen earum concionum, quas professoris in gymnasio munere fungens, in ecclesia pagi illius ubi natus erat, ad coetum agricolarum habuit, hic evulgabimus. Monere vix opus erit, Hermesium nunquam exspectasse, fore ut haec concio ederetur, eamque a nobis hoc uno consilio cum lectoribus communicari, ut Hermesio religiosum animum a Perronio quidem ei abiudicatum vindicemus, quanquam haec concio etiam per se spectata non minus digna est, quae evulgetur, quam multae aliae, quae nostris diebus celebrantur et commendantur.

Concio Paschalis.

Iuxta textum: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio - - - etenim pascha nostrum immolatus est Christus. I. Cor. 5. 7.

„Unusquisque nostrum, carissimi fratres, hodierno die sancta laetitia perfunditur. Causa huius laetitiae est historia resurrectionis redemptoris nostri, quae quidem resurrectio duodeviginti saecula ante, Hierosolymis hodie evenit. Quod Christus victor malitiae, quae et Iudaeos et gentiles in eius perniciem sociaverat, gloria ornatus ex sepulcro surrexerat, quod ea re ut verum Dei filium se certissime probaverat, id tunc discipuli eius laetati sunt, id ex illo

die quotannis tota Christianorum societas denuo laetatur. Verum non sola redemptoris victoria, etiam nostra ipsorum felicitas huius laetitiae causa est: nam ipsius de morte resurrectioni nostram debemus, ipsius de inferis victoriae nostram debemus. Christus nisi de morte resurrexisset, nos omnes spe destituti, fore ut nostrum corpus ex putredine unquam prodiret, fuissemus morituri; ipse nisi vim inferni superasset, nos omnes etiamnum in potestate diaboli essemus, in quam peccato incideramus: mors nostra transitio foret ex misera vita terrena ad infortunium nunquam desiturum. Quantas igitur habemus causas, Christiani, cur hodie gaudeamus! Quis, cui redemtor et sempiterna felicitas alicui curae sunt, omittere possit laetum illud Alleluia concinere, quod hodie in triumphum et gratiam redemptori suo exsultans ecclesia in coelum mittit! Sed, quis etiam, carissimi fratres, qui obiter tantum resciverit, quanti constiterit Christo nostra de morte inferisque redemptio, quis, inquam, haec omnia iam crastino die oblivisci atque rursus in vetera peccata irruere possit! Quis haec omnia oblivisci et pectore suo terrena rursus bona complecti possit! Quod s. Paulus Christianos Corinthios admonebat, pascha nostrum immolatus est Christus, hoc satis illis erat, ut expurgarent vetus fermentum, et novam plane vitam, cum Christi voluntate consentaneam inciperent. Etiam nobis, carissimi fratres, hoc satis erit, si quidem aliquis gratus animus erga Deum et Christum in nobis habitat. Agite igitur, vos quoque veterem peccatorum viam relinquite, et pectus vestrum a terrenis seiungite, ut unice Deum amplectatur: nam etiam nobis pascha immolatus est Christus.

Expurgate veterem peccatorum viam: nam pascha pro vobis immolatus est Christus. Quemadmodum in exitu gentis Iudaicae ex Aegypto aedibus Israelitarum angelus percussor pepercit, quod postes earum agni immolati sanguine inunctae essent, cum in aedibus Aegyptiorum una nocte omnes primogeniti percuterentur, sic etiam nos sanguine Christi a morte liberati sumus: is enim velut ille agnus pro nobis in cruce immolatus est. Id unum interest inter illam Israelitarum liberationem et nostram, quod per illam pauci tantum, nempe cuiusque domus primogeniti, per hanc nos omnes morti exempti sumus, quod illi tantum ab interitu vitae terrestris, nos a morte sempiterna con-

servati sumus. Nos omnes ob peccatum primorum parentum coelum perdideramus, et, quum divina gratia privati essemus, nostris ipsorum peccatis damnatio nostra certa reddebatur: mors et Infernus post brevem in terra vitam nobis in omne tempus impendebant; et quaecunque via, qua effugeremus, occlusa erat. In hoc statu si etiam nunc essemus, quotidie magno animi angore et trepidi animadverteremus, deficere paulatim vitae vires, et propius ad sepulcrum nos in dies accedere: tum enim certum nobis foret — et haec scientia, horroris plena, desperatione nos afficeret — corpus nostrum in terram descendere et ipsum in terram mutari, neque unquam novum inde prodire, animam autem (proh dolor non tam felicem, ut item emori posset!) ad infelicitatem infinitam, ad damnationem aeternam pergere. Ipsi decernite, carissimi fratres, hac persuasione imbuti nonne iam in hac terra poenam infernam pateremur? . . . Ex hoc inenarrabili infortunio, quod, simulatque ratione uti coepissemus, initium capturum erat, ac tum sine fine duraturum erat, unde neque angelus quisquam neque homo eripere nos potuit, Iesus Christus nos liberavit. Misertus est Deus miseriae nostrae, perditoque generi opem ferre iuxta infinitam suam misericordiam decrevit. Et ecce! ibi tum filius sese obtulit, qui difficile negotium redemptionis nostrae in se susciperet. Qui Deus item ac pater erat et aeternum cum eo regnum habebat, qui nostri nihil indigebat, quem una cum patre offenderamus peccando, is mera in nos caritate et misericordia de coelo in hanc terram descendit, mortalis factus est, ut perpetiendo et mortem obeundo nos a morte redimeret. Quanquam quid dico a morte? Immo ab aeternis poenis, quas ne animo quidem capere possumus, nos liberavit! Eius sanguis, qui proxima superiore hebdomade in Golgatha olim effusus est, pretium erat, quo ab inferis redempti et in ius coeli restituti sumus. O, quanta, Christiani, caritas! . . . Deus, cui iniuria facta, pro hominibus peccatoribus moritur! . . . Et vos, videntes tantam caritatis vim, tam ingrati esse potestis, ut illum denuo offendatis? Num etiam delectari potestis istis tenebrarum operibus, impudicis verbis et factis, sermonibus aliorum honori obtrectantibus, iurgiis et inimicitiis cum vicinis, parentibus, fratribus, cum ob haec tanta perpessus sit Christus? Num rursus haec committere potestis atque

hoc modo sanguinem Christi quasi pedibus conculcare, ipsi vero rursus in priorem irruere miseriam, unde tanto pretio redempti estis? Quid de homine putabitis, qui, cum supplicium modo ei remissum esset, continuo sub oculis iudicis sui idem delictum committeret? Nova venia dignus non est, dicetis, propterea quod ipse vitam suam petulanter proiicit. Nolite igitur et vos, o nolite sempiternam vitam sempiternamque felicitatem vobis destinatam illicitae et cito praetereuntis voluptatis causa pariter proiicere, posteaquam cognovistis, quam horrendum sit, illam amisisse, tum in hac vita tum ea quae aeterna subsequitur. — Mihi credite, si primi nostri parentes Adam et Eva mala intellexissent, quae peccatum eorum afferret, ut nos nunc intelligimus, si cognitum illis fuisset, quanti hoc peccatum optimo posterorum suorum, qui et suus filius et Dei simul esset, constiturum foret, nunquam manu illicitum fructum appetituri erant. Nam vel illud, quod Deus, cum laesus esset, non debitam poenam exsequebatur, sed redemptorem pollicebatur, qui peccatum eorum ablueret et ipsis posterisque eorum salutem afferret, tantopere animum eorum commovisset, ut deinde irritamentis peccandi aditum plane recluderent. Et nos, carissimi fratres, in vetera peccata irruemus? Nos, qui non obiter divinare possumus, quantum malum quamque horribile sit peccare, sed ex poena, quam pro nobis perpessus est Christus, clare intuemur; nos, qui non futuram Dei miserationem speramus, sed hanc ipsam cumulatissime et supra exspectationem per Christum experti sumus; nos, inquam, haec omnia ingrati obliviscemur, et Deum, qui tanta nos caritate prosequutus est, denuo laedemus? Nobis opera libidinis vel illicitum lucrum maioremne voluptatem parabunt, quam caritas Dei nostri? Absit, Christiani! tam frigido animo, tam ingrati erga Deum, tam crudeles in nosmet ipsos esse neque possumus neque volumus. Christus immolatus est pro nobis pascha nostrum; ideo pectus iam peccatis occludemus idemque a terra avulsum soli Deo adiungemus.

Sane quidem, carissimi fratres! Non modo vetera peccata mittemus, sed animum ab omnibus terrenis avertemus, et abhinc soli Deo adiungemus: Christus enim pro nobis pascha immolatum est, ut eius sanguine ab aeterna condemnatione liberaremur. Haec caritas Dei nostri animum nostrum ut a peccato, ita a

terrenis omnibus avertere debet, et soli Deo incendere: illum unum iam diligemus et quaeremus; in illo uno hortamenta et laetitiam inveniemus. Et vero quî fieri poterit, ut praeter Deum aliae res nobis iucundae sint, si illam caritatem perpendimus! Quid futurum putas, si ad te, in terra remota per duram servitutem animam trahentem et quotidie optantem, ut hodiernus dies vitam et aerumnas finiret, subito vicinus, audito calamitatis tuae nuntio, cum opibus suis omnibus accederet, te redempturus, ac tandem, post plurimos labores et discrimina, tota re familiari insumpta, te reducem et liberum in patriam praestaret: qualem erga hunc vicinum animi affectionem haberes! Nonne per omnem vitam, quoties eius meminisses, animus grato amore et laetitia difflueret? Nonne eas horas iucundissimas vitae haberes, quibus cum eo de tanto salutis opere sermones conferre liceret? Attamen haec omnia, quamvis permagna, quanti essent prae iis, quae Deo debemus? is non modo a miseria per vitae tempus duratura, sed a sempiterna nos redemit; non magnam pecuniae vim, sed quod habebat carissimum, unigenitum filium, redemptionis pretium pro nobis tradidit, tradidit in supplicium crucis. Iterum dico, quî animus noster, in tanta caritate, praeter Deum quidquam amare et quaerere poterit! Ipsa enim natura compellimur, ut caritatem pro caritate referamus. — Nihilo minus, carissimi fratres, quomodo animus vester adhuc in Deum affectus erat? Quid amplexus est? O, si in nulla alia re, in hac certe meliorem humanae naturae indolem relinquimus. Recogitate quaeso, quibus rebus a mane usque ad vesperam cogitando et cupiendo immorati sitis. Nonne terrena negotia erant, nonne ager erat et pecora? Dummodo hae res bene se haberent, dummodo larga messis, largus pecorum proventus contingeret, ut per anni tempus vos ipsos alere et aliis venumdare reliqua possetis, nonne omnino contenti fuistis? Aliudne optavistis, quam ut validi et in pace haec consumeretis? Aut si liberi vobis essent, quidnam his petivistis et quaesivistis? Num aliud, quam ut ita eos collocaretis, ut abunde contingerent opes, quibus vitam sustinerent. In his omnia vestra studia curamque collocavistis: mane haec primum animo volvebatis, vespere haec postremum agitabatis. De Deo autem certis tantum et in hanc curam definitis horis cogitavistis, veluti die

dominica in templo, tum quum ad Deum precati estis. Iam preces illae, quales erant! Nonne plerumque eiusmodi res terrenas precati estis? Sin minus, nonne mens certe versata est circa bona terrena, dum os coeli bona precabatur? Sane, carissimi fratres, si Deus disertim vobis praecepisset, omni cura totisque viribus res terrenas appetere, asseverans maius bonum vobis non esse, non magis illas animo amplecti potuistis. At vero clare pronuntiat, Dominum, Deum tuum, toto animo, intimo pectore, omnibus viribus prae ceteris diligas, res terrenas contra averseris; quod ut efficere possemus, filium suum de coelo misit, qui imbecilla hominis natura indutus omnes cruciatus ac tandem contumeliosissimum crucis supplicium pateretur, ut nos, tanto caritatis exemplo commoti, animum a terra, in qua peccato infixus erat, revulsum ad Ipsum rursus extolleremus: ea enim sola ad aeternam felicitatem via est. Agite igitur, ne diutius hanc Dei vestri caritatem negligatis, sed abiecto frigore mutuo amori pectus aperiatis, ne animo sitis magis ingrato adversus illum, quam adversus homines, qui vobis benefici sunt. Dum ante nonnisi bona terrena parare perpetuo studebatis, iam recognoscite, quantopere Deus vos dilexerit et diligat, recognoscite, quae et quanta Christus in vestram salutem fecerit: illum esse recognoscite, qui perditum coeli ius vobis restituerit, quique nunc vester apud patrem patronus in dies novam gratiam ad vos demittat, donec aliquando beata illa hora veniat, qua vos ex hac mortalitate ad se recipiat in aeternam beatitudinem. De his, carissimi fratres, recogitate; et mutuo tum amore Deum prosecuturi estis, sincere gratias ei acturi estis pro redemptionis beneficio. Nam denuo non offendere Deum, id vero gratiae nomen non meretur.

Sed video, quid excusationis proferatis: tempus vobis deesse, ut de his omnibus cogitetis; pro vita sustentanda operam dandam, vestro et liberorum bono prospiciendum esse, his totam curam absumi. Nolumus ad haec illud respondere, ex vestra sententia pro gravissimo negotio, pro eo cuius solius causa in terra moramini, tempus vobis deesse: id unum quaerimus ex vobis: Nonne filius, qui cum patre suo ad opus faciendum tendit, cum hoc, si quidem unice eum diligit, satis loqui potest et simul opus facere? Num idem vos cum patre vestro coelesti,

dum in opere estis, facere non poteritis? Cavete Christiani, ne vos ipsi decipere velitis! Sed ut inter opus hoc facere non possitis, quid impedit, quominus ante et post animus vester ad Deum surgat, ut hunc amore amplectatur? Vos vero tum lucrum operis computatis, vel anxii recensetis an omni labore id lucremini, quo opus sit ad vos alendos, an bellum fortasse aliive casus impendeant, qui vos et fratres vestros infinitis malis implicent. Certe quidem, carissimi fratres, hoc non bene fit! Enimvero Christus disertim praecipit: primum quaerite regnum Deî et iustitiam eius, cetera adiicientur vobis. Nonne id eum sensum habet: videte imprimis, quomodo Deum vere diligatis, quomodo pie sancteque aevum agatis: cetera omnia, ut alimenta, ut vestitus, ut vestram vestrorumque a detrimentis vacuitatem, ut alias res terrenas, divinae providentiae committite, abundantis instar haec vobis addet Deus non quaerentibus. Certe quidem operam ob ea dare debemus: sed consectari tanquam res in hac vita gravissimas et in possessione earum hic sitam esse nostram felicitatem existimare, aut anxie sollicitari, num id habituri simus, quod ad vitam sustentandam paucis illis diebus, quos hic moramur, opus videtur, id equidem non licet. Alioqui caritatis in Deum defectum ostendimus et suspicionem, an promissis suis stet necne, eoque denuo eum offendimus. Itaque sepositis his omnibus curis et sollicitudinibus, prompte cor nostrum ad Deum attollere, eique caritatem nostram et gratum animum pro iis referre possumus, quae nobis fecit. Dummodo haec faceremus, o quantum ad aeternam salutem lucraremur! Quanto magis securi laetique animo hoc volventes: ego Deum diligo et ab ipso mutuo diligor, aevum agitaremus! Haud dubie multo melius adeo res terrenae nostrae se haberent!

Agite igitur, carissimi fratres! Saecularem aeternamque felicitatem a Christo partam ne diutius a vobis repellite. Nolite amplius reverti in peccati miseriam, unde eius sanguis vos redemit! Nolite amplius anxii curare huius terrae felicitatem, posteaquam Deus eam curam in se suscepit, praesertim quum indies magis intelligatis, nihil profici, quamvis cura vos maceretis. Deus autem omnipotentia sua vobis prospicit; cuncta terra in vos licet consurgat, ipse loquitur, illa continuo contremiscit; vobis liberisque vestris perniciem licet parent, ipse malitiae praefinit: hactenus

neque ultra! et vir iustus, si iam in eo esset ut hauriretur, liber prodibit. Agite, omnes has curas ad illum securi remittite. Ad opus faciendum incumbite, quod Deus vult, sed animus coram Deo versetur. Quomodo hunc digne diligatis in gratiam caritatis, quam vobis per Christum probavit, id omni cogitatione considerate, id omnibus studiis laborate. Namque is finis in hac terra vobis est propositus, id redemptor vester postulat in gratiam eorum quae perpessus est. Amen." Haec Hermesius.

De ipsa concione nihil monendum nobis videtur. Sed hoc reputari velim, conscriptam esse et habitam ea aetate, qua ἄθεος nominari saeculum vocabatur, qua quisque, qui divinitatem Iesu Christi crederet, misellus stultusque haberetur, qua reperirentur qui in foris publicis sacrum baptisma sibi ablui iuberent, qua fidei defectus eas radices egerat, ut in universitate Landishutana professor theologiae catholicae idemque praeses seminarii clericalis coram alumnis suis, h. e. clericis munus mox ingressuris, quaestionem pertractaret, quantum temporis exspectandum foret, dum *coram populo pronuntiari posset, non esse Deum.*

Ubinam concionator invenietur, qui hac aetate in Germania tam alta voce professus sit Christum, quam factum est in hac oratione ab Hermesio? Ubi est, qui divinitatem Christi tam fidenter pronuntiaverit, quam in hac concione pronuntiatam videmus? —

Nihilominus Perronio magis etiam instabimus, eumque in conclavia scholastica Hermesii rapiemus, ut certissime probemus, illum calumniatum esse in iis, quae tradidit de animo studiisque Hermesii, quum in gymnasio munus obiret. Habemus ante oculos schedas scholasticas, quibus Hermesius usus est, ubi puerorum in gymnasio institutionem inchoavit, ipsius manu conscriptas. Quae quidem schedae luculente fidem addunt iis testimoniis, quae ante de opera eius in gymnasio praestita communicavimus. Themata ex religionis doctrina ad commentandum ab eo proposita non solum accuratam dogmatis catholici intellectum ostendunt, sed etiam tam dextre delecta sunt, ut frustra quaeras similem religionis in gymnasiis tradendae disciplinam. Neque solum hae quaestiones, etiam cetera themata sive ad com-

mentandum sive ad convertendum in linguam Latinam praescripta omnibus partibus ad mores emendandos et religionem provehendam spectant et luculente ostendunt, quanta arte Hermesius, licet singulis quibusque disciplinis ius suum relinqueret et tueretur, tamen res omnes ad institutionem pertinentes religioni, omnium disciplinarum quasi dominae ac reginae, libero ministerio subiicere calluerit. Cum alioqui nimium percrebuit mos, ut in gymnasiis themata ex una historia profana ad commentandum petantur, ille fere semper materiam commentationum ex Vetere et Novo Testamento, ex historia Christianorum et ex vitae usu petivit et adornavit, ut hac quoque ratione iuvenum animos ab iis quae mala et turpia alienaret, ad ea quae vera et bona alliceret. Probandi causa cum largam eorum thematum partem communicare in promptu sit, tamen contenti erimus, illud thema protulisse, quod Hermesius institutionem in gymnasio inchoaturus ad convertendum in linguam Latinam proposuit. Ad exemplum praefationis de vitis excellentium imperatorum Cornelii Nepotis praemissae id thema exarari voluit.

„Non dubito, quin miraturi sint posteri, cum relatum legent, ad finem vergente saeculo 18 fuisse gentem in Europa, et quidem tot artibus tanta scientia cultam, quae caedes, rapinas, alia indigna et iniusta perpetraverit eiusmodi, ut vel immanissima natio gentilium quondam haec facinora se indigna existimasset. Sed si iidem didicerint, istam gentem prius a religione se penitus abdicasse, id quod nulla unquam natio, ne gentilis quidem, ausa est, mirari desinent. Laudi in Gallia ducitur adolescentulis, quod inauditum est, si atheos imitando pronuntiant: „non est Deus!“ Sed quid hominem a scelestissimis facinoribus arcebit, si Deum esse non iam crediderit? Nam quamvis recogitet, quae facio turpia sunt, inhonesta, sanae mentis homine non digna, nihil haec cogitatio, dum animus commotus est et perturbatus, valet prae illa: Deus, omnia quae facimus, loquimur, intimo pectore volvimus, videns, compertum habet quae iam molior, isque factis meis aut aeternum praemium aut aeternam poenam decernet. Iam vero quotidiana experientia testis est unicuique homini, se, quamvis remuneratorem bonorum operum et punitorem malorum esse credat, tamen saepius agere contra quam conscientia et Deus praecipiat. Ne igitur credatis, dilecti adolescentuli, vero

amore sese invicem complecti eos qui Deum esse negant; ne credatis, ethicas virtutes omnes easdemque gradu eminenti apud istos reperiri, id quod temere affirmant.“

Hoc themate Hermesius suam in gymnasio institutionem auspicatus est. Quicunque nullis est praeiudiciis occupatus, hinc intellexerit, quantopere Hermesius studuerit, iuvenum animos a contemtu religionis avertere, et quidem eo temporis momento studuerit, quo religionis defectus et odium adversus religionem, et potentia Franco-Gallorum per Germaniam in dies latius serperent, quo horum arma fere ad portas oppidi Monasterii penetrassent. Omnia cetera themata idem sequuntur, ut animos iuvenum ab ingruente fidei defectu tueantur atque avertant, simulque accuratissime explicant, qua ratione hoc damnum vitare possint. Tu vero, Perroni, eo audaciae descendis, ut Hermesii in gymnasio disciplinam in suspicionem adducas! Nonne te pudet ad eorum partes ire, qui Socratem corruptorem iuventutis, qui Christum corruptorem populi vocarent?

Hermesius*, — *Kantius et Fichtius.* — *Patres ecclesiae, philosophi gentiles.

Kantii et Fichtii nomina saepe in Italia audiuntur, sed ipsa systemata eorum a viris doctis Franco-Gallicis Itali cognoverunt. Franco-Galli quam parum adhuc systemata philosophorum Theodiscorum recte intelligere possint, immo quam deformata ea proposuerint, satis compertum est. Quae Galli plerumque sinistre acceperant, magis etiam ab Italis in deterius verti solent. Itaque credi vix potest, quid homines Itali de Kantii et Fichtii philosophia opinentur, quam falso de ea iudicent. Etiam hoc mirum videri nequit, Protestantem in Kantio et Fichtio primum spectari, philosophum fere ignorari. Hoc Perronio compertum est, et haec causa est, cur Hermesio magnam erga Kantium eiusque philosophiam venerationem tribuat, cur idem tradiderit, Hermesium fuisse, qui magna admiratione Fichtium prosecutus sit. Hui! Hermesius, veneratus et admiratus Kantium et Fichtium, Protestantem utrumque; num is Theologus orthodoxus esse potuit? Hoc illud est, quod Perronius lectoribus suis percontandum ingessit.

Sed si concedamus, quod ipsa veritate reluctante Perronius

admiscuit, si Hermesius Kantium et Fichtium veneratus est, et non veneratus est ut Protestantes sed ut philosophos, num inde necessario consequetur orthodoxiam eius suspiciosam videri? Minime vero. Num ipse Perronius negabit — sed mittamus Perronium, qui eo descendit ut iam omnia quae collibuerit et negare et affirmare possit — num quisquam, Perronio excepto, negabit, Kantium et Fichtium cogitandi disputandique subtilitate conspicuos fuisse? Quid igitur theologum catholicum prohibebit, quominus magna in philosophia merita iis tribuat, quominus eosdem veneretur et admiretur? Primi religionis Christianae doctores non crediderunt sese facere quod illicitum esset, cum philosophos gentiles, in primisque Platonem, magni ducerent. Pantaenus, Iustinus Martyr, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Origenes, nonne omnes cum ingente discipulorum grege gentiles philosophos admirati sunt, etiam tum cum Christiani facti iam erant? Certe adeo eos amplexi sunt, ut fuerint, qui eos, quamvis iniuria, coarguerent, plura et gravia dogmata ex gentili philosophia in Christianam doctrinam transtulisse. Iustinus M. profitetur, Platonis placita cum Christianis tantum non in omnibus rebus consentire (Apolog. II. §. 13), et tamen Iustini nomen in albo Sanctorum comparet. Clemens Alexandrinus adeo dicit, Platonem non modo ad veritatem incubuisse, sed eundem divino spiritu incitatum fuisse (Stromat. I. 8.). Minucius Felix scribit: „se opiniones omnium ferme philosophorum de uno Deo exposuisse — ut statuendum videatur, aut Christianos nunc philosophos esse aut philosophos fuisse iam tunc Christianos.“ Ipse Augustinus in Retractationibus (I. 4.) nimiam laudem terminis quibusdam circumscribere debuit, quam Platoni et Platonicis concesserat, ut alios multos silentio praetereamus. Quodsi Iustinus Martyr, s. Augustinus in hunc modum de gentilibus philosophis sentire potuerunt, quid Hermesium prohibuerit, quominus de Kantio et Fichtio, qui gentiles non erant, similiter sentiret? Immo s. Iustinus longius adeo progressus disertim pronuntiat, Socratem, Heraclitum, alios eiusdem generis fuisse Christianos! [1]. Per plura saecula Scholastici Aristotelis philosophiam tanquam Evangelium philosophicum, eius assertiones tanquam oraculi voces suspexerunt. S. Anselmus,

---

1) Apolog. I. §. 36.

s. Thomas Aquinas, s. Bonaventura, innumeri alii Scholastici eam ob causam nunquam in suspicionem adducti sunt, quod gentilem philosophum tantopere admirati sunt eiusque placita sua fecerunt. Qui igitur Perronio licebit hoc nomine in Hermesium suspiciones movere?

Sed verumne est, inter Hermesium et Kantii Fichtiique systemata eam rationem fuisse, quam Perronius ingessit? Nihil magis falsum est, quam hae calumniae, neque in ulla alia re minus quam in hac Perronio contigit, veram rei rationem obtegere. Ceterum ea ipsa, quae idem narravit de Hermesii placitis, de Kantio et Fichtio, tam inepte prolata sunt, tam perspicue produnt, quam male, immo pessime, his de rebus Perronius compererit, ut adolescentulum mediocriter eruditum vix sine plaga dimittas, si de hac causa tam sinistre scripserit, quam fecit Perronius, nisi quod is corrumpendae veritatis magnam facultatem prodidit. Scilicet Perronius singula quaedam ab illis viris disputata arripuit, eadem, ubicunque invenit, ex nexu sententiarum revulsit, iamque illa ita de penu suo expromit, ut sine sensu, sine vi, ut insulsa prorsus atque hiulca compareant. Campanarum, ut dicunt, sonitum inaudivit vir bonus et doctus in primis, sed ubi essent campanae, id ei non compertum est.

Hoc itinere philosophica scientia decurrit. *Ingenio* vere philosophico qui pollet, — ingenium autem imitari solent, qui aliquam habent philosophandi facultatem labore partam, aut qui arrogantia pro arte utuntur — is primo dubitare de iis, quae ab aliis didicit, discit. Infirmas partes eius doctrinae aedificii, quod omnibus aut plerisque aequalium firmum et bene fundatum videbatur, explorat. Examen adgreditur, inquirit, perscrutatur, experimenta facit, num detegere lacunas aut ea, quae stare videbantur, labefactare possit. Dum ita emendare conantur, dum in controversiam adducunt aliorum assertiones, plerumque ingenia informantur et ipsa pro se cogitare et speculari discunt; inde robur assumunt et fiduciam sui, ut nova systemata proferant.

Quaestio illa de suprema mundi causa diu a Graecis philosophis agitata erat, alterum eius problematis solvendi conamen alterum de sede sua deiecerat, cum divinus ille Plato ultimam manum ei operi se admovisse putaret. Sed in discipulis eius repertus est Aristoteles longe omnibus praestans et ingenio et

diligentia, qui lacunam in systemate magni doctoris sui deprehendit. Illam quaestionem, quae a Gnosticis tam mire soluta est, sine responsione Plato reliquerat, qua tandem ratione ideae divinae referantur ad res sensibus subiectas? Alexandri Magni praeceptor suo modo ad hanc quaestionem respondit, ideas Platonicas traduxit in regionem experientiae, eoque novi systematis auctor extitit. Aristotelia philosophia magnam admirationem excitavit, maximam auctoritatem nacta est, et paene sancta habita est tunc, cum Scholasticorum doctrina longe lateque flueret; sed et hi tandem viribus assumptis et ad conscientiam sui provecti, Categoriis Aristoteliis perfractis ad novas rationes sibi contrarias, Realismum et Nominalismum pervenerunt. Sed Scholasticorum quoque dominatio non diu mansit. Distinctio subiecti cogitantis et obiecti ad cogitandum substrati semel emerserat; eaque ut amplius explicaretur, cum rei natura postularet, Cartesius auctor novae philosophiae exortus est. Sic etiam Leibnitius, abundans vir et ingenio et doctrina, dum refutat Lockium et Spinozam, Kantius, dum refellit Scepticismum Humii et Dogmatismum Wolfii, Hermesius tandem, dum ad examen vocat et redarguit Kantii et Fichtii Idealismum ad systemata sua deducti sunt. Hunc re vera tramitem esse, quo Hermesius incesserit, id non modo ex ratione comparet, quae inter eius systema intercedit et illa quae modo nominavimus, sed idem apertis verbis professus est. „Opera iis systematis impensa", inquit, „ipsum se didicisse philosophari eaque examini subiicere, quibus ingenii vires excoluerit." Dein addit, „postquam horum fundamenta infirma esse intellexisset, ad se ipsum revertisse capto consilio, iam ipsum philosophari se velle." Quicunque Hermesii scripta legerit, satis cognovit, fere nusquam Kantii et Fichtii systemata ab eo memorari, nisi ut redargueret et infirma esse probaret. Lege Introductionem philosophicam ab initio ad finem usque, et facile videris, quod dixi esse verissimum. Videris, quo pertineat, cum verbi causa Fichtii librum, qui inscribitur *de destinatione hominis* (*Ueber die Bestimmung des Menschen*) [1]) commendaret, et una

1) Peroniani articuli interpres Theodiscus de Fichtii opere *Ueber den Zweck des Menschen* (de fine homini proposito) loquitur! quippe vir ille doctus nesciebat, hoc titulo librum peculiarem a Fichtio

videris, Perronio ne aliquot quidem verba excidere de Hermesio potuisse, nisi ut sive aperte sive clam stilum suum veneno imbueret. Immo quae manifestissime falsa sunt, Perronius affirmare non erubescit, ut quod sibi propositum habet, Hermesium suspectum reddat. Sic eo loco, quo iam versamur, pronuntiat, „Hermesium confessum esse, Fichtium fuisse primum, qui systema a se deinde explicatum et evulgatum invenerit.“ Quis hoc in Germania unquam inaudivit? Etiam plane falsum est, a Fichtio systema Hermesianum inventum esse, quique hoc asserit, is aut Fichtii systema aut Hermesii aut utrumque omnino incognitum sibi esse prodit. Hermesius confiteri hoc non potuit, quia res ipsa falsa est, neque unquam confessus est. Haec assertio plane conficta est a Perronio, qui tanta inveniendi facultate falsa, haeretica, absurda Hermesio affinxit, quanta vix alibi reperietur. Fichtii systema ab Hermesiano ita discrepat, ut species a veritate, ut mera idea s. cogitatio ab obiectiva rerum cogitatarum realitate. Sed totam differentiam paucis describere aggrediemur.

Satis inter omnes constat, frustra Kantium esse conatum, ut a mente (ego) cui insidet cognitio et cogitatio, ad res ipsas a mente diversas (non-ego) perveniret. Ut igitur utraque coniungeret, spatium obiectivum posuit in subiecto cogitante, quum interim obiecta ipsa in spatio apparentia quoad eorum substantiam relinqueret extra mentem posita, more scilicet dualistico. Fichtius autem in Kantii humeris consistens etiam obiecta ipsa, id est eorum substantiam una cum spatio, in quo apparent, posita in subiecto esse contendit, in quo quum magis sibi consentaneus esset, quam Kantius, purum putum Idealismum procreavit. Fieri nequit, ille dicebat, ut ex cognitione sive scientia ad obiectum scientiae perveniamus, h. e. a cognitione ad veritatem et realitatem. Hanc doctrinam pugnare cum iis, quae valent in quotidiana hominum vita, id Fichtium eo minus latere potuit, cum adversarii hoc ipsum identidem et acriter monerent. Iam diversas vias anquirebat, ut hiatum intra subiectum et obiecta ex-

editum exstare nullum et aliquid discriminis intercedere inter vocabula „*Zweck* et *Bestimmung*.“ An Fichtii opus non eo titulo referendum erat, quo ipse illud edidit? Certe quidem etiam hoc specimen aliquod est, unde interpretis nostri sollertia aestimetur.

pleret et instantes illas obiectiones reprimeret. Nonnullis, dicebat, facultatem omnino deesse, ut sua intelligerent, ab aliorum iudiciis semper de integro provocabat. Sed tamen, quamvis vehemens et validus in oppugnando, mox eo se pulsum esse sensit, ut nervos paulum relaxaret. Dicebat enim, posse homines intelligere quidem *τὸ ὅτι*, id est rem ita se habere, (ut ipse vellet), non posse intelligere *τὸ διότι*, id est *rationem* et *modum*, quo ita esset. Ita scilicet iam aliquantum mitigata erat sententia, quae rerum externarum veritatem confidenter denegaverat. Dein, minus quidem sibi constans, ad Realismum practicum confugit, denique docuit, dummodo homo in conscientia sui firmam realitatem haberet, inde ad alteram realitatem, ad res externas, eum perventurum esse. Sed ipsam hanc internam realitatem, hoc *δός μοί που στῶ*, neque Kantius invenit neque Fichtius, et hoc ipsum est, in quo sunt omnia. Iam haec interna realitas est, quam Hermesius invenit, ostendens ad cogitationem s. cognitionem ex mente nostra accedere aliud, cuius vis efficiat, ut necessario etiam *assentiamur*, id est, rem cogitatam s. cognitam et ante omnia quidem rem sensu interiori perceptam necessario etiam *pro vera* et *rata (reali) habeamus*. Et hoc illud est, quo eius philosophia ab omnibus prioribus systematis vere differt. Systemata philosophorum ante Hermesium circa *Cogitationem* versantur et hac actione concluduntur, Hermesii systema non continetur sola cogitatione vel eo, quod cogitationi simile est, sed complectitur illud, quod dicimus *assentiri*, *pro rato habere*, qui quidem animi actus dubitationem de obiectiva veritate excludit. Ab hac assensione, quatenus primum ad facta psychologica, ad res sensu interiori perceptas, pertinet, non autem a dubio positivo Hermesius ad res externas transit, mediante principio causali, atque in rebus externis scalam invenit, qua ad creatorem earum, ad Deum ascenderet. Hinc apparet, quam falsum sit quod Perronius iactat, a Fichtio systema Hermesianum inventum esse; apparet etiam, quam male Perronius Hermesium, immo quam male sese ipsum intelligat, quam temere verba sensu cassa conscribillet, cum haec p. 12. tradit, „Fichtium, ex sententia Hermesii, non vidisse, si necessitas eius quod in Idea positum (Ideale) uniatur cum necessitate (absoluta), eiusmodi in idea positum (Ideale) tanquam reale aut pro reali esse oportere.“ Quis

tandem in his verbis, in hoc Perronii Gallimatthia, *necessitatem assentiendi* s. *pro rato habendi*, quae quidem actio in Hermesii philosophia cum necessitate cogitandi consociatur, agnoscat? Qui ex Hermesii opere originali Theodisco in usum Perronii interpretabatur, non intellexit quae converteret, Perronius non intellexit quae Italice versa legebat, Theodiscus interpres rursus non intellexit quae ex Italicis in nostrum sermonem converteret. O miseram te veritatem! O egregium philosophum Perronium! o interpretes sagacissimos! Quanquam philosophia Hermesii radicitus et in ipsis fundamentis a Kantiana et Fichtiana quam maxime differt, quanquam Hermesius utramque nunquam memorat, nisi ut impugnet et sustineri non posse demonstret, quanquam Hermesius in p. IX. praefationis disertim admonet, systemata Kantii et Fichtii a se ibi tantum respici, ubi eadem impugnare debuerit, ut tum suum ipsius systema tum fundamentum theologiae in eo iactum vindicare posset; quanquam ubique profitetur, id suis inquisitionibus consecutum esse, ut Kantium et Fichtium refutaret, nihilominus Perronius operam dat, Hermesium in suspicionem adducere, quasi is iuvenibus ubique ad haec systemata pergendi auctor et dux fuerit. — Facile intellectu est, qualis Hermesius Perronii lectoribus videatur, quippe audientibus, ipsum operam dedisse, ut iuvenes ad systemata horum protestantium, horum haereticorum adduceret! Sed audiamus ipsum Hermesium.

„Moneo“, inquit, „nunquam primaria Fichtii opera, sed nonnisi ea, quae exoterica conscripsit, a me respici. Quod ut faciam, hoc causae est, quod Fichtius — invitus dico — per quoddam tempus in id vitium lapsus est, ut adversus quemcunque, qui contra eum disputabat, affirmaret, hunc non sufficere operibus eius intelligendis, omninoque imparem esse philosophiae tractandae. Ut homines ad intellectum philosophiae suae cogeret vel eam coram omnibus tueretur, exoterica illa opera iis destinavit, qui philosophi non essent, ut ipse dicit. Itaque ne in eandem Fichtii reprehensionem incurrerem, melius duxi una illa opera multitudini conscripta respicere: nam quae huic ad intelligendum oblata sunt, ea certe et ipse intelligere potuero.“ Num quid dilucidius esse potest his verbis, num minore cum laude dici de Fichtio potest, quam hoc loco factum est, num ullum consilium

comparet commendandi systematis Fichtiani, num verbo memorantur homines adolescentes? Sed ecce Peronii verba: „Praeterea Hermesius Fichtium in coelum laudibus tulit, qui, ut ei videbatur, docte ostendisset, philosophiam Kantii vindicari non posse. Auditores suos ad Fichtii scripta serius edita ablegavit, quibus priora, quae subobscura essent, lumine illustrarentur, et sic allaboravit, ut iuvenes ad philosophiam eius cognoscendam traheret.“ Dicendum est saepius, si ita referre, si veritatem ita corrumpere licet, ut hac in re manifesto fecit Perronius, iam nullius hominis bona existimatio salva est; iam etiam in integerrimos et virtute praestantissimos viros suspiciones movere licet, eosdemque tanquam nefarios depingere.

Non minus corrupta, falsa, in peius detorta illa sunt, quae Hermesium de Kantio sensisse Perronius narravit:

> „Hermesius,“ inquit, „magnopere Kantium venerabatur, ut quem liquido monstrasse putaret, metaphysicam veterum omni fundamento firmo carere, ideoque philosophum Regiomontanum principem esse eorum pronuntiabat, qui in Germania ingenium criticum ad philosophicas disciplinas pertinens excitaverint. Praestantis ac sui ingenii hominem eum vocabat et ob eam causam praecipue celebrabat, quod *uni soli ideae* totam vitam suam sacrificasset.“

Perronio necessarium esse visum est, ut legentibus exponeret, quomodo etiam de Kantio senserit Hermesius. Sed hoc si facere voluit, nonne *totum* Hermesii de Kantio iudicium communicare debuit? Verum haud dubie est, Kantium philosophum ab Hermesio magni aestimatum esse; sed indene etiam consequitur illius *Philosophiam* ab eo commendatam esse? Minime omnium. *Possumus,* immo *debemus* magnas ingenii dotes in Voltairio, incredibilem dicendi vim et facultatem in Roussavio agnoscere, et nihilominus fundamenta doctrinae et placita eorum repudiare debemus. *Possumus* ac *debemus* insignem disputandi subtilitatem in Kantio et Fichtio agnoscere, sed iidem quominus systemata philosophica eorum oppugnemus, nihil nos prohibebit.

Sed etiamsi ponamus, sectatum esse Hermesium systema Kantianum, vel sic Perronio non licuit eum hoc nomine vituperare. Etenim etiam Windischmannus sectatorem Schellingiani et Hegeliani systematis egit, et tamen nuper admodum in ipsa

urbe Romae Windischmannus *vir admirabilis* appellatus est; Kleeius dogmaticam suam magnam partem notionibus Hegelii superstruxit, et tamen Kleeium *virum doctum et pium*-Perronius appellare audet! Verum Hermesius non, quemadmodum Windischmannus et Kleeius, in verba systematum philosophicorum a viris protestantibus, quos nominavimus, proposita iuravit, immo eosdem *oppugnavit*. Hoc ipsum Perronius silentio praeteriit vel certe nonnisi obscure significavit, ut Romani lectores existimarent, Hermesium philosophiae a Kantio profectae admiratorem exstitisse, exstitisse admiratorem eius philosophiae, in quam, ut doctrinae Christianae fundamenta labefacientem, Romae continuo acriter pugnatur. Quodsi Perronius opinionem suam de Hermesii ad Kantium ratione ex iis fontibus hausisset, unde tot falsa, tot errores ad eum manant, credere possemus, veram rei rationem detortam esse a Perronio, propterea quod etiam hic meliora non comperisset. Sed non ita est: immo idem ille auctor, quem reticet legentibusque inani praetextu dissimulat, quem infra in meritam eius contumeliam producemus, idem praeter alia multa, unde *vera* Hermesii ad Kantium ratio cognoscatur, etiam haec habet:

„Neque vero Hermesius Kantio Christianae doctrinae vexationes aliquanto agrestes, et immixtas nihilominus eiusdem laudes, condonare potuit, quanquam id eum minime fugiebat, *vero Christianismo*, qui primo adspectu apparet iis, quibus nulla praeiudicia mentem occuparunt, quemque, exiguis discrepantiis exceptis, adhuc omnes intellexerunt, *in systemate Kantiano locum esse omnino non posse.*“

Cur hunc locum Perronius dissimulavit, qui alterum continuo subsequitur, quemque adiici oportuit, si Hermesio iniuriam non facere, si lectores non decipere animus esset? Et Perronius qui sic narrat, animum ab omni partium studio vacuum moderationemque iactabit, quos ille comites in via a se facienda habiturus sit? Certe equidem has voces proloqui non amplius auderem, equidem erubescerem meque ipse contemnerem, si officia, quae illis nominibus denotantur, unquam ita laesissem, ut laesit Perronius per totum operis sui contextum. Vae, vae ei theologo, de quo Perronius referendum habebit!

Perronii fontes. — Eius diligentia et falsae narrationes.

„Antequam ad hanc operam accederem,“ scribit Perronius in libelli sui primordio, „diligentissime documenta paravi, quibus opus esset, ut nihil affirmarem, nisi quod certis fundamentis niteretur.“

Nulla diligentia magis laudanda est quam ea, de qua loquitur Perronius; nulla magis necessaria quam haec ipsa, cum praesertim, ut satis constat, in dissensionibus ecclesiasticis recentioris aetatis falsa documenta, fictae epistolae, suppositae adeo litterae pastorales, falsae declarationes non defuerint, et quidem in iis partibus non defuerint, a quibus stare voluit hic noster vir probus Perronius. Sed tamen idem hic Perronius, qui nihil affirmat, nisi quod firmis fundamentis nitatur, p. 12. narrat, Hermesium die Februarii 16 anni 1799 titulo mensae principis, eius, qui tunc episcopus in partibus infidelium et administrator capitularis fuerit, mox episcopus Monasteriensis, Caspari Maximiliani liberi baronis de Droste-Vischering, fratris eius, qui nunc archiepiscopus Coloniensis, sacerdotem consecratum esse. Sed falsum hoc est quod tradit Perronius, idemque argumento esse potest, quam leviter Perronius promittat et continuo a promissis deficiat. Primum enim Hermesius titulum mensae principis a Caspare Maximiliano de Droste impetrare non potuit: nam liber baro de Droste hunc titulum ut episcopus in partibus infidelium impertire ei non potuit. Neque idem ut administrator dioeceseos hunc titulum ei praestare potuit: nam idem liber baro neque anno 1799 administrator dioeceseos fuit neque post unquam fuit. Omnino nullus administrator dioeceseos Monasteriensis anno 1799 Hermesio mensae titulum praestare potuit, quia tunc Monasterii administrator dioeceseos nemo fuit. Anno 1799 Princeps Elector Coloniensis, Maximilianus Franciscus, episcopus erat Monasteriensis, atque Vicarius eius generalis, qui dioecesin administrabat, neque is erat, qui nunc episcopus est Monasteriensis, neque is, qui nunc archiepiscopus Coloniensis, sed is erat liber baro de Fürstenberg! Porro falsum est, Hermesium *titulo mensae principis* sacerdotem consecratum esse. Quem ante nominabamus, Princeps Elector, ei *titulum mensae episcopalis* d. d. Francofurti 1. Octobr. a. 1798 donavit.

Tam male Perronius vel ea tradit quae ex actis Romae asservatis edoceri potuit, et nihilominus idem scribit, sese nihil affirmasse, nisi quod firmis fundamentis niteretur.

Index Romanus. — Stattlerus.

Ad suspicionem in Hermesium movendam et ante (p. 10.) Perronius tradidit, eum Stattleri operibus usum esse, quorum magna pars, ut cuique compertum, in indicem librorum prohibitorum relata sit, et iam (p. 12.) ad eosdem libros reversus narrat:

> „Hermesium anno 1807 dogmaticae in universitate Monasteriensi professorem creatum esse, ibique Stattleri scriptis saepissime usum esse, cum ea Theodisce converteret, quae Stattlerus Latine conscripsisset.“

Antequam quae in his falso tradita sunt corrigamus, de Indice librorum prohibitorum dicemus, ut definiamus, ad quam normam Perronii suspiciones in hac re exigendae sint.

Duo sunt quibus natura et indoles ecclesiae catholicae constituitur, dogma et disciplina. Unusquisque Catholicus, qua talis officio tenetur, ut quodque dogma, quod legitima auctoritas definivit, fido animo credat. Qui dogma aliquod credere recusavit, catholicus esse desiit. Aliter sese res habet in disciplina. Huius pro loci et temporis ratione discrepantias esse licet, quibus substantia et unitas catholicismi non laeditur. Ita v. c. disciplinae est, quod vitam caelibem agere debent clerici Romani, et quanquam Graeci uniti huic praescripto non obsequuntur, tamen ob eam causam ex societate ecclesiae catholicae nullo modo excluduntur. Concilium Tridentinum, quamvis auctoritate sua plurimum valeat in tota ecclesia catholica, tamen disciplinae praecepta dedit, quorum non pauca in singulis terris catholicis, quamvis post expleta paene tria saecula, nondum recepta sunt. Iam ad disciplinam ecclesiae pertinet etiam institutum Indicis Romani, h. e. notitia publice perscripta eorum librorum, qui fidei bonisque moribus damnum afferre existimantur a Congregatione in urbe Romae ad hoc negotium constituta, quorum lectio hanc ob causam catholicis, nisi peculiari permissione impetrata, non permissa est.

Non omnis liber in hunc indicem demandatus haereses con-

tinet. Satis causae est, cur liber aliquis in indicem recipiatur, si insunt propositiones, quae ad haeresin accedant sive haeresin sapiant, si insunt propositiones schismaticae, erroneae, impiae, scandalosae, piarum aurium offensivae, temerariae, seditiosae, blasphemae, male sonantes rel. — Facile intelligitur, in una terra male sonare propositiones, quae in altera non male sonant; in una terra propositiones offendere, quae in aliis non offendunt; certis quibusdam conditionibus periculosas esse posse propositiones, quae alioqui non sunt. Haec haud dubie causa est, cur Index Romanus non in omnibus terris receptus sit et auctoritate publica non sancitus, cur nonnullae terrae, ut Franco-Gallia, Belgia, Hispania, Austria, suum quaeque Indicem habeant.

Quae sequuntur auctoritates ultra omnem dubitationem ponent quae diximus. Quod attinet ad imperium Austriacum, Rechbergerus in *Enchiridio suo iuris ecclesiastici Austriaci* scribit [1]:

> *Declarationes* a congregationibus cardinalium editae, licet in forma authentica expediantur, et generales sint, nec ad locum certum nec ad personam restrictae, vim tamen legis pro ecclesiis particularibus tum solum habent, si sunt receptae ac legitime promulgatae. Id quod de indice quoque librorum prohibitorum a congregatione indicis condito statuendum est.

In annotatione ad haec addit:

> Decreto caesareo dd. 14 Maii 1781, subditi omnes, sive clerici sint sive laici, si de libris permissis vel prohibitis quaeritur, non aliam nisi quae a censura librorum caes. reg. praescripta est, normam sequi iubentur.

Ipse adeo Index Romanus per imperium Austriacum in librorum prohibitorum numero est, et illa praescripta usque ad hanc diem per omnem civitatis Austriacae ambitum legum vim habent. Ut in terra Austriaca, ita per Franco-Galliam Index Romanus nunquam receptus est.

> „Decreta Congregationum Inquisitionis et Indicis, scribit Fleuryus, ecclesiae Gallicanae illustrissimus scriptor, ut

---

1) Rechberger, Enchiridion iuris Austriaci tom. I. p. 146.

sententias et responsa doctorum amplissimorum suspicimus, sed nullam eorum in rebus ecclesiae Franco-Gallicae iurisdictionem agnoscimus“ 1).

In diurnis historicis et litterariis 2) quae Leodii cura Kerstenii prodeunt ante hos tres annos scriptum legebamus:

„Verum hoc est, Indicem per Franco-Galliam legis auctoritate carere, et quidem tacito summi Pontificis consensu, qui theologorum Franco-Gallicorum hac de re placita novit nec tamen reclamat. Quapropter fideles qui per Franco-Galliam libros in Indicem simpliciter receptos possident leguntque, in poenas non incurrunt, quas Index sancivit.“

Hoc de Franco-Gallia dictum etiam de Germania dicendum est, ubi item Index librorum prohibitorum nunquam sive evulgatus est auctoritate publica sive receptus, neque per legem eam ob rem latam neque tacito consensu. Ut argumenta alia satis nota omittamus, ad institutiones iuris ecclesiastici Walteri, professoris Bonnensis, provocabimus. Is enim in prima operis sui editione §. 95. p. 173. in variis Congregationibus etiam Congregationem Indicis memorat haec scribens:

„Congregatio Indicis, quam Sixtus V libris censendis constituit. Itaque Indicem librorum prohibitorum edit cum praeceptis quibusdam, quae tamen *in Germania non observantur.*“

Etiamsi igitur Hermesius Stattleri scripta legisset, immo si postea adeo in praelectionibus ducem eum secutus esset, nullum ecclesiae praeceptum violasset, unde intelligitur, Perronii criminationem utique iniustam esse. Omnibus satis notum est, Dannenmayri *Institutiones hist. ecclesiasticae* in Indicem Romanum esse relatas, et tamen iisdem Institutionibus pro compendio palam usae sunt universitates Vindobonensis et Herbipolensis, usus est ordo theologorum catholicorum in universitate Giessensi, usus est in celeberrimo Seminario quod Treviris floret is vir qui etiamnunc litterarum et orthodoxae fidei laude

1) Fleury, Institution au droit canonique.

2) Journal historique et litteraire.

cumulatissimus vivit, Schuius, Ecclesiae cathedralis Trevirensis Canonicus! Id ipsum coram episcopis, ad quos ea res pertinebat, iisque probantibus factum est, neque cuiquam in mentem venit, ut illos professores discipulosve eorum in suspicionem heterodoxiae adduceret. Ceterum vituperatio a Perronio in Hermesium in hac re collata, eadem, si iusta esset, Ordinariatum Monasteriensem eumque ipsum, qui nunc est archiepiscopus Coloniensis, premeret. Namque eodem anno (1807), quo Hermesius professor Theologiae dogmaticae in academia Monasteriensi institutus est, liber baro Clemens Augustus de Droste, Coadiutor Vicarii Generalis sede vacante, ad id munus a libero barone de Fürstenberg repraesentatus, factus erat. Hermesius si legem aliquam ecclesiae violasset, liberi Baronis de Droste officium postulasset, ut intercederet. Sed nunquam intercessit, idque haud dubie nulla alia causa omisit, quam quod nulla iusta causa aderat.

Sed ultro si concedamus, Indicis per Germaniam vim et auctoritatem legitimam esse, nulla tamen Perronio causa est, cur Hermesium accuset, quod is opera Stattleri legerit. Facultates quinquennales episcopis permittunt, ut veniam concedant legendi libros prohibitos. Unde igitur Perronius compertum habet, *caruisse* hac venia Hermesium? Si compertum non habet, denuo in Hermesii memoriam peccavit. Compertum autem habere non potuit, nam ipse liber Baro de Droste Hermesio libros prohibitos legendi licentiam litteris datis concessit. Si noster Theologus Romanus maiore veritatis amore fontem a se *dissimulatum* explorasset, vel quae ibi reperit integra nec mutilata, ut virum probum decet, retulisset, animadversurus erat, Stattlerum Monasterii semper magni aestimatum esse, Hermesioque illius scripta verisimiliter a Fürstenbergio et a praeside seminarii Monasteriensis, qui in operibus Stattleri egregie versatus erat, commendata esse. Immo tantum aberat, ut damnatio scriptorum Stattleri eius per Germaniam auctoritati quidquam derogaret, ut theologia dogmatica in universitate Theodoriana Paderbornensi multis annis post damnationem coram episcopo principe Francisco Egone de Fürstenberg, duce Stattlero, traderetur! In ipsa Academia Monasteriensi etiam annis 1812 et 1813 Borgmannus, Theologiae professor, *de Gratia et Sacramentis* iuxta Stattlerum praelectiones habuit. Numquid igitur Hermesius propterea quod, cum

litterarum studiosus esset, libro usus est, qui Monasterii ab omnibus magni aestimabatur, qui Paderbornae et Monasterii palam ad praelectiones adhibebatur, quem praepositi eius ipsi suspiciebant, quem, ut est in fonte illo Perronii, adeo Vicarius Generalis ei commendasse videtur, num hoc nomine suspicione onerandus est? Nonne apertum est, Hermesii vitam paucis sane naevis inquinatam sanctissimamque videri, cum eiusmodi res adversarii protrahere cogantur, quibus tanquam maculis eam foedare conentur? Quanto melius officio hominis Christiani Perronius satisfecisset, si existimasset, veniam Hermesio concessam fuisse, ut libros prohibitos legeret! Christiani enim officium postulat, ut tamdiu de ceteris hominibus bene sentiamus, donec certa argumenta contrarium evincentia compareant. Ego quidem nescio, an Perronio permissum sit, libros prohibitos legere: at hoc scio, a Perronio multos libros prohibitos testes citari, eumque ab aliis certe existimari velle, a sese eos lectitatos esse. Sed quid tandem homines dicerent, si ego nullis certis argumentis instructus temere latrarem, legi a Perronio libros prohibitos, v. c. Institutiones Wegscheideri, et hoc ita facerem, ut lectores crederent, Perronium libris perniciosis operam insumere, eundem leges et praecepta ecclesiae negligere, parvi pendere, pessumdare!

Sed videamus quid veri insit in illa Perronii narratione, qua tradit: „Hermesium Stattleri scriptis semper usum esse, eaque Theodisce convertisse, quae ille Latine conscripsisset.“ O miseros vos doctrinae studiosos, qui tanto ardore praelectiones Hermesii dum Monasterii Westphalorum docebat frequentastis! Vos cognitum non habebatis, Hermesium nihil egisse in scholis suis, nisi ut Theodisce conversa traderet, quae Stattlerus Latine conscripserat! Vos alioqui in eiusmodi rebus tam sagaces estis, omnem tramitem quamvis occultum exploratis, quo praeceptores incesserint ad schedulas suas ditandas! Stattleri opera, licet in manus vestras venirent, licet operam vestram iis daretis, nihil tamen vidistis eorum quae vidit Perronius πανόπτης, immo oculi vestri triplici vitta obtecti fuerunt! Sed quidni Perronius oculos vobis aperuerit, pudore vos offuderit, certe docuit iste, quomodo aliquis Theologiam dogmaticam tradendo eum plausum facillime ferre possit, quem tulit Hermesius! Scilicet Stattlerus perpetuo

convertendus est, quae is Latine scripsit, in Theodiscum sermonem transferenda sunt!

Hoc habet omnis affectus, ut quod in se ipse insanit, in id putet etiam alios furere. Habes sententiam verissimam, verbis sancti Martini Braccarensis expressam. Perronium haec scribere posse, non mirabuntur qui cognoverint, eum depromere sapientiam suam ex iis, quae e Theodiscis et Anglicis, quum ipse harum linguarum imperitus sit, ab adolescentulis litterarum studiosis convertenda curavit; non mirabuntur qui cognoverint, quomodo *Institutiones Wegscheideri* in usum suum convertat simuletque, temerarie plane atque inconsiderate, se litterarum Theodiscarum esse peritissimum! Quod si ad Hermesium revertamur, is *nunquam* id fecit quod Perronius ipsi hoc loco affinxit, nunquam is duce Stattlero dogmaticam docuit, sed Dogmaticam specialem, quemadmodum lectionum indices universitatis Monasteriensis ostendunt, iuxta librum Klüpfelii, a Gregorio Thoma, qui nunc est episcopus Linciensis denuo editum, tradidit, cumque interiecto deinde tempore suam Introductionem philosophicam explicare coepisset, dogmaticam tamen etiam tunc secundum Klüpfelium explicuit. Anno demum 1811 suis schedis ad dogmaticam docendam usus est. Sin Hermesius re vera fecisset id quod Perronius dicit, non sane Stattlerum commendasset, sed, ut plagiariorum et compilatorum vulgus solet, oculis discipulorum scripta eius diligenter subtraxisset.

De ratione, quae inter Hermesium et liberum baronem de Droste-Vischering intercessit.

Supra memoravimus, eodem anno (1807), quo Hermesius dogmaticae professor in litterarum universitatem Monasteriensem adscitus est, Clementem Augustum de Droste-Vischering Coadiutorem Vicarii generalis creatum esse. Perronium ea ratione, qua ambo illi viri sese contingerent, cupide usum esse, ut aliquam suspicionem in Hermesium moveret, pro eius consuetudine exspectare possumus. Et sane sic est; scribit ille: „Statim ab initio, posteaquam Hermesius in universitate Monasteriensi praelectiones habuit, simultates intercesserunt inter ipsum et eum, qui nunc est archiepiscopus Coloniensis: is enim qui tunc eius dioecesis administrator capitularis erat Hermesii methodum

sermonisque Theodisci usum improbabat, quippe quo usus linguae stricte theologicae corrumperetur."

Ut quo haec pertineant (nam quid valcant ad finem quem sequitur Perronius, post demum apparebit), aestimari possit, in universum nonnulla praemonenda sunt.

A primis Christianae doctrinae temporibus in ecclesia fuerunt, quorum alteri doctam cognitionem et demonstrationem dogmatum Christianorum opus esse et interdum plane necessariam existimarent, alteri vitae usum unice spectantes doctam theologiae tractationem et philosophiam non solum contemnerent, sed etiam periculosam esse contenderent. Nitebantur hi verbis illis Iesaiae prave intellectis: „nisi credideris, non intelliges" [1]; porro dicebant, neque prophetas neque apostolos fuisse philosophos, et tamen ab his mundum Evangelii lumine esse collustratum et in melius conversum; scientia vim divinam dogmatis attenuari; apostolos spiritu sancto repletos tanta perfecisse; hunc igitur unice rogandum esse, doctrinam non petendam esse, ne sic ostenderemus, deesse nobis divini spiritus afflatum. — Quamvis qui haec sentirent exemplis Apologetarum Christianorum, velnti Iustini, Tatiani, Athenagorae, Theophili, Tertulliani, Minucii Felicis, Arnobii, qui doctrinae et philosophiae armis certamen adversus gentiles fortissime felicissimeque sustinuerant, redarguerentur, quamvis Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, alii omni sua auctoritate et argumentorum pondere hanc opinionem oppugnarent, eadem tamen in ordinibus clericorum defensores suos semper nacta est. Partim illud molle, enervatum atque languidum quod in omnium fere animis inest, partim peccata, quae philosophiam et scientiam amplexi admitterent, fecerunt, ut plurimi contra doctrinam niterentur et illa ratio consisteret et permaneret. Argumenta, quae afferi possunt et ad vindicandam et ad reprobandam hanc rationem exposita legimus in opere Mabillonii, quod doctissime scripsit *de studiis monasticis* [2].

---

1) Cf. Muratorii aureum librum de Ingeniorum moderatione, et quidem cap. V. ubi acutissime veram huius dicti vim explicavit.

2) Qui hunc librum, qui est *de studiis Monasticis*, legerit, amplius quod desideret nihil erit. Videtur autem Archiepiscopus Colonien-

Iam quemadmodum Hermesius totus a partibus stetit eorum, qui doctrinam ad probandam vindicandamque religionem Christianam plurimi faciunt et maxime futuros religionis magistros ad disciplinas tota mente tractandas impellunt atque incitant, sic baro Clemens Augustus de Droste contrarias partes quam maxime secutus est: is enim tum asceticum vivendi genus magis probabat, tum, quod nobili genere ortus erat et amplissimo ordini hominum adscriptus, magis administrationem rei ecclesiasticae sectatus erat. Ut Hermesio persuasum erat, et doctrinae et sanae philosophiae armis impetus retundendos esse, quibus recentior philosophia religionem Christianam petivisset, sic qui nunc est archiepiscopus Coloniensis existimavit, his malis alia ratione medendum esse, et quidem ita, ut ii qui Catholicum nomen profitentur, a contagione saeculi et ideis in eo vigentibus et ab omni litterarum genere arcerentur atque procul haberentur. Harum sententiarum quae vera sit, Hermesiine, qui cum Goethio, recentiorum poetarum facile principe, crederet, hanc esse legem larvarum et daemonum malorum, ut qua via introissent eadem eos expelli oporteret, an baro de Droste qui putaret, temporis rotam atque decursum a sese prehendi sistique posse, id nunc quaerere mittimus. Sed hoc facile manifestum est, utriusque sententias de adiumentis, quibus procurari et sustentari debeat ecclesiae salus, non potuisse non inter se discrepare. Sed cum de adiumentis dissentirent, necesse non erat, ut pariter de fine per adiumenta illa consequendo dissiderent.

---

sis Abbatis Bouthillier de Rancy vestigia premere voluisse, qui excepta sacra scriptura, nullum fere librum legere monachis suis permisit. Vid. *Ouvrages posthumes de Jean Mabillon et de Thierri Ruinart. Tom. I.* Ibidem doctissimum virum *Huetium* Mabillonio scripsisse relatum est:

»Je suis ravi que vous aiez entrepris de desabuser ceux à qui on a voulu persuader depuis quelques années, que l'ignorance est une qualité necessaire à un bon Religieux. Je suis dans un lieu où j'ai vu soutenir cette maxime, si favorable à la fainéantise des cloitres qui est la mère du relachement.« Ibid. p. 392. Ea omnia vidit dioecesis Coloniensis non quidem in Monachis sed in clero saeculari, in animarum pastoribus. Tempora mutantur, sed homines non mutantur in illis!

Quodsi Perronius tradit, statim ab initio, posteaquam Hermesius in universitate Monasteriensi praelectiones habuerit, *simultates* intercessisse inter ipsum et eum qui nunc est archiepiscopus Coloniensis, hoc, quemadmodum fere omnia quae a Perronio narrantur, falsum est. Nemo est qui cognoverit, inde ab anno 1807 usque annum 1819, quo tempore Hermesius publice et insigni discipulorum applausu Monasterii theologiam professus est, simultates inter ipsum et Clementem Augustum de Droste intercessisse. Per omne hoc tempus Hermesius unus erat qui theologiam dogmaticam in universitate Monasteriensi docebat, omnes qui theologiae operam Monasterii navabant scholas eius frequentarunt, neque unquam eam ob causam, cum examina theologica subirent, ne minimum quidem sollicitati sunt. Hoc equidem non negabo, episcopum tum magis fortasse probaturum fuisse, si Hermesius Latine praelectiones suas habuisset, sed nulla *simultas* exorta est. Etenim cur Hermesius prae ceteris ob linguam Theodiscam in simultatem incurreret apud administratorem capitularem? Quippe ceteri theologiae professores in universitate Monasteriensi, Kistemakerus, Katerkampius, Brockmannus, viri per omnem Germaniam celebratissimi, item lingua in praelectionibus suis Theodisca utebantur. Quamobrem si archiepiscopus nunc Coloniensis unum Hermesium ob linguam Theodiscam vexavisset, is nullo modo a crimine iniquitatis liberandus foret. Nam quomodo cum iustitiae legibus conciliari posset, si uni Hermesio interdixisset, quod ceteris omnibus permitteret? Verum Perronius Romanis lectoribus scribit, atque in his bona pars est eorum qui nesciant, in Germania nobilissimos quosque theologos lingua Theodisca in praelectionibus suis et scriptis uti solere. Neque iusta causa obstat, quominus Germanis liceat patria lingua in scriptis suis uti, cum gravissimi auctores ecclesiastici prioris aevi libros theologicos patria lingua ediderint. Patres et scriptores Graeci, veluti Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius, Athanasius, Basilius Magnus, Chrysostomus, omnes hi Graece scripserunt; Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius Latine, h. e. populari lingua scripserunt. Immo s. Augustinus, quo multitudo melius intelligeret, quae ipse scriberet, in multis librorum suorum a puritate Latinae dictionis discessit. Litterae Franco-Gallicae praestantibus in theologia operibus abundant, et nonne litterae Italicae

egregiis libris, sermone populari scriptis, ornatae sunt? Nonne ipse sanctissimus Pater, Gregorius XVI. librum illum exquisitiori doctrina et rerum copia abundantissimum ***Il Trionfo della Santa Sede*** Italice scripsit? Ab exeunte saeculo praecedente omnes praestantiores Germaniae theologi opera sua lingua Theodisca conscripserunt. Et tamen unus est Hermesius, quem ob linguam Theodiscam in libris et praelectionibus adhibitam in suspicionem adduxit Perronius. Si Hermesius poenam meruit, propterea quod Theodisca, h. e. patria lingua in libris editis usus est, cur s. Athanasius, s. Augustinus eodem crimine non onerantur? Cur Perronius non etiam episcopum Frintium, non episcopum Sailerum, non episcopum Galuram, non canonicum Geigerum, cur non Binterimium reprehendit, animarum pastorem eundemque multorum voluminum effectorem et notissimum in Germania (utinam et Romae fuisset) hominem! cur idem non reprehendit fere omnes Germaniae theologos, quod libros suos Theodisca lingua ediderint? An uni Hermesio non licet, quod ceteris theologis omnibus licet? Si hoc est narrare *sine ira et studio,* sane id, quod dicimus sine ira et studio, mox apud omnes bonos diffamabitur.

Methodus Hermesiana. Hermesii de methodo commentatio. Locus, Vincentii Lirinensis.

Quae adhuc exposuimus ostendunt, quid sentiendum sit de iis, quae Perronius de methodo tradidit. Fortasse, qui tunc fuit Vicarius generalis, Clemens Augustus de Droste aliam methodum Hermesianae praetulit, sed simultas ob methodum nunquam inter eos exorta est. Tot mala de methodo Hermesiana narrata sunt, ut aequum videatur, in ea aliquantum immorari, ut naturam eius et qua ratione ad alias referatur, accuratius cognoscamus.

Vix eas methodos reperias, quae tam arto vinculo cum natura eius rei, quae tractatur, cohaereant, ut alia alius in locum succedere nequeat. Materia enim plurimarum disciplinarum et artium ita comparata est, ut plures methodos admittat. Inde variae methodi; inde loquimur de methodo didactica sive de systematica, de methodo inveniendi sive Socratica, de methodo analytica, de synthetica, de historica, de critica. Omnes hae methodi suas quaeque virtutes habent, et huius aut illius electio fieri

solet pro ingenio eius, qui certam quandam disciplinam tractandam suscipit, pro mentis facultatibus et usibus sive discipulorum sive lectorum, pro praesenti culturae statu et ratione, et pro temporis conditionibus. Apud eum populum, in quo magnum artium et disciplinarum studium in vigore est, magis magisque augeri solet methodorum varietas; qui praestantis ingenii, qui cogitandi subtilitate eximii sunt, novas semper vias sibi aperiunt, et ratio, quae ipsorum propria est in inveniendis iungendisque ideis, quaeque efficit, ut ipsae ideae non aliunde depromptae sed ex proprio fundo profectae videantur, exemplum praebere solet sive maiori sive minori parti eius gentis, quae in sui cultu occupata est. Etiam theologia Christiana per varia saecula diversas methodos experta est. Alia methodo utuntur patres apostolici, alia patres et scriptores ecclesiastici Alexandrini; ab his rursus, quantum quidem ad methodum attinet, longe discrepant Africanae et Romanae ecclesiae scriptores ac patres. Ab omnibus methodis, quas adhuc memoravimus, diversa erat quae mediae aetatis primis temporibus obtinuit, ab hac ipsa discessit Scholasticorum methodus, a Scholasticorum rursus illae methodi differunt, quas hodie iam adhiberi videmus. De pretio his methodis aut tribuendo aut derogando docti theologi omnibus temporibus dissenserunt, sed nulla earum unquam, qua talis, ab ecclesia damnata est. Futuris quoque temporibus ea de re contentiones erunt, et erunt quidem, donec homines intellexerint, nullam methodum ab omni parte perfectam esse, et donec non contigerit, ut, quas utilitates et damna quaecunque tum per se tum in singulis causis afferat, accurate definiamus. Methodi Socraticae, abs qua Hermesiana ingenio suo nihil differt, multas esse virtutes, prae ceteris omnibus eam excellere ad animos alliciendos et tenendos, eandem plurimum valere ad attentionem mentis excitandam et persuasionem efficiendam, unde non iniuria inveniendarum idearum methodus appellata est, haec sententia eiusmodi est, quae paucos adversarios offendat. Sed hac methodo ut cum fructu quis utatur, ante omnia requiritur, ut is *ipse cogitet*, et quidem ipse cogitet severo verbi significatu: qui ad philosophandum minus promptus et aptus, is, quamvis multas notitias foris collectas habeat, aut sine ullo fructu aut exiguo cum successu ea utetur.

Sed iam ipsam causam deprehendimus, cur multi viri docti hanc methodum adversentur. Methodum scilicet quam se ipsos accusare malunt.

Verum enim vero unde tandem accidit, ut in Hermesianam methodum prae ceteris tot maledicta iacta sint, ut haec accusetur, unde, quasi ex novo equo Troiano, in Catholicam ecclesiam per magnam Germaniae partem pernicies invaserit? Cur Hermesio noluerunt concedere, quod omnibus theologis omnibus saeculis licuit? *Habent res magnae plerumque parva initia*: sed ut ad hanc quaestionem respondeamus, ad originem harum dissensionum, sane miserrimarum, revertamur necesse est.

Hermesius quum primum Bonnam venit, Windischmannus adversarius ei exstitit. Poterat iste hoc quod datum erat vitae placide tranquilleque traducere, si id tantummodo egisset, quod vitae eius ratio ab ipso postulabat. Sed contigit ei, quod alias quandoque fieri a Cicerone relatum est, scilicet ut sive stultitia sive invidia perturbationes animi quasi quasdam furias in eius vitam immitterent atque incitarent. Quare perfractis cancellis artis medendi, in qua vitae suae tabernaculum collocaverat, non solum in philosophiae campum irruit, sed temerario plane ausu in ipsum sacrosanctae theologiae sacrarium irrupit. In Hermesium, vicinum suum, quemadmodum postea uberius demonstrabimus, impetum fecit. Singula quidem Hermesii placita cum spe successus impugnari non poterant: nam et ipsa tam bene fundata, tam dilucide et Catholice exposita erant, existimatio praesidum ecclesiasticorum, qua Hermesius gaudebat, eiusdem animi in ecclesiam catholicam propensio tam egregie cognita erat apud omnes, ut hac via ab adversario sperari nihil posset. Iam cum fieri non posset, ut Hermesius singularis cuiusdam doctrinae, minus rectae et cum fide Catholica pugnantis, accusaretur, generale aliquod et incertum crimen circumspiciebat. Methodus erat, quam Windischmannus aggressus est, quam per viginti fere annos vexavit. Hac in re tam diu et assiduo versatus, in vivida animi sui imaginatione eo prolapsus est, ut methodus Hermesiana in dies atrocior mentis eius oculis obversaretur, ut quasi monstrum horrendum et ingens ei videretur, quod apertis faucibus doctrinam et ecclesiam catholicam, si non omnem, tamen certe per Germaniae fines devoraret. Hac

mente Windischmanni responsum illud Romanum scriptum est, hac mente methodum Hermesianam ibi diiudicavit. Adeo teterrima haec spectra animum eius occupaverant, ut in eo responso serio asseveret, quod perquam ridiculum est, theologiae studiosis necessitatem impositam esse, *ut methodum Hermesianam verbotenus ediscerent!* Haec opinio, rara ea constantia, quam Windischmannus in hac re ostendit, *in sermone familiari et per epistolas, ex cathedra et in diurnis* semper ab eo repetita est, donec plurimi homines de horribili methodo Hermesii loquerentur, quamvis qui haec iactarent, paene omnes de eius natura et exsistentia non plus cognovissent, quam de exsistentia et specie Iudaei illius, quem aeternum circumvagari fabula narrat.

Qualis autem sit methodus Hermesiana, id sine dubio ex libris eius optime disci potest. Praeterea in *Actis Hermesianis* Elvenichii tam dilucide proposita est, ut qui vacat praeiudiciis primo adspectu intelligat, naturam eius non diversam esse a Socratica, h. e. ab ea methodo, qua ideas ut ipsi inveniamus excitamur. Ut Socrates, sic Hermesius ubique ab interrogando inchoare solet. Interrogat: Estne homini certitudo et persuasio veritatis? Estne Deus? Qualis ille est? Estne supernaturalis revelatio Dei ad homines? Ad has omnes quaestiones iis, qui illum sive audiebant sive legunt, responsionem non dictando suppeditat, sed, quemadmodum Socrates olim fecit, ut ipsi responsionem inveniant, efficit, et nonnisi dux in via praeit, quae illis ingredienda sit, ut responsionem ad omnes eas quaestiones inveniant, quae in dogmatica solvuntur. Hac arte usus est Hermesius, ut discipulos ad meditandum et cogitandum impelleret, ut eiusmodi eos cognitionibus imbueret, quae e sanis radicibus et e proprio solo profecta essent, ut ab omni servili imitatione eos averteret.

Hermesius ipse methodum, iuxta quam dogmaticam professus est, peculiari dissertatione proponere aggressus est. Quamvis eam imperfectam reliquerit, tamen publicae notitiae non subtrahendam esse existimavimus. Qua re id certe efficiemus, ut stipem non contemnendam conferamus, unde methodus eius et rectius aestimetur et simul intelligatur, quanto labore, qualibus artibus opus fuerit, ut Hermesii methodus diffamaretur.

Dissertatio
de methodo tradendae theologiae dogmaticae.

Si de generali theologia agitur, h. e. de ea quae de principiis theologiae exponit praeceptisque, quomodo inde hauriendum sit, omnes facile conveniunt, ea in re methodum analyticam adhibendam esse; magnopere autem dissentiunt theologi, vel, ut verius dicam, repugnantes eos offendit is, qui eandem hanc methodum heuristicam ad specialem ac praecipue ad dogmaticam theologiam applicare ausus erit vel adeo pronuntiaverit, hanc unice aptam esse. Nonnulli autem quamcunque de methodo theologiae specialis ac praecipue dogmaticae quaestionem plane supervacaneam esse et plane inutilem existimant. Quippe opinantur, si principia, unde dogmata tam quae spectant doctrinam dogmaticam quam moralem deducuntur, semel constituta sint, theologiae iam nihil reliquum esse, nisi ut colligat collectaque, prout quaeque magis minusve cognata sint, in ordinem certum redigat. Haec sententia ut refutetur, illa autem approbetur, id haec disputatio duplex propositum sequitur. Nihil praeterea addendum habeo, nisi ut móneam, fore ut per totam disputationem una theologia dogmatica spectetur.

I.

Refutatur sententia quae statuit, omnem quaestionem de methodo in tradenda theologia dogmatica observanda plane reiiciendam esse.

Si eos, qui methodum in theologia dogmatica pertractánda non morantur, respicimus, duo genera eorum invenimus. Sunt enim qui in hac disciplina omnem de methodo quaestionem supervacaneam esse propterea putent, quod ipsa haec disciplina eis supervacanea videtur, qui methodum despiciant, quod doctrinam, ea excolendam, rem levem et inutilem esse credunt. Alii

rursus inveniuntur, qui et ipsi quaestionem de methodo abiiciant, quamvis de disciplina ipsa contrarium sentiant. Hi quidem iudicio contrario ad eam opinionem adducuntur, dum existimant, hanc disciplinam non indigere eodem adminiculo, quo ceterae omnes, sive eam doctrinam, quae sit fons et columen religionis, esse praestantiorem sanctioremque, quam ut in modum artium profanarum eam exornari et quodammodo sacra sua veste exui liceat. Illi quaestionem de methodo in theologia reiiciunt, quod hanc doctrinam methodo non dignam, hi, quod eandem supra methodi dignitatem elatam existimant. Huic dissertationi non propositum esse neque esse posse, ut priorem sententiam redarguat, in oculos incurrit. Isti enim de methodi quaestione rectius sentirent, si in ipsa doctrina non caecutirent. Sed eo errore quomodo depellantur, non apparet, nisi ipsam doctrinam, et quidem omnibus commodis a methodo percipiendis instructam, ante edocti erunt; ut alteros illos adversarios redarguamus, nunc nobis propositum est, quod manifesto ob ignorationem methodi et perperam de theologia sentientes ad hanc opinionem deducti sunt. Cum hi ad sententiam suam defendendam alterutrum affirmare cogantur, aut commoda, quae ea doctrina ex methodo percipiat, nullius momenti esse, aut cuiuscunque methodi, quae forte adhibeatur, eadem esse commoda, cum alterutram sententiam suam facere cogantur, utraque examini subiicienda est, sed ita ut prior, quae methodo in dogmatica quamcumque utilitatem denegat, plane evertatur, altera autem, quae statuit, commoda illa huic doctrinae sine ullo negotio conciliari posse, corrigatur, dum monstratur, nullam quidem methodum huic doctrinae esse plane inutilem: sed multum abesse, ut quaevis methodus, quam forte adhibeas, pariter ea commoda suppeditet, quae theologia dogmatica a methodo exspectare debeat. Ut utrumque rite monstremus, duae quaestiones proponendae sunt et solvendae:

1) Utrum commoda, quae doctrinae cuidam una methodo docendi conciliari possunt, gravia sunt, quod ad institutionem attinet, an non sunt, idque usu venit in theologia dogmatica?

2) Num haec commoda in dogmaticam saltem theologiam redundabunt ex quavis methodo, in quam doctor theologiae in-

ciderit? nam in unam aliquam semper incidet, quia institutio sine omni methodo non magis fieri potest, quam materia sine forma quacunque.

§. 1.

Utrum commoda, quae doctrinae cuidam una methodo docendi conciliari possunt, gravia sunt, quod ad institutionem attinet, an non sunt, idque usu venit in theologia dogmatica?

Ad quam quaestionem quomodo respondendum sit, diu non est circumspiciendum. Nam sponte liquet, ad huius quaestionis responsionem requiri quidem, sed simul sufficere, si commoda, quae omnis institutio ex methodo percipit, proposuerimus, iisque aestimandis demonstraverimus, quam ea utilia vel necessaria sint cuivis doctrinae ac speciatim theologiae dogmaticae. Quod quo melius praestemus, ab ipsa methodi natura ordiamur oportet. Hinc enim liquebit — ac nulla alia via tam liquidum et certum fieri potest, — quatenus et quomodo doctrinae cuiusdam expositio methodi ope iuvetur. Natura vero methodi intelligetur, si ante ostenderimus, quaenam huic verbo subiecta sit notio. Inde igitur initium fieri oportet.

Vocabulum *methodus* iuxta originem suam *assectationem, persecutionem* denotat; sed si loquendi usum spectamus, idem, ubi sermo est de doctrina artium, *viam et rationem docendi* denotat, et ipsa methodus nihil est nisi haec *ipsa via* et *ratio*. Prior illa significatio satis in hac altera elucet, id quod liquebit, ubi id vocabulum in partes suas, quemadmodum propositum nostrum postulat, discretum proposuerimus. — Loquimur de *via*, ut significemus, doctorem quodammodo in via incedere, dum docet, h. e. dum suam seriem cogitationum proponit. Sed quoniam cogitationum series duobus modis proponi potest, dum notiones aut iunguntur aut evolvuntur, duobus item modis ingredi hanc viam aliquis potest, et secundum diversitatem ingrediendi duplici nomine haec via notatur. Nam si ita in hac via ingredimur, ut notiones iungantur, iuxta naturam huius viae *methodus synthetica* vocatur: sin ita in hac via ingredimur, ut notiones resolvantur, a natura huius viae *methodus analytica* vocatur. Quemadmodum igitur via comparata est, qua quis ingreditur, ut cognoscendum aliquid alii suggerat, ita methodus docendi qua uti-

tur comparata est; aut synthetica est aut analytica. Qui id agit, ut seriem quandam perceptionum disiungat, is, dum hoc agit, id quod docet ipse nescit, sed explicat cogitando id quod docturus est; non scit, sed explorat et invenit, non tam docet quam ipse cummaxime discit; sed idem simul docet et discit, si statim cum aliis communicat, quod modo didicit. Ex indole huius methodi manifestum est, eum, qui illa in docendo utatur, non solum cum discente communicare scientiam suam, sed eidem simul monstrare, quomodo hanc invenerit, eoque facultatem afferre, ut is ipse diiudicet, an qui docet, id quod tradidit, ipse scierit. Inde liquet, hanc methodum illis doctrinis utilissimam esse, quarum placita in repugnantes incurrant, vel apud quas animi discentium suspicentur, fallaciam clam latere, quae suspicio argumentis intelligendis parum aptos reddit, quaeque vel maxime impedit, quominus argumenta admittantur.

Qui iungit seriem cogitationum, is tam diu cogitationi cogitationem adiungit, donec seriem suam perfecit. Is quod docturus est ante *sciat* oportet. Nam si ab hac serie placitorum se duci non pateretur, nesciret, a quibus cogitationibus initium facere, ad quas deinceps pergere et quatenus progredi deberet, donec consistere seriemque cogitationum concludere necesse esset. Nam haec omnia is, qui iungit seriem, iuxta propositi sui rationem, qua iam cognita et constituta placita probaturus est, ante definire debet; utique haec ante definire debet, quod alioqui neque rationem et viam neque certos fines eorum quae traditurus est cognitos haberet. Haec componendi methodus sive *δογματίζουσα* a natura sua coniunctiva *synthetica* vocatur. Sed haec omnia satis nota sunt, neque ego commemorarem, nisi hoc loco ea meminisse utile esset ad ea quae subsequuntur.

Methodus etiam *ratio* vocatur, ut indicio sit, eum qui docet non solum, ut modo expositum est, viam ingredi, sed ingredi certa ratione, vel ut significetur, et coniunctionem et disiunctionem perceptionum certa quadam ratione peragendam esse. In methodo synthetica quidem *haec ratio* initium, progressum et exitum eius quod traditur (seriei cogitationum) complectitur, ac lege definitur ea, quam docturus sibi praescribit, scilicet unde proficisci, ad quid pergere et quem ad finem pervenire velit. In analytica autem duplex est ratio, prout propositionem demon-

strandam et interim pro vero admissam disiungendo in alias resolvas, sed ita ut consequens quaeque propositio proxime superiorem totam amplectatur eamque inverso ordine restituat, donec postremo ad indubitatam quandam vel notis argumentis commonstrandam devenias; aut dum rationem intelligibilem ac sufficientem propositionis demonstrandae disiunctione semper repetita in alias resolvas, et quidem semper in eiusmodi rationem, quae rationis proxime praegressae, ubi ea rursus ut propositio producitur, sufficiens ratio sit, donec ad rationem deveneris, cuius nulla iam probatione indigemus, quaeque per se constat. Quam igitur quis rationem, si methodo synthetica utitur, suam facit, quamque, si analytica utitur, adoptat, ea huius ab hac parte methodus est.

Exposita methodi docendi notione natura eius declarata est, simulque responsum est ad id, quod interim in quaestionem venerat. Sed liquetne ex natura methodi, qualis ea nobis adhuc innotuit, quas utilitates quaecunque institutio ex methodo petat et nonnisi ex ipsa petere possit, numque graves sint eae utilitates? Liquet sane. Secundum ea, quae diximus, manifestum est, omnem *dispositionem* et *iuncturam* cogitationum, quae traduntur, et discentis omnem intellectum huius dispositionis et iuncturae ex methodo pendere, methodum omnino docentis expositioni formam conciliare, eam esse, quae formam a se conciliatam et materias in ipsa ostendat, eoque ex materia ad docendum proposita disciplinam faciat. Itaque in omni disciplina methodus magni momenti res est. Disciplina sine methodo nihil est nisi materia sine forma, quae, ut apud omnes constat, intellectui se subducit. Itaque qui methodum in dogmatica tractanda levem iudicant, qui contemnunt, quique pro sua virili parte omnino relegare velint; ii nihil aliud agunt, nisi ut animam mente vel corpori animum eripiant, quo fit, ut voluntate aut re ipsa hanc disciplinam, dum eam supra omnes alias disciplinas elevari credunt, infra omnes alias deprimant. Quae diximus sufficere iam videantur ad refutandam eorum opinionem, qui affirmant, dogmaticam methodo supersedere posse vel adeo supra ipsam esse. Sed ut quae universe exploravimus etiam in partibus suis agnoscantur, singulas utilitates, quas a methodo cuique disciplinae suggeri oportet, enumerabimus atque explorabimus, quo loco

singulae utilitates tum in ceteris artibus generatim tum in theologia dogmatica obtineant.

§. 2.

Postquam intelleximus, esse methodum, quae disciplinae alicui dispositionem et partium iuncturam conciliet, et unde methodus proficiscatur, ut appareat, utrumque inesse in methodo, iam facile est, singulas enumerare utilitates, quas methodus praebere debet, ut disciplina exsistat et doceri possit. Ad hanc rem nihil opus est nisi ut quaeramus, quomodo disciplina ordine et iunctura et utriusque intellectu conformetur. Ad quam quaestionem in promptu est responsio: *ordine* efficitur, ut disciplinae *nihil desit, ut sit tota*; *iunctura* fit *una*, *intellectu* utriusque *firma* atque certa evadit. Haec tria cunctas methodi utilitates complectuntur, quae in disciplina emergunt. Itaque ut magnam harum utilitatum in institutione et cuiusque doctrinae explicatione gravitatem probemus nihil opus est, nisi ut haec tria, quae modo posuimus, explicentur et utilitates inde emanantes, h. e. *ordo*, *iunctura* et utriusque *cognitio*, vindicentur.

Ordine efficitur, ut nihil desit disciplinae.

Si materiam docendi spectamus, ut *tota* et integra sit disciplina quaedam, nihil requiritur, nisi ut omnes partes complectatur, quibus ipsa constituitur. Inde consectarium est, quamvis disciplinam *integram* vocari posse et quodammodo esse, quantum quidem attinet ad materiam, quae tradenda suppetit. Sed multo magis requiritur, ut, quemadmodum materia, sic etiam forma integra appareat, atque hoc est de quo loquimur, cum dicimus, dispositione (ordine) integram fieri disciplinam. Integritas autem non efficitur, nisi universae et singulae disciplinae partes, pro se quaeque, tam manifeste ad adspiciendum praehibentur, ut nulla adspectum fugiat. Ac ne hoc quidem satis est, sed id quoque impetrari debet, ut intelligatur, disciplinam, qua talem, re vera ex his partibus constare. Utrumque praestari, tunc tantummodo perspicimus, si singulae partes iuxta leges semper firmas et dilucidas disponuntur et proponuntur eoque certa forma disciplinae conciliatur. Vide mihi utilitatem methodi, quatenus constat certa quadam institutionis ratione, si syn-

theticam adhibeamus. Sed si analytica methodo utamur, discipulo obiecta suppedites, quae iuxta eiusmodi normam omnes partes complexam sicut filo conserta sint, quo, dum eo duci se patitur, ad omnes singulas partes adducitur; sic animadvertet, eas omnes non solum collectas esse, verum etiam certa quadam ratione cohaerere iisque disciplinam constitui. Hinc apparet, dispositionem (ordinem) esse, qua integra fiat disciplina, idque nulla alia via impetrari posse.

Quid utilitatis disciplinae accrescat, si *integram* esse intelligimus, planum fiet et manifestum, si disciplinam dispositione carentem ante animum proposueris, in qua singulae partes non nisi membra disiecta compareant. Quomodo talis disciplina sese habet? Nonne aedificio similis est, quod in aedificando etiamnum versatur, cuius singulas partes quidem perlustrare possis, sed cuius summam non videas cuiusque speciem mente formare nequeas? Disciplinam ita comparatam ne nomine quidem disciplinae dignam esse, manifestum est. Quam enim scientiam discipulo conciliatura est? Nullam omnino scientiam, quae alicuius pretii sit, cum totum quod mens capere possit nihil habeat. Si nihilominus aliquid praestat ac discipulum non omnino inanem dimittit, vagas quasdam et incertas ideas cum eo communicabit, quae tamen, simul atque eam rem e conspectu omiserit, e memoria cito elabentur.

Haec de disciplina et scientia in universum dicta sunto. Quae qui satis consideraverit, mox sibi persuadebit, ut mihi quidem certum est, nullam disciplinam ad tradendam aptam esse, nisi si tota declaretur. Si quae adhuc exposita sunt ad dogmaticam theologiam vel quamvis aliam maioris ambitus disciplinam applicentur, tamen dubitatio suboriri potest, verane haec sint quae ostensa sunt. Tunc enim apparebit, talem disciplinam, quamvis hac prima utilitate methodi careat, tamen magnum eruditionis fructum afferre posse, id quod experientia satis luculente probat. Sed quae diximus, iis hoc tantum probatur, nulla disciplina quamvis magna integram institutionem exhiberi posse, nisi si tota proponatur. Praeterquam autem aliquid asserere non fuit in animo. Nam quod huic sententiae refragari videtur, id neque rei naturam neque, cuius mentionem fecimus, experientiae contrarium testimonium incertum reddere potest, si modo animum

adverterimus, in certa quadam disciplina, licet integram esse non intelligamus, tamen singulas doctrinas expromi posse, et plures quidem, adeo omnes, quae integrae praebeantur. Ubi hoc fit, ibi illae disciputi animum informabunt, quantum per se solae possunt, quod nemo negabit, quodque ipse non negavi. Sed quid inde consequitur? Nihil sane contra meam sententiam. Eiusmodi disciplina traditur quidem, non autem tota traditur, sed partes tantum eius, non integra, sed fragmenta; eoque in disciplina artium fit id, quod in universum verum, immo sponte manifestum et omnibus sine dubio notum est, propositum quoddam singulare impetrari posse, ut tamen generale propositum vel aliud singulare simul non impetretur. Itaque credat sane quisquam, se quodammodo doctiorem factum esse eo opere, quod systematis ordine careat ideoque haud integrum esse videatur, tamen credere idem nolit, se suo experimento refutavisse quod nos affirmavimus, cuiusque disciplinae quamvis amplae certam quandam dispositionem esse oportere, eandemque integram fieri opus esse, ut finem sibi propositum assequatur.

Immo si quis hoc experimentum repetere iterum legere velit quod ante iam legerat, iamque quaerere curet, quibus locis scientia sua amplificetur, quibus non, et quomodo utraque pars se habeat, eum confido utique accepturum esse et defensurum idem, quod a me dictum est. Sed hac de re verba iam facere desistam, cum ipsi adversarii hoc velint, ut singula dogmata colligantur ac, prout plus minusve cognata sint, in certum ordinem redigantur, — quod praeceptum quanquam nihil praescribit, nisi ut singuli tractatus quodammodo integri exhibeantur, eodem tamen ob paritatem rationis aeque comprobatur, et demonstrationem singulorum dogmatum et disciplinam universam pariter integram praestari par esse.

Iunctura unitatem systematicam praebet.

Disciplina unitatem non eo adipiscitur, quod singula, de quibus agit, certo quodam ordine et consecutione explicat, probat, proponit atque omnia quodammodo filo cuidam adnectit (haec illa ratio et modus), sed tum demum disciplina integra et est et videtur, si universa et singula quibus continetur, quocunque tandem nomine denotantur, pro fine mere scientifico definiuntur et nonnisi ob hunc finem certa serie exhibentur. Doctrinam ita comparatam, nec

vero alia ratione instructam et esse et videri unam, res ipsa loquitur. Sed si hoc teneamus, iam fugere neminem potest, unitatem doctrinae nonnisi ex iunctura partium prodire in eaque agnosci posse. Quodsi doctrinae alicui notam unitatis imprimere velis, omnes eius partes quasi vinculo continere debes, particulam particulae adiungere et ita adaptare, ut omnes inter se coniunctae scientiam exhibeant. Hic modus, quo unitas artium continetur, omnibus artibus sive disciplinis communis est, ita quidem ut nihil attineat, quam late pateant et quibus partibus constent, sive ex iis quae iuvant unitatem sive ex iis qui impediunt. Sed quomodo pro diversitate ipsarum disciplinarum haec ratio, hic modus certe intelligi adhiberique debeat, id manifestum erit, si ipsum ad diversas disciplinas applicaverimus. Si statuamus eiusmodi doctrinam, quae tam exiguo ambitu sit, ut una propositione eiusque adprobatione absolvatur, nihil amplius ad unitatem eius proponendam requiritur, quam ut argumenta varia, quae ad probandam eam afferuntur, ita inter se iungamus, ut ante expositum est. Sed si disciplinam maiore ambitu praeditam statuamus, quae non solum multas variasque propositiones complectatur, sed etiam in disputationes ampliores excurrat et in plures partes discreta sit, iam opus est, ut non solum probationes singularum propositionum, quae modo ante descripto concinnatae et secum coniunctae et exhibitae sint, afferantur, sed ipsae etiam propositiones singulis capitibus connectantur: et haec postremo in disciplinam consummatam illata constituantur, et ita quidem, ut quodque caput et totum systema et quaeque disciplinae propositio simpliciorem vel magis generalem scientiam praebeat. Si tum vero contrariae assertiones tractandae sunt, quorum hae probationem eius quod docetur admittunt, illae reiiciunt, etiam hae ad unitatem argumenti revocandae sunt. Quod quidem ita fiet, ut argumenta contraria cum probantibus argumentis composita eo ipso diluantur, aut ea, quae diminuta sunt, novis additis aut alio quodam modo acuantur et perficiantur.

Haec sufficiant quibus ostendatur, quomodo cuique disciplinae concilietur unitas et quemadmodum haec unitas cum discente communicetur. Deinceps dicendum est de utilitate, quam unitas disciplinae praebeat. Sed antequam ad hanc veniam, lectorem rogatum volo, ut animadvertat, in disciplinam ab hac uni-

tate systematicam indolem redundare, neque alia de causa systematicam vocari disciplinam quandam, dein idem esse, sive dicimus in disciplina unitatem esse debere, sive eam systematicam esse debere, ita tamen ut unitas causa sit, systematica indoles effectus. Equidem existimo, hanc admonitionem quodammodo utilem fore in enumerandis et diiudicandis utilitatibus, quas unitas disciplinae cuidam conciliat; atque hoc existimo propterea quod systematis nomen multo usitatius est et notius quam unitatis.

Postquam intelleximus, non modo quantum commodum sed quam utilitatem utique necessariam ab integritate disciplinarum omnis institutio nanciscatur, non alienum videtur, immo consultum quam maxime, si ad utilitates, quas unitas praebet, definiendas et aestimandas hinc incipiam, ut rationem exhibeam, quae inter has duas virtutes disciplinae alicuius, de quibus adhuc egimus, intercedit easque iungit: nam hoc multum iuvabit, ut intelligamus, utrum illa virtus, de qua nunc loquimur, aeque necessaria et non minus in universum necessaria sit, quam quae ante dicta est, nec ne. Quod igitur ad hanc rationem attinet, ex iis, quae supra dicta sunt, facile intelligemus, duas eas virtutes inter se connexas et quodammodo coniunctas esse, ita tamen ut disciplina quaedam, dum unitate praedita exhibetur, eo simul integra exhibeatur, ut autem integra exhiberi possit, licet unitate careat — dico illam absolutam unitatem, quam supra definivi, quaeque re ipsa sola vera unitas est, quamquam totum et ipsum integrum vocari potest, et quod integrum est, idem certa quadam ratione unitatem habet. Unitas enim disciplinae secundum naturam suam ipsa id praestat, quidquid disciplinam integram facit, quod consideranti sponte apparebit. Sed contrarium dici nequit. Tum etiam intelleximus, eam indolem, quae disciplinae propterea vindicatur, quod integra est, quamquam alteri dignitate et pretio cedit ac facilius comparari potest, tamen vi et necessitate adeo antecellere, ut, ubi haec sit, disciplina ad tradendum apta esse, ubi autem non sit, non apta videatur. Unde tandem maxime probatur, eam prae ceteris necessariam esse, hoc est quod supra diximus, ut huic virtuti vim suam et singulare pondus, quae in quaque scientia habeat, vindicaremus, ea nos dubitare non sinunt, quin haec sit, sine qua ceterae non adesse et quodammodo consistere possint, ita ut iuxta ipsam etiam ce-

terae adesse, sed sine ipsa plane neque unitas neque certitudo adesse possint.

Quodsi hoc scimus, iam facile est ad intelligendum, quamque disciplinam eximia quadam formali praestantia ornari, si non modo integra est sed etiam unitate praedita. Sed hanc non absolute necessariam esse, id ex singulis notis in virtutibus illis earumque ratione designatis luculente apparet. Primum id maiore dignitate et pretio unitatis ostenditur: satis enim constat, quo maior et amplior virtus aliqua sit, eo magis aptam esse ad certum finem consequendum. Dein idem inde elucet, quod etiam minor illa virtus finem illum assequitur: nam si patet, unam ad finem iam satis esse, inde consequitur, alteram ad eundem finem non plane necessariam haberi oportere. Tum hoc etiam inde intelligitur, quod, licet aliquid insuper necessarium sit, eius necessitas ei rei non adaequari potest, quo ipsum exsistit et constituitur. Quanquam hae virtutes disciplinae alicuius, de quibus nunc agimus, arto vinculo inter se cohaerent et cognatae sunt, tamen ex ratione, quam et per se ipsae et in finem institutionis sequuntur, utique manifestum est, ex absoluta necessitate alterius, qualem pronuntiavimus et demonstravimus, item similem necessitatem alterius cogi non posse, ac licet verum sit, eum qui doctrinam quandam non totam exhibeat, discendi cupidis nonnisi verba dare, vel summum eorum animis nihil nisi incertas et vagas ideas praebere, tamen utique concedendum est, nihilominus aliquid ex disciplina quadam disci posse, quamvis *unitate* careat.

Neque res aliter comparet, si per se spectatur. Nam si doctrina quaedam, dum exponitur, non ut una exhibetur, inde plures singulae doctrinae nascuntur, quique has recipit, is diversis quidem rebus informatur, sed nihilominus docetur. Nemo enim negat, eum tantum rem quandam scire, qui, ut una est, ita quoque intellectu ut unam recipiat; sed nihilominus unusquisque concedit, eum quoque singula scire, qui singulas rei cuiusdam partes deinceps vidit easque sibi succedentes animo excepit, praesertim si totum earum excepit, quamvis unitatem principiorum non exceperit. Sed plane negabunt, hunc rem quandam cognitam habere, et id tantum concedent, adesse ei certum cognitionum numerum, cum has obiter excepit iisque acquievit. Neque vero negare par est, etiam hanc singularum rerum scien-

tiam utilem esse, et non raro perutilem: sed non facile aliquis reperietur, qui tam stultus sit, ut scientiam rei, quatenus una est et tota, scientiae eorum quae singula discuntur quomodocunque partae anteponat.

Verum est igitur, doctrinam unitatis indole carentem ob id solum non statim ei doctrinae adaequandam esse, quae ne tota quidem proposita est, cum haec nullam, illa autem imperfectam tantum scientiam praebeat. Sed non minus verum est, quamque scientiam, quae, quo tandem ambitu sit, tamen una sit, illi multum anteferendam esse, quae hac virtute careat, cum praeter hanc nulla alia virtus sit, quae integrum intellectum praebeat. Inde quod diximus sponte consequitur, scilicet unitatem doctrinae in quaque disciplina utilissimam esse et maximum commodum institutioni praebere, neque licere ut ea negligatur, minus etiam par esse, ut contemnatur, quatenus disciplina perfecta fieri studeat, sed eandem vulgo pro re utique necessaria non haberi, ac si interdum pro tali habeatur, minus tamen requiri, quam requiratur illa virtus, qua disciplina quaedam integra fiat. Hunc minorem necessitatis gradum semper, ubi reperiatur, relativum fore patet, quia ex peculiari fine, quam aliqua disciplina assequi studet, apta est; si verbi causa finis eiusmodi esset, ut disciplina non qua talis, sed qua systematica eum sectaretur. In hac causa ad finem perveniri non posset, nisi via ad eum doctrinae unitate patefacta et munita esset. Atque hoc usu venit in *theologia dogmatica.*“

Hactenus Hermesii de Methodo commentatio in manus nostras venit. Sed eam, ut supra memoravimus, neque perpolivit neque ad finem perduxit. Quae reliqua erant, ea in hunc modum paucis adumbrata dederat:

„Commentationis reliqua pars de theologia dogmatica haec proponet atque demonstrabit:

Syllogismus. Theologia dogmatica in unum hunc finem exponitur, ut ad intellectum veritatis adducamur, et ut agendi rationem secundum eam accommodemus. Atqui disciplina, cui hoc propositum est, quidquid praestiterit, finem suum non assequitur, nisi unitatis legem observaverit. Ergo *una* sit dogmatica, h. e. secundum legem unitatis exposita sit, oportet.

Maior explicando facile manifesta fiet.

Minor ostendet, a disciplina, quae quod diximus homini praestare velit, nisi una sit et integra, veri sensum cui adiuvando et augendo destinata est non modo non iuvari, sed turbari ac tolli; unde consequetur moralem libertatem, quam homini restituere summus ipsi propositus est finis, magis etiam infirmari ac tandem prorsus frangi. Nam fieri nequit, id quod usu venire quotidie proh dolor! videmus, quominus homines multis dogmatis iisque non raro ad speciem inter sese contrariis, nisi ostensum sit, quomodo consistant et in unum generalius omnia revertantur in idque redeant, cum in sentiendo tum in appetendo huc illuc distrahantur, itaque ad verum percipiendum segnes et suspiciosi reddantur, unde vis liberae voluntatis in ipsis primum debilitetur, dein repetitis cladibus adimatur."

Praeterea nonnulli ex s. Patribus loci, praecipue ex Gregorio Magno, ea quae exposita erant, illustraturi et confirmaturi erant. „Quivis", inquit, „qui animorum curam gerit id agere debet, ut semper habeat in promptu, quod singulis in quos forte impegerit, tum pro eorum utilitate tum pro eorum necessitate dicat, de qua re videndus S. Gregorius Papa et Ecclesiae Doctor in lectione prima 3l Nocturn. festi eiusdem Sancti 12ma d. m. Martii."

Finis commentationis propositurus erat:

„1) Refutationem argumentis confirmatam methodi historicae, quam Steinbartius produxit.

2) Refutationem eius moris, qui hodie invaluit, disciplinas totas in partes distribuendi atque separandi, discerptas pro se explicandi, et neglecta ratione qua partes ad totum referantur, et ceteris, quae natura sua ad eas pertinent, in considerationem non vocatis.

3) Postremum non alienum videtur, Melchioris Cani praeceptum respicere, cui theologus satisfacere vix poterit, nisi methodo analytica usus erit."

Haec igitur methodus est, quam Hermesius adhibuit! Dogmaticam ad leges scientiae pertractaturus est et ad hunc finem consequendum methodum heuristicam commendat, nullo alio con-

silio id molitus, nisi ut homines, quos in rebus fidei tam facile labi videmus, ad fidem et ad vitae actiones fidei consentaneas agendas adduceret! Si hoc crimen est coram hominibus catholicis, ubinam honesta actio reperietur?

„Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat, si qua iam expressa et enucleata, consolidet, firmet, si qua iam confirmata et definita, custodiat." In his *Vincentii Lirinensis*, praeclarissimi Theologi, verbis habes accuratissime definita quae Hermesius methodo sua voluit, quibus omnes labores, vitam ipsam impendit! „Fas est autem," ut idem vir egregius in aureo libello suo docuit, „ut prisca illa caelestis Philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur, sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem". [1]) Sed quod omnibus viris doctis qui rebus catholicis student, fas esse a gravissimo viro pronuntiatur, id nefas esse Hermesio dicemus? Hermesio qui summa ope nisus est ne in ipsum caderent gravissima illa Domini apud Ezechielem prophetam verba:

„Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos — — — gregem autem non pascebatis. *Quod infirmum fuerat, non consolidastis, et quod aegrotum, non sanastis; quod fractum est, non alligastis, et quod abiectum est, non reduxistis, quod perierat, non quaesistis*, sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia, et dispersae sunt oves meae eo quod non esset pastor, et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri." [2]). „Habet hoc proprium antiqui hostis invidia ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsa ad praesens simulando dilaceret" [3]).

---

1) Vincent. Lirin. Commonitorium XXIII.

2) Ezechiel.

3) Gregor. M.

Occultus fons detegitur, unde hausit Perronius. Perronio persona detrahitur.

Perronius quae tradidit de Hermesio, ea inchoavit ab hac asseveratione:

> „Sese, antequam ad operam accederet, documenta, quibus ad probandum opus esset, diligentissime acquisivisse, ut nihil affirmaret, nisi quod iustis fundamentis niteretur.“

Sed hoc nobis dicere contempsit scriptor accuratissimus, unde haec fida documenta petiverit, ubi fundamenta fuerint, quibus a se narrata niterentur. Sic nobis potestatem subtraxit, quominus ipsi videamus, ipsi iudicemus, sic nos aut consulto aut leviter suspensos et incertos fecit, qua animi affectione omnes liberari volunt, qui vere accurateque hanc rem edoceri cupiunt. Mirum igitur neminem habebit, nos ipsos circumspicere et investigare an occultos et dissimulatos hos fontes etiam sine Perronii auxilio detegere possimus. Et vero deteximus, neque cunctabimur quae deteximus communicare cum nostris lectoribus. Usus est Perronius levissimo apparatu, res suas non hinc inde, abhibito labore et diligentia, collegit, non longe arcessivit, non comportavit, sed in alienam sylvam expilator irrupit, et quod stare, quod eminere ac florere videbatur foedavit, detruncavit, vastavit. Tu igitur in manus si sumpseris

Commentarium ad celebrandam memoriam Georgii Hermesii scriptum a

D. Iohanne Wilhelmo Essero,

philosophiae professore Monasteriensi,

fontem primarium habebis, unde omnia fere manarunt, quae adhuc ut refutarentur memoravimus! Sed in hoc fonte adhibendo qua usus est Perronius ratione, ea nimis ad hominem noscendum luculenta est, nimis manifesto quid rerum agat et quo intendat prodit, ut committere non possimus, quominus singulis exemplis propositis ob oculos legentium eam collocemus. Quod ita fiet aptissime, ut ab Essero narrata adversum ea quae narravit Perronius posita compareant.

Esserus.

Hermesius natus est Dreyerwaldae, quae ad iurisdictionem Bevergerensem pertinuit, in finibus principatus Monasteriensis.

Gymnasium adiit vico patrio proximum, quod Rheinae fratres Franciscani moderabantur.

. Illuc Hermesius tempore paschali a. 1788 advenit — ita praeparatus semestri hiberno a. 1792 ad universitatem Monasteriensem se contulit — quae studiis philosophicis tunc excellebat.

Ibi ea aetate in ordine philosophorum *Ueberwasser* theoreticam philosophiam, *Kremeling* moralem philosophiam, *Gerz* mathematicam, *Baltzer* physicam, *Kistemaker* philologiam docebant.

Cursu philosophico confecto ad studia theologica a 1794 accessit. In ordine theologorum tunc hi professores docebant, *Forkenbeck* introductionem in studia theologiae et in dogmaticam, *Schnoesenberg* theologiam moralem et nonnullos dogmaticae locos, *Büntgens* historiam ecclesiasticam, *Albers* theologiam pastoralem, *Gocken* et post hunc *Kistemaker* exegesin biblicam.

Iam hoc tempore variae dubitationes et haesitationes in illo excitabantur. Quibus de rebus prae ceteris certior fieri cupiebat, erant

Perronius.

Georgius Hermes natus est *Diregerwaldae* (sic!) in principatu Monasteriensi in terra Westfalica.

In prima aetate scholas frequentavit Fratrum Franciscanorum, qui tunc Rheinae collegium sive gymnasium moderabantur.

Ibi inde ab anno 1785 [1]) usque ad 1792 permansit. Hoc anno Monasterium se contulit, ut philosophiae cursum in universitate inchoaret.

Eo tempore in ea universitate P. *Ueberwasser* theoreticam philosophiam, *Kremeling* (sic!) moralem philosophiam, *Gerz* mathematicam, *Baltzer* physicam, *Kistemawen* (sic!) philologiam docebant.

Anno 1794 cursum theologiae ibidem ingressus est, professoresque habuit P. *For-Kembeck* (sic!) qui introductionem in theologiam et in dogmaticam docebat, *Schnoesemberg* qui theologiam moralem et nonnullos dogmaticae locos exponebat, *Büntgens* qui historiam ecclesiasticam, *Albers* qui theologiam pastoralem, *Gorken* (sic!) et postea *Kistenmasker* (sic!) qui exegesin tractabant.

Quum primum theologiae studia ingressus est Hermesius, variae du-

---

1) 1785. Falsum est hoc.

Esserus.

ideae Deus, revelatio, vita sempiterna. — »Excitabatur in me,« ... ipse dicit in praefatione Introd. philosoph. p. IV. sqq.

Eo tempore praecipue operam dedit scriptis theologicis — Stattleri. — Id quidem non multo post intellexit, argumentum illud exsistentiae Dei ex fortuita, ut dicebant, mundi exsistentia petitum, omnino vanum esse. Praeterea iam tum in psychologiae scientia usque eo processerat, ut videret, ontologiae veteri, qua tota metaphysica nitebatur, parum curae fuisse, ut de fontium, unde notiones suas hauriret, puritate et certitudine constaret.

Anno 1798 exactis feriis autumnalibus — ad munus in gymnasio professoris accessit — ea fide, religione et sui commodi contemptu, quibus per omnem vitae cursum conspicuus fuit. Ad studia sua philosophiae et theologiae in hoc munere constitutus sine intermissione incumbere perrexit.

Ex novis philosophis Kantium prae ceteris Hermesius venerabatur et magni ducebat. — Sine ulla dubitatione hoc ei tribuit, quod primus ostendisset, metaphysicam veterum firmo fundamento omnino carere, quodque artis criticae studium in philosophis Theodiscis excitavisset.

Quamvis vero multa (in Kantio) reprehenderet — — non po-

Perronius.

bitationes in eo excitatae sunt de *Deo*, de *Revelatione* deque *vita sempiterna*, quemadmodum ipse confessus est in praefatione Introductionis suae philosophicae p. IV.

Profitetur, argumentum illud exsistentiae Dei ontologicum falsum esse, id sese intellexisse ex scriptis Benedicti Stattleri [1]) philosophicis et theologicis (magna pars operum eius viri in Indice librorum prohibitorum reposita est, ut notum omnibus). Praeterea hoc cognoverat, ut dicit Hermesius, ontologiam veterum deduxisse conclusiones suas ex fontibus satis impuris et incertis.

Talibus dispositionibus tempore autumnali a. 1798 ad professoris in gymnasio Monasteriensi munus accessit,

quo tamen munere haud impediebatur, quo minus studia sua philosophiae et theologiae amplius persequeretur.

Kantium magnopere aestimabat, quippe quem egregie ostendisse putaret, metaphysicam veterum firmo fundamento omni carere; itaque philosophum illum Regiomontanum primum fuisse declaravit, qui in Germania spiritum criticismi philosophici excitasset.

Investigatorem originalem eum

1) Falsum est hoc.

Esserus.

tult tamen — — calumnias Kantio illatas, viro tam praestantis ingenii, qui vitam uni ideae consumpsisset, aequo animo ferre.

Infirmitatem philosophiae Kantianae, si ad fundamentum spectaveris, Hermesius in eo positam esse intellexit, quod Kantius, qui affirmaret, a nobis sensu externo omnia in spatio, interno omnia in tempore adspici, simul contenderet, spatium et tempus *nihil* esse nisi *formas subiectivas*, quae non nisi in *subiecto*, quod intuetur, exstarent.

Etiam Fichtium *magni* Hermesius *aestimavit*, eumque esse putavit, qui philosophiam Kantianam omnino sustineri non posse monstraverit.

Dolebat Hermesius, Fichtium aliquando in id vitium incidisse, ut adversus omnes, qui contra dixissent, contenderet, suam philosophiam ab illis prave intellectam esse, aut intelligi ne posse quidem eosdemque ad omnem philosophiam haud aptos videri. Quapropter Hermesius et in praelectionibus suis et in libris ea tantum opera Fichtii respiciebat, quae multitudini destinata erant eoque consilio edita, ut homines ad intelligendam philosophiam eius cogerentur; sumpsit enim, se quoque ea revera intellexisse, quae auctore Fichtio omnibus perspicua esse oporteret.

In his libris prae ceteris magni duxit quem ille *de Destinatione*

Perronius.

appellavit ac praecipue praedicavit, quod is totam vitam suam *uni soli ideae* dicasset.

Nihilo minus Hermesius opinatus est, sese primarium Kantii errorem

in *formis subiectivis* deprehendisse.

Praeterea Fichtium in coelum laudibus tulit, qui se iudice probe demonstrasset, philosophiam Kantianam sustineri non posse.

Auditores suos ad ea Fichtii opera remisit, quae is serius scripsisset iisque editis priora et paulo obscuriora lumine collustrasset; ita allaboravit, ut auditores suos ad cognitionem philosophiae eius viri traheret.

Prae ceteris egregie commenda-

Esserus.

hominis conscripsit, quem Hermesius, si de ratione quaestionis philosophicae tractandae et verbis explicandae agitur, tamquam exemplar magnopere commendavit, quamvis luculente demonstraret, stare non posse, quae in eo libro proposita essent.

Sed idem Hermesius ingenue professus est, Fichtium ex recentioribus philosophis eum esse, qui eius systematis philosophici, quod Hermesius post constituit, primordia primus significaverit, eo quod dixerit, fieri non posse, ut ex scientia ad obiectum scientiae perveniamus; itaque aut ordiendum esse a realitate, aut aditum, qui ad eam perduceret, omnem praeclusum esse.

Sed cum necessitate sciendi coniunctam esse necessitatem qua compellimur, ut id quod scimus verum ratumque habeamus, hominesque hac necessitate haud magis quam illa exui et liberari posse, atque hoc ipso effici, ut constanter et inevitabili ratione veram omnique speciei contrariam realitatem teneant, hoc, uti Hermesius dixit, Fichtius non vidit.

Die 22 Decembris eiusdem anni 1798 tonsuram accepit titulo mensae Principis ab eo, qui tunc episcopus in partibus, nunc episcopus Monasteriensis, a viro reverendissimo et libero barone Caspare Maximiliano de Droste in Vischering, dein quatuor minores subdiacona-

Perronius.

vit librum a Fichtio conscriptum *de Fine hominis* (sic!)

tamquam exemplar quaestionis philosophicae tractandae et verbis explicandae, quamvis persuasum ei esset, doctrinam in hoc libro propositam sustineri non posse.

Postremo confessus est Hermesius, Fichtium primum fuisse, qui systema indigitaverit quod ipse post illum perfecerit atque in lucem ediderit.

Fichtium enim dixisse, fieri non posse, ut ex eo quod *ideale* ad obiectum *reale* perveniamus, ideoque a reali initium fiat oportere, si ad reale sive realitatem velimus pervenire.

Sed id unum, Hermesius dixit, a Fichtio visum non esse, si necessitas eius quod ideale unita sit cum necessitate (absoluta), huiusmodi ideale tamquam reale sive pro reali esse oportere.

Interea die 22 Decembris eiusdem anni 1798 tonsuram accepit, dein ordines minores subdiaconatumque; die 16 Februarii a. 1799 presbyter consecratus est *titulo mensae principis* ab eo, qui tunc episcopus in partibus et administrator episcopalis, postea episcopus

Esserus.	Perronius.
tumque, postremo presbyter ab eodem consecratus est die Februarii 16 anni 1799.	Monasteriensis, a Caspare Maximiliano, libero barone Droste de Vischering, fratre eius qui iam est episcopus Coloniensis.

Iam velim mihi dicas, exscribatne mansuete Perronius, dicas etiam, probusne ille vir esse videatur? Nihil iste nobiscum communicavit, prorsus nihil, nisi quod ex Essero compilavit, nihil addidit, nisi misellas quasdam suspiciones! Sane tam mansuetus iste est in exscribendo, ut etiam typographicos errores repetat. Quis verbi causa unquam quidquam audivit de professore Monasteriensi *Kremeling*? *Kremeling* est apud Esserum et *Kremeling* est apud Perronium! typothetae vitium in fine libri sui Esserus indicavit: sed famulus Perronii, ille „Theodiscus natus", eo usque non pervenit et hunc *Kremelingium* bono Perronio affixit! Quemadmodum vero Perronius aut eius fidissimus pragmaticus hoc quod corruptum erat nomen, etsi nullo negotio potuisset, non sanavit, ita reliqua nomina propria, ad lectorum mentes obtundendas ab ipso prolata, omnia fere corrupit et inaudita verborum monstra procreavit, quae cum qui aliquam harum rerum notitiam habet, non quidem ad metum et horrorem sed ad hilaritatem et risum impellunt. Scripsit enim maximus vocabulorum opifex, *Dregerwald* pro *Dreyerwalde; Rheines* pro *Rheine, Kistemawen* et mox *Kistenmasker* pro *Kistemaker, Schnoesemberg* pro *Schnoesenberg, Gorken* pro *Gocken,* et denique *For-Kembeck* pro *Forckenbeck!* Sed hoc parvum est, immo minimum videbitur, si intellexerimus, *quomodo* Perronius sua ex Essero hauserit. Nam hac in re nequitia Perronii et sociorum tam nigra compareret, ut horrore afficiamur. Ut brevi dicam, omnia Perronius omisit, quibus ea, quae tradit Esserus suo lumine illustrantur, ne ullum quidem locum exscripsit, quem veneno suo non corruperit! *Quae mutat ea corrumpit, quae sequitur sunt tota Democriti* 1). Eodem plane modo I. I. Roussavius seriem locorum ex sacra scriptura, quemcunque sua sede motum congessit, ut ostenderet, praecepta eius nefaria esse et impia! Sed ne Roussavius quidem, homo

1) Cicero de Finibus.

impius, serio id egit, quod Theologiae Doctor in collegio Romano in causa gravissima fecit, sed exemplo proposito monstrare voluit, quae placita alicui affingi possent, si quis improbe agere vellet. Perronii opera iam effectum est, ut exemplum a Roussavio propositum supervacaneum videatur: nam quod ipse prompsit, id a Roussaviano differt, quemadmodum veritas a fictione, ab umbra lumen. Nihilominus iste Perronius, qui ad Hermesium prosternendum nudus venit et inermis, nulla cognitione rerum, nulla transmontana doctrina ornatus, sed iis turpissimis armis armatus, quibus uti divinae leges et humanae vetant, haec scribit:

> „Antequam ad hanc operam accederem, documenta quibus ad probanda quae scriberem opus videretur, diligentissime acquisivi, ut nihil affirmarem, nisi quod certis fundamentis niteretur. Sed cum probe sciam, eam esse naturam commentationis, qualis haec est, ut crebras citationes repudiet, nunc quidem acquiescere eo debeo, ut iis omnibus, qui haec perlustraverint, *asseverem*, omnia quae insunt ex fidis fontibus petita esse. Quodsi aliquando conducere videbitur, opus quod iam inchoare conor colligere collectumque edere, tum *documenta, ad quae spectant quae tradidi, in extenso adiungam!!*"

Nihilominus interpres Theodiscus commentationis Perronianae eximiam scientiam iactat, quam Perronius ex secretioribus spatiis collegii Romani de hac quaestione, qua patria nostra vehementer commoveatur, sibi paraverit, et accuratam celebrat huius rei cognitionem, quae Romae obtineat. O miseram Romam, ubi homo vivit, qualis est Perronius! miseram ecclesiam catholicam, miseram veritatem! si te Perronius evulgandam et vindicandam habebit!

Perronius idem qui Wegscheiderus.

Vix explicari posset, quomodo Perronius tanta audacia hoc furtum committere ausus sit, nisi sciremus, eundem ante quoque in his doctrinae campis praedonem fuisse et adhuc impune nobilissimam hanc liberalissimamque artem exercuisse. Eo enim in dies audacior factus ad facinora magis magisque temeraria progressus est. Nam cum hominem Protestantem im-

pune expilavisset, etiam minus periculum esse credidit, ne in furto deprehenderetur, si idem in Catholico auderet. Verene Protestantem? Immo et Protestantem et strictissimi rationalismi sectatorem, isque nemo est nisi *Wegscheiderus*, Theologus Halensis, in cuius nomine lepide luserunt, quum ipsum, parva verbi immutatione, *Wegschneiderum* appellarunt, quippe quod dogmata Christiana r e s e c a s s e t!

Huius igitur Wegscheideri *Institutiones Theologicae* ἑρμαῖον est et fodina, unde Perronius omnes illas de doctrina Theodiscorum notitias sumpsit, quibus opus suum copiosum, cui nomen *Praelectiones Theologicae*, instruxit eoque viris doctis Italis imposuit! Ut Perronii χαρακτὴρ qualis sit, etiam ab hac parte appareat, atque ut cornicula risum moveat, continuo aliquot specimina communicabimus.

Wegscheiderus.	Perronius.
Pag 425 *seq. et p.* 202 *seq.*	*Vol. I. p.* 126 *seq.*
„Diversas hac de re sententias exposuit *Kuinoel* ad *Matth.* 27. 50. Vid. prae reliquis quae, ut efficeret, Iesum Chr. non vere mortuum, sed animi deliquium passum esse, disputavit *Paulus* Comment. III. ad Matth. 27. 50. p 810 seq. A. *Henneberg* Philol. hist. u. Krit. Commentar. über die Gesch. des Begräbnisses, der Auferstehung und Himmelfahrt Jesu — L. 1826. p. 137 ss.“	„*Paulusius* ex recentioribus biblicis protestantibus rationalistis comment. III. ad *Matth.* XXVII. 50, pag. 810 seq. plura congessit, quibus efficeret, Iesum Christum non vere mortuum sed animi deliquium passum esse. Sic A. *Henneberg* Philol. hist. u. krit. comment. üb. d. Gesch. des Begräbnisses, der Auferstehung u. Himmelfahrt Jesu, seu phil. hist. et crit. comm. super hist. sepulturae, resurrect. et ascens. I. *Lips.* 1826. p. 187 seq. et plures alii ex ipsis in hanc sententiam venerunt apud *Kuinoel* in Comm. sup. *Matth.* in h. l. Ast quaenam tam absurda sunt, quae impii eiusmodi homines non admiserint?“
„Historiam resurrectionis Christi in dubium vocarunt *Reimarus* in Lessing Beiträge aus den Schätzen der Wolfenb. Biblioth. 5tes Fragm. Wolfenb. 1777. *Wünsch* in I. Horus 1783. p. 241 ss. *Bahrdt*	„Historiam praeterea resurrect. in dubium vocarunt *Reimarus* in *Lessing* Beiträge aus den Schätzen der Wolfenb. Biblioth. 5 fragm. seu „Collat. ex thesauris Biblioth. Wolf. fragm. 5.“ Wolfenb. 1777. *Wünsch*

Wegscheiderus.

Ausführung d. Plans u. Zwecks Jesu. B. IX. et X."

„Paulus Comment. II 564 ss. *De Wette* Bibl. Dogm. 2. A. 199. *Bretschneider* Handb. d. dogm. I. 174 ss. Qua sententia probata non impedimur, quominus vel in allegoricis istis Iesu dictis eventu comprobatis, quemadmodum in singulis V. T. institutis atque oraculis veluti σκίᾳ τῶν μελλόντων (Col. 2. 17.) divinam providentiam pia mente agnoscamus. *Köster:* Immanuel, oder Charakteristik der neutestamentl. Wundererzählungen L. 1821. p. 304. — *Schuderoff* Neueste Jahrbücher f. Religions-, Kirchen- und Schulwesen B. II. *H.* 3. 1827. p. 349."

„Fuerunt inter theologos recentt., qui omnem de Iesu Chr. resurrect. narrationem tanquam mythum poeticum, sensu aliquo morali sive allegorico accipiendam esse putarent. *Semler* Beantwortung der Fragm. eines Ungenannten 2. A. H. 1780. vid. *Eberhard* Geist des Urchristenthums III. H. 1808. p. 122. Mythum historico-poeticum, e rebus in facto positis, quae pro visionibus et revelationibus habitae fuerint, effictum, praef. *Kaiser* Bibl. Theol. I. 253 ss."

Perronius.

in 1. Horus 1788 p. 241 seq *Bahrdt* Ausführung d. Plans u. Zwecks Jesu B. IX. et X. seu „Executio intentionis et finis Iesu." vol. IX. et X."

„Sic *Paulusius* Comment. II. 564 seq. *De Wette* Bibl. Dogm. 2. A. 199. *Bretschneider* Handbuch der dogm. seu Manuale dogm. Theol. I. 174 seq. quid intactum reliquit principium dissolvens protestantismi? Qua sententia probata non impedimur, quominus vel in allegoricis istis Iesu dictis eventu comprobatis, quemadmodum in singulis V. T. institutis atque oraculis veluti σκίᾳ τῶν μελλόντων (Coll. II. 17.) divinam providentiam pia mente cognoscamus. — *Emmanuel Küster:* Charakteristik der neutestamentl. Wundererzählungen, seu „Character narrationum miraculor. N. T." *Lips.* 1821. p. 304. *Schuderoff* Neueste Jahrb. f. Religions-, Kirchen- und Schulwesen B. II. *H.* 5 seu „Novissimi annales circa res relig. eccles. et schol. vol. II. *fol.* 5. p. 349 seq. 1827."

„Ideoque narrationem Iesu ad vitam revocati habeamus (rationalistae) ut mythum poeticum vel ad summum historico-poeticum. *Semler* Beantwortung der Fragmente eines Ungenannten 2. A. seu „Respons. ad fragm. anonymi cuiusdam" edit. 2. H. 1780. *Eberhard* Geist des Urchristenthums seu „spiritus primitivi Christianismi." III. H. 1808. p. 122. Mythum historico-poeticum e rebus in facto positis, quae pro visionibus et revelationibus habitae

Wegscheiderus.

Pag. 277.

„Vide quae post Paulum (Commentar. IV. p. 8 ss.) et *Eichhornium* (Einleitung in das N. T. II. 158 ss.) docte exposuerunt *Bertholdt* I. Christologia Iudaeorum 104 ss. Ideae λόγου a *Philone* et ab *Ioanne* adumbratae, si non plane easdam, simillimas tamen, substratas fuisse rationes, ex eodemque V. T. et lib. apocryphorum fonte profectas plurimis iam probatum est."

Pag. 268.

„Semina tamen dogmatis, aliis quoque populis haud incogniti ... *Ammon* Bibl. Theol. I. 160. Cf. *Pfanner* syst. Theol. gent c. III. De Trinit. Aegypt. v. *Jablonsky* Pantheon Aegypt. *Vogel* Ueber die Rel. der alten Aegypter u. Griechen. Nürnb. 1793. — de trin. Ind. v. *Anquetil du Perron* Oupnekhat, h. e. decretum tegendum — 2 Voll. Arg. 1801. 4. I. 8 ss. *Schlegel* Weisheit der Indier 108 ss. Fr. *Mayer* Brahma, od. die Rel. der Indier als Brahmaismus L. 1818. p. 37. de trinit. Platonica v. *Cudworth* Syst. intell. I. 635 ss. *Tiedemann* Geist der specul. philos. II. p. 118 ss. *Tennemann* Ueber den göttl. Verstand aus der platon. Philosoph.; in *Paulus* Memorabilien St. I. *Wundemann* Gesch. d. christl. Glaubenslehren I. 186 ss.; — de trin. Cabalistarum v. Eichhorn Bibl. d. bibl.

Perronius.

fuerint, effectum praefert *Kaiser* Bibl. Theol. I. 258 seqq.

Vol. II. p. 349.

„Huic praeiverat *Paulusius* comment. IV. p. 8 seq. *Eichhorn* Einleit in d. N. T. seu „introd. in lib. N. T. II. 158 seq. *Bertholdt* I. Christologia Iudaeorum 104 seq. et *Kuinoel* in comment. in lib. N. T. hist. III. 63 seq. quibus ideae λόγου a *Philone* et ab *Ioanne* adumbratae, si non plane easdem simillimas tamen, substratas fuisse rationes, ex eodemque V. T. et librorum apocryphorum fonte profectas plurimis iam probatum est."

Vol. II. p. 363.

„Ammon Bibl. Theol. I. p. 160. eiusdem semina antiquis populis haud ignota esse perhibet. *Pfanner* syst. theol. gent. c. III. fuse disserit de trin. aegypt., perinde ac *Jablonsky* in Pantheo aegypt. Sic *Vogel* Ueb. d. Religion der alten Aegypter etc. seu „de religione veterum Aegyptiorum et Graecorum" Norimb. 1733. De Trin. Indorum scripsit *Anquetil du Perron* Oupnekat, hoc est decretum tegendum 2. vol. Arg. 1801. 4. I. 8 seq. Sic pariter *Schlegel* Weish. d. Indier seu „sapientia Indorum" p. 108. *Mayer* Brahma, oder die etc. id est Brahma seu religio Indorum prouti est brahmaismus Lips. 1818. p. 37. — de Trin. platon. Cudworth l. c. Scripserunt praeterea *Tiedemann* Geist der specul. etc. seu „Spiritus speculativae philosophiae" c. 2. p. 118 seq. *Tennem.* Ueb. d. göttl. etc.

Wegscheiderus.

Lit. III. St. 2, (*Hallenberg*) die geheime Lehre der alten Oriental. u. Juden. Rost. u. L. 1805. 93 ss. 165 ss. Super origine quam christianum de trinit. dogma e *Philonis* de θεῷ, λόγῳ καὶ πνεύματι θείῳ doctrina duxerit, vid. *Wundemann* l. I. 194 ss. et *Stahl* in *Eichhorn* Bibl. d. bibl. Lit. IV. 814 ss.“

Perronius.

Seu „de divina mente ex Platon. philos.“ in *Paulus* memorab. p. I. *Wundemann* Gesch. d. christ. etc. id est, historia christ. fidei doctrin. etc. I. 186. seq. — de Trinit. cabalistarum scripsit *Eichhorn* bibl. biblicae litterat. III. p. II. (*Hallenberg*) secreta doctrina veter. orient. et hebraeorum Lips. 1805. p. 93 seq. et 165 seq. *Wundemann* vero l. I. 194 seq. et *Stahl* apud *Eichhorn* bibl. bibl. litt. IV. 814 seq. scripserunt super origine, quam (juxta ipsos) christianum de Trinitate dogma e Philonis de Θεῷ λόγῳ καὶ πνεύματι θείῳ seu „de Deo, Verbo et Spiritu Divino,“ doctrina duxerit“

Pag. 343.

„Primus impugnavit superstitiones istas *Fried. Spee*“ „*Christ. Thomasius,* magnum illud Acad Fridericianae olim decus, qui Diss. de crimine magiae 1701. immanem illum et fanaticum de sagis a diabolo agitatis errorem post *Bekkerum* fortiter et feliciter convicit; alii. *Mayer* historia diaboli. Ed. 2. Tub. 1780. *Meiners* Allg. krit. Gesch. aller Religionen. I. 398 ss. — Daemoniacos non a diabolo aut a daemonibus vexatos, sed certis morbis afflictos fuisse, *Semlerus* primus in Germania libere professus est. (Diss. de daemoniacis, quorum in Evangeliis fit mentio. H. 1760. 4. ed. 4. 1779.

„Novissimos inter philosophos patronus diaboli exstitit *Eschenmayer* I. Religionsphilosophie, II. Tüb. 1822. §. 86 ss. — *Meyer* Blätter f. höhere Wahrheit. Samml.

Vol. III. p. 38 *et p.* 60.

„Cf. *Christ. Thomasium* Diss. de crimine magiae 1701. *Mayer* Historia diaboli ed. 2. Tub. 1780. *Meiners* Allg Krit. Gesch. aller Religionen seu „universalis critica historia omnium religionum“ I. 398 sq. — Daemoniacos omnes non a diabolo aut a daemonibus vexatos sed certis morbis afflictos *Semlerus* primus in Germania libere professus est. Diss. de daemoniacis, quorum in Evangeliis fit mentio. *Hal.* 1760. 4. ed. 4. 1779.“

„Nec desunt ex recentioribus qui eidem sententiae adhaereant, inter ceteros *Eschenmayer* lib. Religionsphilosophie seu „de philosophia religionis.“ Tübingae 1822. §. 86 seq.

Wegscheiderus.

VII. Frankf. 1826. 208 ss. *Knapp* Vorles. üb. d. ev. Gl. I. II. 1827. p. 395." —

Perronius.

Meyer Blätter für höhere Wahrheit, id est, „folia pro sublimiori veritate." Samml. (collect.) VII. Frankf. 1826. 208 seq. *Knapp* Vorles. üb. d. ev. Gl. i. id est: „Praelectiones de fide evangelica." Halae 1827. p. 395 seq."

Pag. **283** *et* **305.**

„*Baumgarten-Crusius* Bibl. Theol. p. 382: „Die Verschiedenheit der Darstellung bei derselben allgemeinen Ueberzeugung von der Erhabenheit Christi zeigt schon, dass die Apostel nicht gesonnen und nicht bevollmächtigt waren, ein Dogma hiebei vorzutragen."

Vol. II. p. **350** *et* **308.**

. „Sic *Baumgarten-Crusius* bibl. theol. p. 382 inquit: „„Diversitas notionis seu ideae (quae nempe in apostolis reperitur), dum tamen eadem in ipsis viguerit persuasio excellentiae Christi, iam ostendit, apostolos nec intendisse, nec potestate fuisse donatos hac in re dogma aliquod proponendi."" „Dum haec leguntur in profanis istis hominibus" etc. —

„*Schleiermacher* Der christliche Glaube. II. B. 1822. p. 694: „„Es ist natürlich, je länger die Trinitätslehre unverändert in ihren jetzigen Bestimmungen bestanden hat, dass diejenigen, welche sich mit den Schwierigkeiten und Unvollkommenheiten mancher Formeln nicht aussöhnen können, von sich selbst behaupten, alles in der Dreieinigkeitslehre zu leugnen, während doch ihrer Frömmigkeit das eigenthümlich Christliche keinesweges fehlt. Daher müssen wir uns wohl hüten, nicht alles antitrinitarische als ketzerisch oder unchristlich zu verwerfen, sondern je mehr es Ueberhand zu nehmen scheint, um destomehr müssen wir uns aufgefordert fühlen, auch die kirchliche Darstellung einer neuen Prüfung zu unterwerfen, und mit Verlassung

„Adeo fidunt se rem totam confecisse tumidi hi insipientes! Hinc *Schleiermacher* Der christl. Glaube, seu fides christiana vol. II. p. 694. inquit: „„Ex rei natura est, quod, quo diutius Trinitatis doctrina immutata in suis hodiernis determinationibus constitit, illi, qui cum difficultatibus ac imperfectionibus quarundam formularum reconciliari nequeunt, asserunt cuncta se in hac Trinitatis doctrina negare, quamvis ipsorum pietati minime desit ex eo quod proprie christianum constituit. Quapropter nobis cavendum est, ne quidquid antitrinitarium est, tanquam haereticum et antichristianum reiiciamus. Sed quo magis hoc excrescere cernitur, eo magis excitemur ad ecclesiasticam hac de re expositionem novo examini subiiciendam, et nisi nos ipsi praepare-

Wegscheiderus.

des antiquirten eine dem gegenwärtigen Zustande der verwandten Vorstellungen angemessene Umbildung wo nicht vorzubereiten, doch wenigstens der Zukunft frei zu lassen.""

Pag. 322.

„*F. Ch. Schlosser* Universalhistor. Uebersicht der Gesch. d. alten Welt u. ihrer Cultur. 1. Thls. 1. Abth. Frkf. a. M. 1826. §. 3. p. 26. „„Keine Rücksichten auf religiöse Ansichten oder auf Anerkennung des Menschenwerths können uns abhalten der Tradition und den Andeutungen der Geschichte zu folgen, wenn sie, mit den Resultaten der Naturforschung übereinstimmend, in den Gegenden, welche den Revolutionen u. Ueberschwemmungen am ersten entzogen wurden, drei verschiedene Menschenstämme von ganz verschiedener Bildung und ganz verschiedenen Anlagen zeigen. Hohe Berge nämlich und in hochliegenden Strichen ausgedehnte Ebenen bezeichnen uns die Gegenden, wo wir die ersten Menschen suchen müssen, — das sogenannte Himmelajagebirg und die südl. Gegenden, Vaterland des kaukasischen Stammes — jenseits dieser u. der Berge, welche die Alten den Imaus nannten, die Wüste Kobi und Tibet — Ursitz des mongolischen Stammes — das innere Africa an den Mondgebirgen eines dritten Stammes. — America ist viel später aus seinem Urzustande hervorgegangen."" —

Perronius.

mus, saltem posteritati dimisso antiquato reformationem, quae praesenti affinium idearum statui conveniens sit, liberam relinquamus.""

Pag. 148.

„Satis superque liquet, quo in censu habendae sint temerariae sententiae nonnullorum qui sibi docti videntur, *dum ad inanem quandam gloriolam sibi captandam*" „non verentur scripturae sacrae contradicere. Ex. gr. *Fr. Chr. Schlosser* Universalhistor. Uebersicht der Gesch. seu, histor. univers. complexus historiae mundi antiqui eiusque culturae p. I. sect. I. §. 3. p. 26. ed. Frankf. ad Moen. 1826. scribentis: „Nulli respectus ad religiosas ideas aut ad humanae dignitatis agnitionem retinere nos possunt, quominus traditionem et historiae indicia sequamur, si haec cum naturae studii effectibus concordia nobis tres ostendant diversas plane stirpes omnino differentes conformatione et indole plane discrepantes in illis regionibus, quae primis revolutionibus et cataclysmis subtractae fuerunt. Excelsi scilicet montes et planities, quae in maiori elevatione sese protendunt, illas regiones nobis indicant, ubi primos homines quaerere oportet. Montes dicti Hammaleh et regiones meridionales patriam caucasicae stirpis. Ultra hos et montes a veteribus Imaus dictos desertum Kobi et Tibet primitivum mongolicae stirpis locum exhibent. America vero serius ex originali suo statu prodiit."""

Haec specimina sufficient ad existimandum, quomodo Perronius res suas agere soleat. Plura qui cognoscere cupiverit, eum ablegamus ad librum titulo *Perronius Vapulans* inscriptum et a *Lucio Sincero* Coloniae ad Rhenum editum: ibi enim amplior exemplorum numerus collectus est, quam a nobis pro instituti nostri ratione exhibendus videretur.

Hermesius et Capituli Ecclesiae Cathedralis Monasteriensis contentio.

Equidem nescio, sufficiatne patientia lectoris, ut nos, Perronium illum meum et me ipsum, amplius comitetur. Hoc scio, plerosque eorum, qui praegressa legerint, existimaturos esse, Perronium iam satis cognitum sibi esse. Quod ad me attinet, ipse nescio, quam diu patientia sufficiat, ut in hac via incommodis et asperitatibus plenissima, pergere possim. Sed mittere Perronium adhuc non possum. Alioqui fore credo qui dicant, me ibi ab itinere destitisse, ubi Perronius ad veritatem pervenerit. Ipse latraverit, ut scribit s. Hieronymus: *Si casu aliqua transieris, statim ille clamabit et dicet, „hic, hic te victum teneo, hic totius negotii cardo versatur"!* Hoc quidem sobrios homines non moraturos esse puto, sed factioni Perronianae argumentum in promptu est, quod fere multitudinem movere solet. Hoc est illud *ad tympanum argumentum* quod vocat acuti ingenii scriptor et facetus, Fontblancius, idque nihil postulat, nisi ut clametur et continuo clametur. Rursus igitur, o me miserum! ancorae solvendae mihi sunt, rursus socio Perronio in altum provehendum mihi est, licet nemo mortalium comitari nos velit.

Monasterii anno 1813 contentio exorta erat inter Capituli ecclesiae cathedralis collegas et liberum baronem Clementem Augustum de Droste, qui nunc est archiepiscopus Coloniensis. Hermesius in huius causae communionem venit, posteaquam a Capitulo rogatus est, ut sententiam suam per responsum de illo certamine scriptum pronuntiaret. Hoc responsum arx est, quam Perronius denuo occupavit undeque Hermesium quam maxime vexare intendit. Scribit autem haec:

> „Cum ista contentio, in cuius communionem venerat Hermesius, faciat tum ad animi eius *intentiones* in luce collocandas, tum ad explicandum favorem, quo Hermesius semper gauderet apud comitem de Spiegel, non alienum erit, breviter saltem significare quae ad eam causam pertinent.“

In memoriam redigi velim, Perronio propositum fuisse, crisin et aestimationem *systematis* Hermesiani proponere; sed hac in re nullae rursus systematis partes, una persona Hermesii in scenam adducitur. *Animi intentio* est, quam hic sectatur: in animi intentione si quod *ὑπομόχλιον* nactus erit, mox vectem subiecerit, ut systema Hermesianum, „de quo iudicium ferre ei propositum est,“ evertat.

Ut in prioribus, ita in his Esseri liber fons est, ex quo sua hausit Perronius. De tota re nihil comperit, nisi quae Esserus de ea perscripsit, sed idem quae ab Essero accepit, ea tam diu de loco suo movit, detorsit, mutilavit, donec praestarent id quod iste voluit, donec Hermesii indolem nigris coloribus depictam monstrarent. Cum locus, in quo haec causa agebatur, plane incognitus illi sit, mirum non est, quovis fere passu eum ad lapides impingere, titubare ac labi et in veritatem etiam ibi peccare, ubi offendere eam minime voluit. Sic v. gr. scribit Perronius:

> „Cum Franco-Galli in Westphaliam invaderent, Monasterium imperio Caesareo adiunctum esse.“

Verum anno demum 1811 haec adiunctio accidit, Franco-Galli autem iam anno 1806 in Westphaliam venerant! Idem narrat, consilium fuisse, ut novum Capitulum ex *quinque* Capitularibus veteribus et *sex* novis constitueretur: sed contra res se habet, fuitque consilium, ut Capitulum ex *sex* veteribus Capitularibus et *quinque* novis constitueretur. „Levia haec sunt“ obiicient nonnulli. At vero is qui, uti Perronius, confidenter ait, *nihil sese affirmasse, nisi quod certis fundamentis niteretur, qui librum suum tanquam religiosissimae et diligentissimae explorationis foetum legentibus proponit*, is quaestionem dum tractat, in qua de excellentis viri fama, de tot amicorum discipulorumque existimatione ac vitae tranquillitate agitur, etiam in levissimis rebus apertum latus praebere non debet. Sed nos quoque concedimus

levia sane esse haec peccata prae illis, quae mox de eadem causa tradidit. Scripsit iste:

> „Mox nova rei implicatio exstitit. Canonicus aliquis novi Capituli die 2 Aprilis eiusdem anni 1815 concilium Capitulare collegarum suorum in diem sequentem missis litteris indixit. Liber baro de Droste statim intercessit, et suo et comitis de Spiegel, Capituli decani nomine, professus, a sese nonnisi vetus capitulum ut legitimum agnosci, eoque quidquid consilii novum capitulum cepisset, irritum id esse et nullius auctoritatis declaravit. Quam ob rem irati hi Canonici quatuor quaestiones clericis proponebant, ut eas ad examen vocarent et responsum cum illis communicarent. Unus ex iis Hermesius fuit. Sed quatuor illae quaestiones eo redibant, utrum quem prius novum Capitulum administratorem Capitularem creaverat, comitem de Spiegel, a Napoleone episcopum nominatum, is utrum legitime creatus sit nec ne. Hermesius ea de re librum composuit hoc titulo, *Responsum de contentionibus inter Capitulum Monasteriense et vicarium Capitularem exortis*, quem anno 1815 typis evulgandum curavit."

Ex his primum falsum hoc est, nonnisi ab his quatuor Canonicis quatuor illas quaestiones propositas esse et cum pluribus clericis ad respondendum communicatas. Non *quatuor* hi Canonici, sed totum Capitulum Metropolitanum, barone de Droste non excepto, has quaestiones proposuerunt et responsa postulaverunt. Porro falsum est, has quatuor quaestiones eo rediisse, ut intelligeretur, utrum creatio, qua Capitulum comitem de Spiegel, a Napoleone episcopum nominatum, administratorem Capitularem delegerat, rata esset nec ne. Haec quaestio non primaria fuit, sed secundaria. Cum haec scripsit Perronius, ex memoria eius iam excidisse oportuit, quae eadem pagina dixerat. Nam paulo ante tradit, „Drostium cum Spiegelio communicasse retractationis suae documentum, Spiegelium dein ab omni administratione destitisse, omniaque bona concordia processisse." Itaque non id potissimum quaerebatur, ritene Spiegelius vicarius Capitularis creatus esset, sed ritene totum Capitulum novum constitutum esset, id quaerebatur. Quod ad ipsam hanc quaestionem attinet,

Spiegelius hac in re a partibus Drostii stetit. Uterque non aliud nisi vetus Capitulum agnoscere voluit. Hoc Perronius scit, id ipsum ille narrat, dum secum ipse pugnans scribit:

> „Baronem de Droste, cum Canonicus aliquis novi Capituli missis litteris concilium capitulare indixisset, statim intercessisse, cum et suo et *Decani Capitularis*, *comitis de Spiegel, nomine profiteretur, ab ipsis nonnisi vetus Capitulum ut legitimum agnosci!!*"

Sed Perronius causam explicare voluit, *cur Hermesius tanta gratia comitis de Spiegel semper gavisus sit;* ideo opus ei visum est, ut quatuor illae quaestiones id unice spectarent, utrum creatio, qua comes de Spiegel non episcopus sed vicarius Capitularis declaratus est, rata esset nec ne, ut Hermesius, cum ad has quaestiones responderet, comiti de Spiegel morem gereret, utque invicem comes de Spiegel perpetuo favore eum prosequeretur! Sed non uni Hermesio quaestiones illae ad respondendum propositae sunt, verum etiam Franciscanorum Provinciali, Patri *Flörenio* et *Cordesio* eiusdem urbis Monasteriensis canonico. Prior horum trium virorum satis habebat, opiniones pro illa causa et contra eam quae essent colligere, collectas componere, alter in respondendo cum Hermesio consensit. Num hic quoque Spiegelio morem gessit, num hic quoque eam ob causam gratiam Spiegelii expertus est? Spiegelius novum Capitulum non esse legitimum putabat, *Cordesius* et *Hermesius* in responsis suis contrarium pronuntiaverunt, et ob eam causam, quod Hermesius contra eius sententiam dixit, perpetuum Spiegelii favorem expertus est! O quanto favore, si sic se res habent, apud veritatem Perronius erit! Quis enim ei saepius et vehementius repugnat quam Perronius? Hermesius vero non solum ab archiepiscopo Spiegel magni aestimabatur, sed idem ab episcopo in partibus et administratore episcopali Osnabrugensi, a libero barone de *Gruben*, magni aestimabatur. Omnibus enim theologiae studiosis, qui ex hac dioecesi Monasterii ad studia incumberent, ille praescripserat, ut testimonium morum et diligentiae ab annuo decano ordinis theologorum catholicorum *et a professore Hermesio* datum exhiberent. Num hanc quoque existimationem et honorificentissimam fiduciam, quae in illo praescripto cernuntur, Hermesius illo responso acquisivit? Sed non solum

apud comitem de Spiegel, apud episcopum in partibus Osnabrugensem magno in honore erat, sed eodem ac fortasse etiam maiore dignus habebatur ab episcopo Trevirensi, Domino de Hommer, i. e. ab eo viro, qui dum viveret omnibus bonis erat carus. Multa et luculenta eius rei documenta cum afferre in promptu sit, sufficere tamen videtur, ut initium epistolae ad Hermesium Treviris die 17 Octobris anni 1828 missae communicemus:

„In litteris tuis acceptissimis, quas tu vir reverende de liberalitate, qua humanissimus Eyschenius exceptus sit, ad me dedisti, illa tua verba animum meum prae ceteris attenderunt, quibus scribis, tibi propositum fuisse, ut me in hac urbe inviseres. Nihil sane iucundius accidere mihi potuisset, quam ut huc tu venisses, et perquam graviter fero, te casibus quibusdam adversis impeditum fuisse. Sed spes me tenet, fore ut hoc consilium non omittas, ideoque hoc mihi assumo, ut te feriis proximis paschalibus vel quocunque tibi placuerit tempore, etiam ante, te ad me invitem. Caeli temperies tanta est hic loci, ut asseverare non dubitem, fore haud dubie ut valetudini tuae admodum conducat, ac simul Te vir summe venerabilis enixe precor, ne hanc invitationem pro verbis blandientibus habere velis; immo rem magnopere mihi curae esse existimes, cum equidem eos dies in laetissimis relaturus sim, quibus mihi contigerit, ut te hic loci existimatione mea prosequi et colere possim.

Iam rogare te aliquid volo, quod ne male accipias, ante abs te peto. Iam diutius annis viginti de Catechismo in dioecesi mea introducendo cogitare non destiti.“ —

Deinde episcopus copiose suam de Catechismo dioecesano sententiam exponit et Hermesii eadem de re sententiam rogat. Num Hermesius insignem hunc honorem, quo episcopus Trevirensis eum prosequitur, ita ut sibi gloriae duceret Hermesium hospitio excipere, quemque idem etiam alias factis comprobavit, item responso Monasteriensi meruit? Verum enim vero quod Perronius ubique pravas causas odoratur, id minime istum apud bonos viros commendare potest, idque nihil magis ostendit quam

suam ipsius astutiam. Sed intra hos fines se non continet astutus Perronius: immo res in facto positas affert ad favorem illum convincendum. Nam post intervallum septem paginarum dicit, a comite Spiegelio „Hermesium adeo Canonicum ecclesiae suae Metropolitanae nominatum esse," ad quod nihil respondendum habemus, nisi id esse totum falsum atque mentitum.

Ut mensuram suspicionum suarum compleat, malitiose addit Perronius:

> „Praeterea notandum est, Hermesium, donec quaestiones illae quatuor proponerentur, in sententia fuisse ab ea diversa, quam postea in scriptione sua adoptavit et divulgavit."

Utine his, Perroni, voluisti ad Hermesii indolem in suspicionem adducendam? Nonne tu vides, magnam laudem hic abs te tribui Hermesio? Antequam responsum suum scriberet Hermesius, in alia de contentione Capituli Ecclesiae Cathedralis sententia erat, quam de eadem re postea adoptavit. Iam si Hermesii iudicium non liberum fuisset, si is praeoccupatus fuisset, tum a rei veritate se duci passus non esset; morem causidicorum ac rabularum secutus esset prioremque suam sententiam summa ope vindicare studuisset, meliori cognitioni locum non concessisset, ut verbo dicam, fecisset idem, quod Perronius cummaxime facit. Hermesius autem id fecit quod nonnisi in virum bonum cadit, scilicet quod verum esset exquirere studuit, et hoc ingenue admisit, quemadmodum inquirendo a se inventum erat, nihil plane curans, utrum ante aliter sensisset nec ne. Utinam Perronius eandem legem in veritate exquirenda sequeretur: nulla sane tum causa nobis esset, cur cum eo pugnaremus.

Quanquam quatuor quaestiones a laudato saepius Capitulo propositae erant, quanquam ad quatuor quaestiones ab Hermesio responsum erat, Perronio tamen placuit, quomodo ad duas tantum quaestiones responsum sit, commemorare. Ac sane cur plus iste agat, cur totam rei rationem communicet, ut lector recte iudicare possit? Scilicet Hermesius suspicione onerandus est, in quem finem veritas plane non apta erat. Quapropter, ut suspicionem moveat, verba sua temere iacit, et quae iacit raro sine effectu sunt, cum proprium sit corruptae humanae naturae prava credere facilius quam bona. Sic iste scribit:

„Quae omnia, h. e. quae Hermesius in responso pronuntiaverat, ut quisque intelligit, plane contra ac voluerat adeoque disertim praeceperat Pius VII declarata erant.“

Ut, quam sincerus Perronius et verus hac in re fuerit intelligamus, copiosius quam in votis habemus, de hac causa dicendum erit. Nonnulla enim enarrare ante debemus, ut lector ipse iudicium ferre queat. Quod quo certius confieri possit, acta ipsa producemus.

Liber baro Spiegelius, episcopus Monasteriensis dioecesis nominatus, die Augusti 31 anni 1813 a Capitulo Monasteriensi alter Vicarius generalis Capituli creatus est. Liber baro de Droste, qui nunc episcopus Coloniensis, tunc prior Vicarius generalis Monasteriensis, qui hanc creationem assensu suo comprobaverat, illi totam dioecesis administrationem demandavit. In cuius rei fidem litteras hasce transscripsimus:

Litterae cum parochis omnibus, qui in Luppiae tractu (Lippe-Departement), communicandae.

„Omnes, ad quos ea res pertinet, his litteris certiores fiunt, a Capitulo, quod ex decreto Caesareo, die 24 Augusti a. 1812 emisso, sustentatum (manutentum) est, hodie summum venerabilem ac summo loco natum Ferdinandum Augustum Spiegel, liberum baronem de Diesenberg et Canstein, quem Maiestas Caesareo-regia episcopum Monasteriensem nominavit, alterum Vicarium Capituli creatum esse, eumque legitime instructum esse potestate, quae sive ad dioecesin administrandam sive ad ceteras facultates mihi concessas rite exercendas requiritur, ideoque omnibus, ad quos ea res pertinet, per haec praecipitur, ut nobilissimum hunc virum in suis negotiis adeant eiusque decretis obediant.

In huius rei fidem mea ipsius manu subscripsi.

Monasterii die 31 Augusti 1813.

Clemens Droste in Vischering, Vicarius generalis.“

Idem Vicarius generalis, baro de Droste, duobus annis post quibus Spiegelius dioecesin administraverat, mire admodum et contra omnium exspectationem novas litteras ad eosdem parochos misit, quorum exemplum infra scriptum:

„Omnibus parochis et vicecuratis huius dioecesis per haec edicitur, a me hodierno die substitutionem, quam inivi die 31 mensis Augusti, ut iurisdictio liberi baronis Ferdinandi de Spiegel, viri summe venerabilis et summo loco nati, quem imperator Franco-Gallicus episcopum nominaverat, rata esset, omnem retractatam esse, etiam quod pertinet ad facultates ceteras mihi concessas, unde consequitur, a me ipso iam suscipi et procurari negotia, quae ad Vicariatum generalem pertinent, ut qui a maxime reverendo Capitulo Metropolitano Vicarius generalis Capituli legitime constitutus sim.

In huius rei fidem mea ipsius manu subscripsi.

Monasterii die 31 Martii 1815.

Clemens, liber baro Droste in Vischering,
Reverendi Capituli Metropolitani
Vicarius generalis in Spiritualibus.“

Hae litterae encyclicae lumine illustrantur epistola a barone de Droste eodem die ad comitem de Spiegel missa. Eius exemplum infra scriptum:

Libero baroni Ferdinando Augusto Spiegel de Diesenberg et Canstein Capituli Metropolitani Decano, viro summe venerabili summoque loco nato.

„Verum Capitulum Metropolitanum Monasteriense, ad quod, cum sedes episcopalis vacaret, iurisdictio ecclesiastica transierat, primum liberum baronem de Fürstenberg, nunc morte defunctum, et cum ille ob exactam aetatem ab eo munere se abdicasset, me Vicarium generalem dioecesis Monasteriensis rite creavit.

Vel verum hoc Capitulum Metropolitanae ecclesiae Monasteriensis secundum leges, quas obtinere hac in re constat, sacram iurisdictionem, cum primum mihi demandasset, non potuit vel totam vel ex parte aliqua arbitratu suo ad se recipere, ideoque, cum primum me Vicarium generalem constituisset, alterum Vicarium generalem facere non potuit, quamvis statuamus, id quod ex legibus Concilii Tridentini certe non licet, illi licuisse, antequam totam sacram iurisdictionem in me contulisset, duos Vicarios generales constituere et ambobus sacram iurisdictionem demandare.

Quod terra Monasteriensis in rebus saecularibus imperio Franco-Gallico adiuncta est, id, quantum ad dioecesin Monasteriensem pertinebat, nihil plane valuit, cum in rebus ecclesiae Monasteriensis ne minima quidem mutatio nisi interveniente summa potestate ecclesiastica, ut leges ecclesiae catholicae postulant, admitti posset. Nihilominus regimen Gallicum verum Capitulum Metropolitanum Monasteriense pro arbitrio discussit, arbitratu suo novum Capitulum Metropolitanum quod vocant constituit, eoque progressum est, ut te, vir summe venerabilis summoque loco nate, episcopum nominaret, quanquam nullo nominandi iure instructa erat, neque tibi, nisi omnia fallunt, id munus accipere licebat; idemque regimen mox efficere callebat, ut novum Capitulum Metropolitanum quod vocant te alterum sui Vicarium generalem declararet velletque, ut tu ad sacrae iurisdictionis administrationem per hanc dioecesin accederes.

Ut omittam, tibi, vir venerande summoque loco nate, postquam passus eras episcopum te nominari, quamvis ea nominatio gravissima esset, nullam omnino dioecesis administrandae potestatem competivisse; ut porro omittam, ne vero quidem Capitulo Metropolitano licuisse, ut ab initio duos Vicarios generales constitueret, nedum, cum me unum constituisset, et mihi totam iurisdictionem sacram exercendam demandasset, praeter me alterum constitueret: certe quidem quidquid molitum est novum Capitulum Metropolitanum quod vocant, id manifesto irritum fuit, cum huic creaturae regiminis Franco-Gallici sacra per dioecesin Monasteriensem iurisdictio non competeret, unde consectarium est, ei non licuisse, ut hanc sive totam sive ex parte alii cuidam administrandam committeret.

Tibi, vir venerande summoque loco nate, notae sunt comminationes, quibus usum est regimen Franco-Gallicum, atque ego, ne ea res calamitatem dioecesi et Luppiae tractui, qui tunc dicebatur, afferret, eo deductus sum, ut te substituerem, ut tu pro hac substitutione a me concessa interim fungi rebus posses.

Una vis, quam mihi comminati erant, causa esse potuit, cur licere mihi putarem, ut ad hanc substitutionem animum inducerem; ideoque per se opus esset, ut nunc, quum ab imperantibus, qui religioni catholicae liberam sui potestatem tam solemniter promiserunt, eiusmodi quid timere non possim, illam substi-

tutionem retractarem, quod pro arbitrio meo facere me posse ex ipsa rei natura constat; sed ingenue iam tibi, vir venerande summoque loco nate, etiam confiteri debeo, me tunc in vitium incidisse, nec debuisse unquam committere, ut metu violentiae, quaecunque demum adhibita fuisset, ad substitutionem illam adducerer.

Itaque quod olim te ad dioecesin Monasteriensem administrandam substitui, id per haec solemniter omne retracto, itemque retracto potestatem a me ad facultates quinquennales exercendas tibi impertitam. Simul declaro, quod te sponte intelligere arbitror, ab hoc temporis momento nihil quod ratum sit in administranda dioecesi Monasteriensi decerni a te posse, teque rogo, ut et *Impressum* illud, quo facultates mihi soli commissae continentur, quod ego tibi ad tempus, quo uti posses, commodavi, et quidquid litterarum ad huius dioecesis administrationem pertinentium sive apud te est sive ad te venerit, ad me mittere velis.

(Subscriptum) Clemens liber baro Droste in Vischering,
Vicarius Capituli generalis in Spiritualibus."

Perronius ipse testatur, Spiegelium ab hoc tempore abstinuisse ab omni administratione, omniaque bona pace processisse.

Sed eodem tempore Vicarius generalis de Droste, iis quae ante egerat mire repugnans, Capitulum Metropolitanum quod tunc erat agnoscere posthac recusavit. Capitulo sane mirum videri debuit, se ab hoc Vicario generali, postquam is per duos annos omnibus in rebus agnoverat Capitulum tanquam legitimum, iam subito repudiari. Constituit Capitulum quatuor illas quaestiones viris, quos ante nominavimus, ad respondendum proponere. Baro de Droste mense Septembri 1814 ipse Romam iter susceperat, statum ecclesiae Monasteriensis solus exposuerat, coramque Romae *Breve* impetraverat, quo probatum ivit quae ante ab ipso gesta esse memoravimus. — Mirumne videri poterat, si Capitulum iis quae ille moliebatur occurrebat, si monebat, Breve illud altera parte non audita conscriptum esse, ordinem eius rei legitimum non observatum esse, verum statum Capituli Metropolitani Monasteriensis Romae cognitum non esse, si totam hanc rem ad summum pontificem deferre volebat? Ubinam in his aucto-

ritas summi pontificis violata est? An fortasse ex Perronii sententia summi pontificis auctoritas laeditur, si quis, ut ille ius dicat, optat et agit? Perronius historiae admodum ignarus sit oportet, si nescit, multas esse eiusmodi litteras summorum pontificum, quae non agnitae sunt a viris, quorum tamen animus vere ecclesiasticus ea de causa nunquam in suspicionem venit! Pro multis unius *Zallweinii* principia iuris ecclesiast. t. I. q. 4. c. 2. §. 7. inspexisse satis erit.

Sed si animi intentio Hermesii, propterea quod responsum is dedit, suspicione oneranda est, nonne eandem ob causam Canonici Capitulares in suspicionem adducuntur, qui statim comprobare nolebant, quae baro de Droste decrevit et molitus est? Nemo autem hos Capitulares, neque eos qui veteris neque eos qui novi Capituli erant, unquam in suspicionem adduxit. *Brockmannus*, eruditus homo in Theologia quemque boni viri gloria praestitisse constat, post Decanus Capituli Monasteriensis factus est; *Melchersius* interea ad dignitatem episcopi in partibus ascendit, idemque etiamnum egregie in eadem dioecesi vicarii episcopi generalis operam praestat, ut ceteros omnes taceamus. Quis tandem in Canonico *Cordesio* animum ab ecclesia alienum reprehendit, quod suum responsum dedit et cum Hermesio, quantum ad argumentum primarium attinebat, plane consensit? Nonne etiam hoc mirum videtur, ex tribus illis viris, qui de iure respondebant, neminem unum fuisse qui baronis de Droste sententiam amplexus esset? Postremo si quis reprehensionem meretur, nonne prae ceteris liber baro Clemens de Droste reprehendendus erit? *Is* enim fuit, qui Napoleoni in omnibus his rebus libenter morem gereret, *is* fuit, qui sua sponte in novum Capitulum iniret, *idem* responsa postulavit, *idem* cum ceteris a summo pontifice reiectus est [1]), nisi quod is alios accusavit quum se ipsum accusare debuisset.

Ipsa rei natura fert, ut responsum in re contentiosa datum plerumque ab una parte laudetur, ab altera vituperetur. Quod Hermesius dederat, id prae reliquis duobus perspicuitate et ac-

1) Vid. De causa Coloniensi Narrationes, Considerationes, Consilia Irenaei. Lipsiae 1838 p. 66.

curata argumentorum expositione eminuit, eaque causa fuit, cur quamvis Hermesio invito typis impressum evulgaretur. Utrumque hoc verum esse, epistolae quae subsequuntur ostendunt: eaedemque nobis aptae videntur ad suspicionem a Perronio cupide motam penitus dispellendam.

Vir plurimum venerande!

A summe venerabili Capitulo iucundum negotium mihi mandatum est, ut tibi pro responso a te officiose perscripto eius approbationem gratissimis verbis profitear. Hoc ego eo libentius facio, cum etiam copia mihi facta sit, ut honorarium quod epistolae meae adiunctum est, quodque, quamvis non satis dignum tanto labore, ut benigne accipias te rogatum velim, ad te mitterem, eoque nova mihi oblata sit occasio, enixe abs te petendi, ut etiam posthac amicitiam tuam, quam tanti facio, servare mihi velis. Cum insigni tui existimatione me appello

Tuae Reverentiae
observantissimum servum sincerumque amicum
Henricus Ioannes de Droste in Hülshoff
Vicedominus et Capitularis.

Addo *litteras responsorias Hermesii* ad Capitulum Metropolitanum datas, postquam extractum Protocolli concilii capitularis 1 die Iulii 1815 habiti cum ipso communicatum erat.

„Cum in eam necessitatem inductus sim, ut responsum a me datum publicae notitiae tradam, gratissimum mihi accidit, Capitulum summe venerabile *suo nomine* ad editionem aggredi velle [1]), atque ego, ut nunc res se habet, libentissime ut id fiat concedo. Sed Capitulum summe venerabile, ut spero, hanc conditionem, quae iam meo consensui necessario addenda est, non

---

1) Canonicus de Lippe Hermesio nesciente Responsum illud typis describendum tradiderat et negotii eius redemptor professus est adversus Hermesium, non in eius potestate positum esse, ut editionem a se instituendam prohiberet: se enim iure uti a Capitulo Metropolitano sibi concesso. Vid. Esseri Vitam Hermesii p. 85 sq.

recusabit, „ut quod cum redemptore H. Hüffero de meo re-„sponso typis exprimendo et venum dando pactus sum, id ut „sine mutatione servetur, neve quaecunque responsi mei typis „iam expressa sunt, quae non pauca sunt, tollantur sed con-„tinuentur, utque eadem ratione, qua coeptum iam est, ex „codice meo manuscripto, quem secundis curis emendavi et in „publicum usum supplevi, responsum exprimatur, ut tandem ad-„ditamenta duo admodum necessaria, decretum Caesaris, quo „Capitulum sustentandum (manu tenendum) praescripsit, et docu-„mentum quo quinque novi Capitulares nominati sunt, simul ty-„pis exscribantur.“ — Praefationem et titulum Capitulo venerabili suo arbitrio addenda relinquo.

Quod Capitulum venerabile optavit, ut votum a Vicario generali, libero barone Clemente Droste-Vischering, in concilio Capitulari die 31 Augusti 1813 latum non respicerem, huic optato eo strictius ego satisfaciendum decrevi, quo magis haud licere existimo, quidquam invito eo, ad quem ea res pertinet, evulgare, quod idem manifesto et non sine causa in omnium ore esse nolit; neque ad confirmanda argumenta mea voto illo, quantum quidem adhuc intellexi, opus est. — Ea etiam causa est, cur in responso e me dato illud votum ne minimum quidem respiciatur. Adeo, ut iam in epistola ad Capitulum venerabile die 28 Iunii missa scripsi, excerpta illa Protocolli et litteras ultro citroque missas mecum communicata evulgare nolui, quamvis id disertim mihi permissum esset, propterea quod hoc alicui, ad quem ea res pertinet, ingratum accidere posset, et quoniam adhuc nulla necessitas mihi incubuit, ut illa publicae notitiae traderem.

Monasterii die 2 Iulii 1815.

Hermes.

Adversus Hermesii reponsum mox libellus ab anonymo auctore editus est, cui titulus: *Historica enarratio status ecclesiae Monasteriensis.* Hermesius respondit parvi ambitus scriptione, cui nomen: *Responsio ad historicam enarrationem Monasterii* 1815. In historica illa enarratione operam aliquis dederat (quod qua ex parte tentatum sit manifestum est), ut, cum ipsum responsum

Hermesianum oppugnare non posset, res in facto positas, quibus superstructum id esset, ei subtraheret. Quippe dicere ausus est, *novos Capitulares non vere in munera sua introductos esse, sed hanc introductionem simulatam esse, h. e. totam rem comoediam fuisse!* Atqui res ipsae in facto positae cum Hermesio a Capitulo communicatae erant. Itaque Capituli erat, non Hermesii, earum veritatem vindicare. Ac sane quatuor amplissimorum virorum *quatuor* declarationes evulgatae sunt, quas provocaverat historica enarratio status ecclesiae Monasteriensis, iisque misera ista atque viris in honoribus ecclesiasticis constitutis prorsus indigna tergiversatio fortissime prostrata est. Eae declarationes cogitanti multam et variam materiam praebent. Quae cum olim fere intra unius urbis vel dioecesis notitiam constiterint, nostris autem diebus non indignae videantur quae accuratius inspiciantur, huc eas transscribendas curavimus. Sed ante documentum quod statim sequitur communicare, non alienum visum est. Inde enim apparet, puerili sane audacia opus fuisse, ut quis affirmare sustineret, novos illos Capitulares *non* esse introductos, sed eorum introductionem tantummodo simulatam esse.

Extractus ex actis Capituli Metropolitani Monasteriensis.

„Actum Monasterii in concilio Capitulari die 12 Maii 1813.

Praesentes in Capitulo die 12 Maii 1813 Vicarius generalis *Droste in Vischering*, H. Vicedominus *de Droste in Hülshoff*, Capitularis *de Wenge*, Episcopus in partibus *de Droste in Vischering*, *de Rump*. —

Secundum id, quod in hesterno concilio Capituli constitutum est, quinque viri summe reverendi, qui decreto imperatorio d. d. St. Cloud die 1 Maii 1813 Capitulares nominati sunt,

Franciscus Elmering,
Antonius Brockhausen,
Iodocus Hermannus Zurmühlen,
Ioannes Henricus Brockmann,
Franciscus Arnoldus Melchers,

ad concilium Capitulare invitati sunt. Ibi illis quod hesterno

die Capitulum decreverat recitatum est; dein professionem fidei profitebantur, et iuramentum silentii peregerunt.

Quo facto unusquisque eorum suam sedem in curia canonicorum occupavit, et unusquisque in sedem suam chori ducebatur. — Post haec Vicarius generalis rogabatur, ut haec peracta provinciae Praefecto nuntiaret, quo facto concilium Capitulare, quod hodie fuit, dimissum est.

Clemens Droste in Vischering,
generalis Vicarius praeses concilii.

Sequuntur declarationes.

Declaratio.

Cum in libello nuper admodum typis evulgato, cui titulus, *Historica enarratio status ecclesiae Monasteriensis* cet., pagina 21ma declaratio memoretur, quae a quinque collegis veteris Capituli Monasteriensis, ad introducendos novos ab Imperatore Napoleone nominatos Capitulares die 12 Maii 1813 praesentibus, profecta fertur, quae iuri acquisito illorum Capitularium novorum nocere possit, si stricte illa accipiatur, ego officium meum esse duxi, ut veritatis causa iuvetur et ad corrigendam illam narrationem haec, quantum praeterita post duorum annorum spatium et amplius memor teneo, profitear:

a. In concilio Capitulari die 11 Maii 1813 novi illi collegae secundum Protocollum tunc conscriptum ut collegae Capituli Metropolitani Monasteriensis — nulla conditione addita aut reservatione — declarati et accepti sunt.

b. In concilio Capitulari die 12 Maii eiusdem anni collegis illis Protocollum recitatum est, quo pridie ut veri collegae agniti et accepti erant, quodque eodem die conscriptum receptionem eorum nullis reservationibus determinatam testabatur; ab hoc temporis momento ius eorum initium cepit.

c. Verum hoc est, unum certe ex novis collegis postulasse in concilio Capitulari die 12 Maii 1813, ut Collatione litteris testata canonicam Institutionem impetraret; sed Collatio ut in eos disertim conferretur, ob nominationem Imperatoriam haud licuit; quanquam haec ipsa consentiente Capitulo, qui consensus ob ea quae sub litteris *a* et *b* diximus in dubitationem vocari nequit, Collationis loco esse posse atque sic valere satis videtur.

Quaecunque in eo concilio Capitulari agebantur dicebanturque, ea, ut mihi quidem certum est, unam Collationem litteris à Capitulo testandam potissimum spectarunt. Quaecunque alia in canonica Institutione observari mos est, ea in adoptandis et recipiendis novis collegis, quantum equidem scio, omnia observata sunt, ut Protocollum ea de re conscriptum etiamnum testatur.

Ut ego existimo, ex omnibus iis, quae forsitan ab uno tantum vel altero collega in sermone iacta sint, colligi nequit, eos serio id agere voluisse, ut effectum ipsis fortasse nondum cognitum eius declarationis, quae in Protocollo de adoptione et receptione novorum collegarum perscripta paulo post recitabatur, irritum redderent; hoc vel propterea statui nequit, quod tum manifeste repugnantia concedenda essent; praeterea nihil eorum, quae hac de re iacta feruntur, in Protocollum receptum est; non sententiae rogatae; nihil ea de re decretum est. Nihil eorum, quaecunque in sermone dicta feruntur, legitime actum est.

Contra ex iis quae adhuc diximus, liquido, ut mihi videtur, consequitur, argumento illo auctoris in pagina 21 relato ius in novos collegas canonice collatum, si quidem nihil aliud ei desit, non tolli, quanquam lectores, quibus eae res minus cognitae sunt, in errorem duci possunt; simul monendum est, fas futurum fuisse, si canonica eorum receptio vel verbis, quibus veram et strictam inesse recusationem existimare debuissent, vel scriptis in Protocollo recusata fuisset, ut ob eam rem apud Imperatorium, quod tunc erat, regimen quererentur; unde manifesto apparet, illud etiam quod hac in re auctor monuit parvi momenti esse.

Postremo quantum ad me ipsum attinet, equidem palam et libere profiteor, meam in omni illo negotio, cum novi collegae reciperentur, in omnibus quae sive dicta sunt sive dicta feruntur, hanc animi sententiam fuisse, ut novi illi collegae, quantum in me esset, iustissime canoniceque reciperentur, meque sincere voluisse, ut vera receptio canonica tunc perageretur.

Quominus viros illos ambiguis vel potius astutis ambagibus deciperem, quominus sanctissimas religionis caerimonias, iuramentum et professionem fidei, ludos facerem, ut ita quae in Protocollo perscripta iisque concessa essent, eadem iis iterum subtraherentur, tantum abfui ut unquam intenderem, ut hoc iis quae de quocunque religionis negotio cogito ac sentio plane repu-

gnet; neque dubito confidentissime credere, idem plane mecum sensisse, qui tunc aderant, veteres collegas meos omnes.

In illa mea voce, *Currendae* litteris consignatae addita, quae extrema paragrapho libelli supra memorati affertur, quamque vulgatum iri sperare non potui, verba *veteris novique* Capituli nonnisi de pristina et recenti constitutione *Praesidii* intelligenda sunt. Equidem, iuxta iuris canonici leges, neque novum Capitulum neque cum auctore anonymo Napoleoninum quod vocat agnosco, sed idem tamen conventum Capitulum Metropolitanum Monasteriense olim repraesentantem veterum et legitimorum et a saeculari potestate non impeditorum collegarum eius Capituli, qui decreto suo 11 die Maii 1813 novos collegas reciperent, agnoscere possum.

H. Ioann. de Droste in Hülshoff,
Vicedominus et Capitularis.

Additamentum declarationis Vicedomini et Capitularis de Droste in Hülshoff.

Quae pagina 21 allatae sunt voces, „sed canonicam Institutionem fieri minime posse," eae etiam tanquam *sententia* eius vel eorum, qui haec dixisse feruntur, de *iusto* effectu eius quod factum esset, fieret, futurumque esset, prolata intelligi potest; quod si statuitur, ipsae nullius ponderis sunt, quantum ad ipsius actionis vim legitimam attinet; contraria interpretatio, quam auctor ille sequitur, nonnisi *internis* iuramento interposito detectis adprobari posset; quae si probata esset, continuo me iudice inde consectarium esset, in concilio Capitulari die 12 Maii 1813 veteres Capitulares id egisse, *ut dolo malo alios deciperent, sanctas caerimonias dehonestarent, inanes ludos facerent,* quem quidem honorem ego pro mea parte acerrime recusabo.

Declaratio.

Miratus sum, cum in libro nuper typis edito et anonymo auctore vulgato, cui titulus, *Historica enarratio status ecclesiae*

Monasteriensis, legi, quae pagina 20 et 21 de iis, quae in concilio Capitulari die 12 Maii 1813 acta sunt, falso narrantur, eamque ob causam impulsum me sentio, ut ad eos, qui bona fide illa legentes in errorem incídere possint, edocendos illi narrationi pagina 20 et 21 propositae solemniter repugnem et hoc publice declarem, semper in omnibus corporibus, capitulis, collegiis id moris fuisse, ut quodcunque dictu factuque grave videretur, quod ad rem, de qua agitur, pertineret, in Protocollo perscriberetur, quaecunque autem alia in sermone iacerentur, ea tanquam non dicta haberentur.

Praetextus iste, non omnia perscripta esse, ne ira Imperatoriae potestatis Franco-Gallicae provocaretur (ignotus auctor significare velle videtur, adversus voces in sermone missas ob argumentorum defectum querelas fieri non posse, quasi vir probus et honestus, quasi collega Capituli Metropolitani ea, quae in sermone protulerit, abnegaturus esset), is igitur praetextus *alienus est a religione, alienus a magno exemplo, quod dedit sanctissimus Pater*, *qui omnes miserias persecutionis tyrannicae perpeti maluit*, quam ut a se impetraret committere ea, quae eius animi sententiae repugnarent.

Non accurate quidem unumquodque verbum, quod ante duos annos et dimidium iactum et non perscriptum est, memini, sed certo scio et solemniter declaro, a Capitulo mihi non disertim dictum esse, sese, h. e. veteres Capitulares, novis collegis daturos esse, quod dare possent, canonicam autem Institutionem fieri minime posse, et si forte (id quod post duos annos et dimidium accurate non memini) unus, dico si unus tantum collegarum in colloquio privato cum singulis eiusmodi quid iecisset, me non acquievisse, sed canonicam Institutionem enixe postulasse, atque hanc more solito impertitam esse.

Quae in concilio Capitulari tunc habito agebantur ad haec redeunt, quibus solemniter contradico iis omnibus, quae in libro ante memorato contra rerum fidem et detorta proferuntur.

Die 11 Maii nominati quinque novi collegae a Vicario generali, barone Droste Vischering litteris ad unumquemque missis certiores facti sunt, eos nominatos esse, cumque rite invitati postero die, 12 Maii 1813, in concilio Capitulari adessent, cum ipsis imperatoria nominatio et decretum Capituli pridie factum

communicata sunt, dictum est, eos ab hoc tempore confratres esse et veros Capituli Metropolitani collegas.

Respondebam, hac una significatione me contentum non esse, sed requirere me Collationem rite conscriptam et canonicam Institutionem, me collegam Capituli esse nolle, nisi canonice institutus essem.

Vicarius generalis, baro Droste Vischering, ad haec (ipsa verba non memini, sed sensus eorum is fuit) significabat, Collationem a Capitulo perscribi non posse, nisi ut ira Imperatoris sequeretur, sufficere tamen Imperatoriae nominationis adprobationem in Protocollo scriptam esse, qua in re non obniti me debere putavi, cum existimarem, Collatione litteris perscripta opus non esse, sed Investitura et canonica Institutio, quam firme et continuo postulavi, nulla ratione sermonis cuiusdam antegressi habita, sine ulla conditione, sine cautione, sine recusatione in hunc modum data est:

Quinque novi Capitulares in eodem Capitulo coram Vicario generali libero barone Droste Vischering, qui tunc simul Praeses Capituli erat, deinceps professionem fidei et iuramentum silentii peragebant, ac statim post haec a duobus veteribus Capituli collegis ad id negotium deputatis per assignationem et possessionem locorum iis in Capitulo et Choro destinatorum more solito instituti sunt, iidemque in omnibus Capitulis postea habitis et Vicario generali, barone Droste Vischering, et Vice-Domino, barone de Droste in Hülshoff praesidibus, nullo rerum agendarum discrimine facto, ut ceteri veteres, qui aderant Capitulares ad sententias ferendas vocati et nullo recusante admissi sunt.

Haec vera et incorrupta acta sunt concilii Capitularis die 12 Maii 1813 habiti.

Quaecunque praeter haec aut his repugnantia in libro initio a nobis memorato scripta sunt, aut posthac fortasse scribentur, ea ut contra rerum fidem prolata et detorta iterum et semel solemniter designantur.

Monasterii, die 5 Novembris 1815.

Zur Mühlen.

Declaratio.

Francofurti ad Moenum, quo quidem loco impressum se esse iactat, in commissis apud Philippum Streng 1815, anonymo auctore liber prodiit, cui titulus:

> „Historica enarratio status ecclesiae Monasteriensis, cuius edendae causa fuit responsum a Georgio Hermesio professore Monasterii typis evulgatum.“

Nona huius libri paragraphus tam falso exponit, quomodo quinque novi Capitulares, quos Imperatrix Franco-Gallica, apud quam tunc imperatoria potestas, nominaverat, in Capitulum Metropolitanum recepti sint, eorundemque honorem tantopere laedit, ut is, qui nomen suum infra subscripsit, unus ex numero illorum, suum esse duxerit, hanc enarrationem testimonio suo convincere, eamque, quod attinet ad ingenium eius et argumenti partem primariam, *non veram* esse, sed *mendacem* declarem.

Secundum hanc enarrationem quinque novi Capitulares, et quidem sub praesidio imperatoriae potentiae per vim interpositae, invitis quinque veteribus Capitularibus, qui — nonnisi potentiae concedentes — ad eos recipiendos animum induxerint, per vim in Capitulum irrumpere voluisse traduntur. Illos enim refert professionem fidei et iuramentum silentii peregisse, iisque peractis canonicam Institutionem postulasse; eosdem, idem auctor anonymus dicit, hoc sibi arrogasse, ut a veteribus Capitularibus postularent, quod *illi* concedere nollent, quodque *his* ipsis postulare non liceret; dein veteres Capitulares potentiae vim metüentes iis locum quidem in Capitulo et Choro assignasse, sed simul professos esse, *canonicam Institutionem fieri minime posse;* eoque illos contentos fuisse seque reprobari passos esse, ac nihilominus, quae more solito fierent ut peragerentur, concessisse. Sic illi tanquam homines nihil sapientes, conscientiam suam nihili facientes publicae invidiae expositi, eoque, quantum ad famam, gravissime laesi sunt.

Falsa in hac enarratione sunt, quaecunque suspicionem movent, novos Capitulares per vim in Capitulum irrumpere voluisse. Unusquisque nostrum pridie, h. e. die 11 Maii, litteris Vicarii generalis tunc Capitulo praesidentis, liberi baronis Clementis

Droste in Vischering, ad singulos missis, invitatus est ad concilium Capitulare (hoc ipso verbo ille usus est) in posterum diem, et in hoc concilio receptio nostra sine ulla addita conditione, sine ulla intercessione legitima, more apud nos solito, secundum ea quae Concilium Tridentinum praecipit, optima pace peracta est.

Falsum est quod narrat, primum professionem fidei et iuramentum capitulare a nobis praestita esse, dein *post haec* postulasse nos, ut canonice institueremur. In ea narratione duae actiones necessario coniunctae, fidei professio iuramentumque — et possessio locorum in Capitulo et Choro, tanquam duae a se discretae actiones, quae non continuo peractae essent, falsissime proponuntur. Quae in Investitura observari solet locorum in Capitulo et Choro assignatio, ea, praegressa demum fidei professione et iuramento, *symboli* vim accipit, eaque demum coniunctione auctoritatem adipiscitur.

Falsum veritatique contrarium postremo est quod narrat, a veteribus Capitularibus disertim declaratum esse, *canonicam Institutionem fieri minime posse*, nosque ea declaratione acquievisse et reprobari nos passos esse.

Veram rei rationem praebent quae continuo subiiciemus.

Cum litteris quas ante memoravimus rite invitati die 12 Maii 1813 in curia Capitulari adessemus, certiores facti sumus et de nominatione nostra ab Imperatrice, apud quam summa tunc potestas, decreta et de consulto Capituli pridie facto, simulque additum est, iam nos esse Confratres et veros Capituli Metropolitani collegas. Ad haec nonnulli ex nostris respondebant, his unis acquiescere sese non posse, sed postulare, ut Collatio iuste perscripta in se conferretur, utque canonica Institutio perageretur.

Vicarius generalis ad haec respondit (non verba sed argumentum responsionis refero), ob nominationem iam peractam a Capitulo Collationem perscribi non posse, nisi ut ira Imperatoria consequeretur, sufficere autem, nominationem nostram agnosci a Capitulo idque in Protocollo perscribi. Hoc rationis probari nobis debere putavimus, nosque illa voce acquiescere posse, tum quod agnitio nominationis nostrae in Protocollo perscripta in eiusmodi causa singulari in vicem instrumenti Collationis rite

factae succedere posse videbatur, eo magis quod asseverante Vicario generali ob solum Imperatoriae irae metum confectio instrumenti Collationis recusabatur, quodque eodem asseverante agnitio in Protocollo perscripta sufficere, h. e. vicem Collationis sustinere, videbatur; — tum quod Investitura sive canonica Institutio Collationem praecessisse statuit, ut, qui illam impertiat, is Collationem sive rite factam sive vicariam eius sufficientem ipso facto agnoscat. Haec tum Investitura a nonnullis novorum collegarum, qui suo nomine et pro ceteris dicebant, statim severe et fortiter postulabatur. Hac occasione ab uno veterum Capitularium in sermone privato iaciebatur, sese dare velle quae possent, sed canonicam Institutionem fieri non posse.

Quo sermone iacto confabulatio inter singulos consecuta est. Post annos fere duos et dimidium fieri nequit, ut quodcunque verbum tunc emissum memineris. Sed id *verum* est, huius confabulationis nullam vim et effectum fuisse, non sententias de ea latas, nullum Capituli decretum consecutum, nullam definitam declarationem factam esse; unde consectarium, hanc confabulationem, paulatim sponte obmutescentem, pro certa declaratione haberi non posse; immo verum est eos novos Capitulares, qui suo et ceterorum nomine loqui coeperant, palam et clare professos esse, se in Capitulo esse nolle, nisi canonice Instituti existimarentur.

Verum est, post haec sine ulla conditione, et nulla illius confabulationis ratione habita, Investituram nobis datam esse sic ut iam dicetur. Omnes nos, unus post alterum, in curia Capitulari, manum porrigente Vicario generali [1]) Capitulo praesidente, flexis genibus professionem fidei et iuramentum silentii peregimus! *Deinceps*, nullo intervallo temporis interposito, una eademque actione procedente more apud nos solito per assignationem et possessionem locorum in curia Capitulari et Choro, duobus Capitularibus veteribus ad id negotium deputatis, rite instituti sumus.

---

1) Non alienum videtur lectoribus in mentem revocare hunc Vicarium generalem eundem esse, qui nunc est archiepiscopus Coloniensis, Clemens Augustus de Droste-Vischering.

De tota actione Protocollum conscriptum est, et concilium Capitulare amice et concorditer finitum est.

Monasterii, die 5 Novembris 1815.

I. H. Brockmann.

Declaratio

adversus auctorem anonymum Historicae enarrationis cet.

Anno 1813 die 11 Maii epistolam accepi, in qua a Vicario generali manu ipsius haec scripta erant:

Monasterii die 11 Maii 1813.

cum Reverentia tua
„exemplum decreti Imperatorii, quo tu collega huius Capituli Me-
„tropolitani nominatus es, communicavi, teque pro consulto Ca-
„pitulari hodierno die facto invitatum volui, ut concilio Capitu-
„lari, quod crastino die in domo nostra Capitulari habebitur et
„11 hora initium capiet, adesse velis. Cum summa tui existima-
„tione permaneo

Reverentiae tuae

observantissimus servus

Clemens Droste in Vischering

Vicarius generalis.“

Hisce litteris primum publice mihi de nominatione mea renunciatum est.

Quae in his litteris memorantur duo concilia Capitularia, pro *speciosis* ut habeam cum auctore Historicae enarrationis p. 20, equidem a me impetrare non possum, nisi ut eorum honori obtrectem, qui me in concilium suum vocaverunt. Protocolla unice quid actum sit ostendere possunt. Itaque quae in Protocollis dierum 11 et 12 Maii scripta sunt, ad ea ego provoco: ibi enim receptio nostra nullis terminis circumscripta et solitis caerimoniis peracta relata est, quae ut in publicam notitiam typis evulgata veniant, opto.

Modus introductionis p. 21 falso narratus est. Post fidei professionem nullum temporis intervallum fuit. Ego, ut ceteri

ante me idem fecerant, flexis genibus ad pedes Vicarii generalis professionem fidei et iuramentum silentii peregi, et continuo a duobus Capitularibus ad id negotium deputatis ad meum in Choro et domo Capitulari locum adductus sum, mihique, dum haec fiebant, non declaratum est, *canonicam Institutionem fieri minime posse.* Ut fuerint ante colloquia privata inter singulos, quorum ego particeps esse non potui, et de quibus ego nihil certi referre possum, certe quae in Historica enarratione affertur cautio modo memorata, ea colloquiis illis finitis neque cunctis simul neque mihi ante aut post actionem, quam modo descripsi, declarata est, quod tamen fieri oportuit, si colloquiis tale quid effectum esset.

Haec mea declaratio est, quam profiteri necessario debui in ea re, quam celerrime componi ex animi mei sententia cupio.

Monasterii, die 8 Novembris 1815.

Melchers.

Quamquam iis, quae adhuc communicavimus, totam contentionem complecti noluimus, ea tamen sufficere putamus ad suspicionem discutiendam, qua Perronius more suo intentionem animi Hermesii involvere studuit. Quodsi haec sufficere non videbuntur, nos haud cunctabimur, totam rem peculiari scriptione exponere, additis etiam novis rerum documentis: nam causa illa quae Hermesium movebat, ne illa evulgaret, ea nos iam non tenemur.

Reditus ad Perronium; novi eius Errores.

Iam ad Perronium meum reversus sum, etsi non dixerim, eius societatem periucundam mihi esse. Sed hoc certe mihi fatendum est, eius consuetudinem, quo diutius ea utor, eo minus iniucundam fieri. Paulatim enim illi adsuescere coepi, et ad morem eius sane haud laudabilem, qui in alteram naturam vertit, quo iste veritatem ubique refugit, iam multo minus offendo, quam initio feci. „Ea res mutari nequit,“ hoc egomet mecum cogito, et amplius cum eo iter iniucundum facere pergo.

In Vita ab Essero edita non ambigue relatum legimus, Hermesium post pachatis festum anno 1820 Bonnam venisse, sed Perronius, qui adhuc ex una illa Vita Esseri hausit, tradit, eum exeunte anno 1819 Bonnam iam venisse. Quomodo is error committi in hac re potuit? Ad quam quaestionem responsio est in promptu: in Vita refertur de itinere ab Hermesio tempore feriarum, et quidem autumno anni 1819, suscepto. Hoc illud est, in quod Perronius sive „Theodiscus iste suus natus“ incucurrit, et inde continuo narratur: „sub finem anni 1819 re vera Hermesius professor Dogmaticae Bonnam adiit“. Quomodo Hermesius professor Dogmaticae Bonnam advenerit, tam copiose ab Essero expositum est, ut interpres iste Perronii hanc libri partem totam convertere neglexerit, aut eandem parum intellexisse videatur.

In Vita nudis verbis relatum est, Hermesium anno 1821 ab ordine philosophorum universitatis Bonnensis ad dignitatem Doctoris philosophiae provectum esse. Perronius autem ea scribit, quibus lectis qui eum sequuntur credere debeant, Hermesio hanc dignitatem iam anno 1819, h. e. annis duobus ante, tributam esse!

Perronius porro scribit, „Hermesium anno 1829 suam in theologiam Christiano-catholicam Introductionem edidisse.“ Ignorat igitur aut ignorare voluit, ab Hermesio plures in theologiam Introductiones esse foris datas. Quam ex his Introductionibus Hermesius anno 1829 evulgavit? Num philosophicam? At Perronius quinque versibus ante scripsit, hanc prodiisse anno 1819. An positivam? Sane quidem positivam Introductionem Perronius mente cogitasse — vel potius stilo suo designasse videatur, homo enim iste ad multas, permultas res stilum adhibet, quae nunquam in mentem eius pervenerunt. Sed quomodo ille sic temere conscribere potuit: „Hîc anno 1829 suam in theologiam Christiano-catholicam Introductionem edidit.“ Stilus Perronianus hac in re verus esse et sincerus debebat, scribere debebat, hoc Hermesii opus, positivam Introductionem, nonnisi *fragmentum* mansisse, nonnisi eam partem, quae ratione habita theologiae catholicae multo minus gravis sit, typis evulgatam esse, eam autem, quae fundamenta ipsa theologiae Christiano-catholicae, qua talis, contineat, typis non expressam esse. Hoc stilo

Perroniano, si quidem de Hermesio scribere volebat, cognitum esse debuit, idemque, si hoc ei cognitum esset, dicere hoc debuit. Contra iste Perronii stilus ubique de his Introductionibus tanquam de opere absoluto loquitur, nusquam ne minimum quidem significavit, illud opus fragmentum mansisse. Et tamen hoc ipsum maximi momenti est. Notum enim est, in damnatis Hermesii placitis esse, quae nusquam in libris adhuc editis compareant, quae autem pro eius systemate et schedis academicis in parte typis non expressa tractanda fuissent. Nonnisi has Introductiones sive hanc Introductionem (utrumque nomen per vices stilus Perronianus ponere solet) *Perronius sibi comparavit, nonnisi ex hac Introductione Perronius privatis studiis suis excerpta ampla et varia confici iussit*, nonnisi hae Introductiones, teste eodem stilo, Romae sub examen vocatae sunt; — *Dogmaticam*, quae tribus tomis prodiit, examinatam esse, ne verbo quidem memoratur. Nusquam significatur, eiusmodi opus Hermesii exstare. Perronius Vitam Hermesii scribit, lectores ita instructurus est, ut suam systematis Hermesiani crisin ipsi aestiment, et de hoc opere nihil illis refert, quod scire eos omnino necesse est, ut ad huiusmodi aestimationem accedere possint. Itaque Perronius denuo ostendit et comprobavit, quod publice pronuntiatum est, non totam Dogmaticam, quum examen de Hermesio institueretur, fuisse in manibus Inquisitionis Romanae, quamvis haec decreto congregationis Indicis *in supplementum postea adiecto* etiam secundam et tertiam Dogmaticae partem damnandam curavit, sed potius contigisse, ut Inquisitio Romana, quemadmodum Perronius, duas Introductiones et primam Dogmaticae partem pro toto systemate Hermesii et tota theologia catholica ab Hermesio constructa et adornata haberet. *Causa non bona malo patrocinio fit peior.*

Perronius fontem, unde adhuc hausit, relinquit. — Novi fontes eiusdem iterum occulti. — Fama Hermesii.

Fontem, unde adhuc hausit a se tradita, pagina 18 relinquit Perronius, iamque alii, magnam partem occulti rivuli sunt, unde fere omnis Perronii manavit oratio. Etiam super hos rivulos

arcani velum expansum dedit, et quamquam hoc multo densius esse opinatur eo, quod priori fonti circumdederat, tamen etiam hoc levare potuimus. Quam parum integri plurimi ex his rivulis sint, lector sponte intellexerit ex iis, quae a nobis referentur. Neque vero magnae sagacitatis est, iam nunc praesagire, quid Perronius ex his fontibus omnino turbidis in libellum suum, cloacam illam maximam, derivaturus sit, cum idem ex fonte, qui purus est, si fundum spectaveris, tam impura protulerit.

Perronius p. 17 scribit:

„Quamvis Hermesius in docendo haberet nescio quid, quod alliceret et animos audientium tenere callebat, nihilominus quae ille novare coepit, methodus eius docendi et principia, quae primum in philosophica, mox in positiva Introductione proposuerat, causam praebuere, cur non paucis displiceret.“

Enimvero Perronius si in huius enuntiati initio *quia* posuisset pro *quamvis*, si scripsisset „quia in Hermesii docendi ratione multa inerant quae placerent animosque auditorum suorum allicerent, propterea non paucis displicuit,“ tum verum enuntiatum Perronius scripsisset: nunc autem hoc enuntiatum cum veritate consentaneum non est. Neque illud omni ex parte verum est, Hermesium *non paucis* displicuisse. Nam licet displicuerit, displicuit tamen non multis *sed paucis quibusdam.* Sed nihil id est cur vituperetur. A *quovis* enim homine laudari non est optabile, honestum etiam vituperari a quibusdam.

Etiam Cimon, Themistocles, Aristides, Aeschines, Demosthenes, quanquam viri optimi erant, et in omnium fere oratione „multa inerant quae placerent,“ tamen multis displicebant et ab Atheniensibus in omni artium et doctrinarum genere politissimis in exsilium pulsi sunt, quamvis de civitate immortaliter meriti essent! Etiam Socrates, quem omnium mortalium sapientissimum Oraculi responsum iudicavit, multis displicuit ob res novas, quas moliri dicebatur, et quanquam de Deo, de virtutibus et vitiis rectius et sentiret et doceret quam aequales gentiles omnes, tamen ut qui communes deos contemneret et iuventutem corrumperet accusatus, omnium doctrinarum inventricibus Athenis capitis damnatus est, et in carcere sumta cicuta interiit. Aristoteles, a populi ducibus in suspicionem adductus, invidiae cessit Athenasque reliquit, ne Atheniensibus eiusdem facinoris, quod in Socrate

ausi erant, patrandi novam copiam faceret. Thucydides, qui omnes historiarum scriptores dicendi artificio vicit, a republica Atheniensium remotus et in exsilium pulsus est. Hinc Phocion Atheniensis vere exclamare potuit, cum ad supplicium duceretur: *hunc exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses.* [1])

Collatinus, M. Camillus, Scipio, nonne etiam hi propterea quod nonnullis displicebant expulsi patria in exsilium ire coacti sunt, quanquam et summa et manifesta eorum in populum Romanum merita constabant? Ac Cicero, qui ab ipso Catone ac senatu Romano pater patriae est appellatus, quibus insectationibus idem non expositus est? Ipse rem publicam Romanam summa rerum asperitate et temporis angustiis ab exitio servavit, sed ipsa res publica non potis erat illum ab uno homine defendere, cui displicuerat: gladiis sicariorum obtruncatus est. „Ecce," inquit Redemptor ad Pharisaeos, „ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas: et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex illis flagellabitis in synagogis vestris et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis iustus, effusus super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare!" [2]) Nonne ipse Redemptor multis displicuit, nonne etiam eum tanquam res novas molientem, tanquam corruptorem populi persecuti sunt et in crucem sustulerunt? — Itaque eo res redibit, ut exploremus, *cui* Hermesius displicuerit et quibus de causis idem quibusdam displicuerit. Qui tandem sunt, quibus Hermesius displicuit? Num custodes, quibus munus iniunctum est, ut prospiciant ne quid sana doctrina detrimenti capiat, num episcopi vel ordinariatus episcopales sunt, quibus Hermesius displicuit? Immo Hermesius per omnem vitam nunquam ab horum aliquo sollicitatus est; ipse Clemens Augustus de Droste, cui nemo nimiam in Hermesium indulgentiam vitio dederit, quo dioecesin Monasteriensem administrante Hermesius plures per annos publici doctoris munere functus est, nunquam eum sollicitavit. Et tamen officium ab hoc viro postulasset, ne Hermesium secure sub oculis suis docentem pateretur, si eius methodus et placita

1) v. Cornel. Nep. Phocion.

2) Evangel. Matth. 23, 34. 35.

ita displicuissent, ut persuadere nobis Perronius conatur. „In omnibus, quae acta sunt inter civilem potestatem et Vicarium generalem de Droste hic ne minimam quidem dubitationem adversus doctrinas Hermesii movit. Immo quae tunc evenerunt, ea omnia testabantur, quae insolita fiducia adhiberetur Hermesio et theologo et professori, ea omnia testabantur, quantam iacturam facere urbs Monasterium crederetur, si Hermesius ex ordine theologorum Monasteriensium decederet," haec ille scripsit, cui acta illa ipsa praesto erant [1]). Revera Hermesius a praesulibus suis ecclesiasticis non solum non sollicitatus est: sed iidem raram fidem ac fiduciam ei habuerunt. A principe episcopo Corbeiensi, qui etiam episcopus Monasteriensis nominatus est, magni aestimabatur colebaturque [2]). Vicarius generalis et apostolicus Martinus Fonckius Aquisgranensis, vir gravis et Sparta dignus, quanquam universitati Bonnensi parum favebat, quanquam ad sollicitandum Hermesium ab ipso Hermesii collega clanculum invitabatur, quanquam adversus alios ordinis theologici collegas re vera et fortiter intercessit, ne minimum quidem in Hermesio vituperavit. Quid dicam non vituperavit? Immo dum refellebat accusatoris unius illorum, qui in Hermesium fuerunt teterrimi, placita, Hermesii doctrinam suam fecit! Episcopus Trevirensis, Iosephus de Hommer, Hermesio fidem nullis terminis circumscriptam habuit, eius discipulos praeceptores in seminarium suum adscivit; et electio ab ipso inita post multos annos magnae ei laetitiae fuit, idemque post, damnatis Hermesii libris, scribere ne minimum quidem dubitavit: „Mihi de Hermesii operum atque eius orthodoxia usque adeo persuasum est, ut maxime mirum videatur, quomodo accidere potuerit, ut de librorum eius orthodoxia dubitaretur" [3]). Administrator dioeceseos Osnabrugensis non minorem in eum fiduciam ponebat, quam episcopus Trevirensis. Is enim, ut ante vidimus, theologiae studiosis suae dioecesis severe praeceperat, ut unoquoque trimestri curriculo absoluto testimonium morum et diligentiae afferrent, a Decano facultatis theologicae *et ab Hermesio professore*

1) v. Die Wahrheit in der Hermes'schen Sache.

2) Esseri Vita Hermesii p. 106.

3) v. Acta Romana.

exhibitum," eoque tantum Hermesio tribuerat, ut facile ceteri ordinis collegae moleste ferre hoc possent. Eadem ratione archiepiscopus Coloniensis per tot annos causam Hermesianam aestimavit. Hermesii placita per plures annos, etiam post eius ex Monasterii urbe discessum, in eadem hac urbe plane ad Hermesii methodum tradita sunt, et qui nunc est episcopus Monasteriensis, frater archiepiscopi Coloniensis, nunquam improbare ea animum induxit, adeoque post damnationem, adeo post discrimen illud Coloniense, publice palamque declaravit, *Hermesianos bono in causam ecclesiae animo esse* [1]).

At vero, dicet Perronius, qui cuivis rei bonae malam causam substituere callet, praesides hi ecclesiastici intercedere non poterant, propterea quod Hermesium tuebantur ii, penes quos per Borussiam imperium erat. Hermesio favorem immeritum ab imperio Borussico concessum non contigisse [2]), id compertum est omnibus, quicunque rerum statum non ex longinquo neque nuntiis partium adversarum detortum viderunt. Ac quae tandem causa fuit, cur iidem praesules ecclesiastici adversus *Weckhleinium*, qui a munere suo Monasteriensi, adversus *Gratzium*, qui a munere suo Bonnensi, adversus *Theinerum*, adversus *Müllerum*, qui a muneribus Vratislaviae ipsis demandatis abdicare se coacti sunt, tanto successu intercedere possent? Quid vero imperium Borussorum ad episcopum in partibus Osnabrugensem, quid ad episcopum Limburgensem pertinuit? Neminem vero, qui habet aliquam regionum scientiam, fugit hos viros regimini Borussorum non subesse. Licet igitur ipsi aliarum essent civitatum, tamen uterque horum praesulum partim ante partim post damnationem operum Hermesii honorificentissime de Hermesio et insigni opera ab eo praestita palam iudicaverunt!

Quodsi neque episcopi neque ordinariatus fuerunt, quibus res novae Hermesii displicerent, num fortasse fuerunt philosophi et theologi, easdem scilicet disciplinas de industria tractantes, quibus Hermesius offensioni esset? num hi fuerunt, qui *Dubium*

---

1) v. Allgemeine Zeitung a. 1837, d. 15 Decembris.

2) Enixe rogamus, ut de hac re legantur, quae exposita sunt p. 35 et 36 in libro: Homines et status in turbis ecclesiastico-politicis conspicui. Michelis, Binterim, de Droste.

positivum, qui scepticismum omnem veritatem hominibus repturum in eius systemate deprehenderent.

Philosophiae professor in universitate Lugdunensi Batavorum, *Nieuwenhuisius*, libris editis clarissimus et philosophiae Theodiscae non obiter sed probe gnarus, idemque procul ab ira et studio, in systema Hermesianum data opera inquisivit. Num ille *Dubium positivum*, num scepticismum ibi invenit? Immo philosophicam Hermesii Introductionem magnopere commendavit! „Omnium recentiorum, „ita ille scribit,“ qui de cognoscendi principiis et facultate sunt philosophati, nullus facile hanc rem gravissimam tam perspicue et egregie confecisse videtur, quam Georgius Hermesius. — Horum omnium libri, caeteroquin argumento praestantissimi, ad quaestionem *de certo* in cognitione humana quod attinet, non desiderantur, si unum Hermesii legeris“ 1). Mirum sane, permirum! Philosophus Batavus, vir magni nominis, existimat, neminem tam bene de *Certitudine* cognitionis humanae scripsisse quam Hermesium, dum singulae et occultae voces in Germania clamant, Hermesium a *Dubio positivo* initium facere et ad *scepticismum* homines adducere!

Ut Nieuwenhuisius in Batavis, sic doctus ille canonicus de Féjer in Hungaria, idem qui dogmaticam catholicam, Vindobonae typis ter repetitam, copiose conscripsit, nihil offensionis, nihil quod Catholicismo periculosum in Hermesii philosophia deprehendit, immo et optimam eam esse existimavit, et pluribus libris disseminare eandem studuit. Iam vero quomodo ab artium et disciplinarum existimatoribus in Germania excepta est philosophica Introductio? Repertorium universale litteraturae domesticae et externae indicavit, philosophicam Introductionem, „hunc librum a diligentissimo investigatore annis 23 perfectum, dignam esse, quae ab omnibus attente legatur, si quidem studium veritatis, modestia, aequitas in eos qui diversae fidei addicti, acerrima sagacitas et in decernendo cautio, denique severa et stricta disputandi methodus, severa docti hominis ratio vel tunc agnoscenda sint, etiamsi contrariorum argumentorum pondere ad aliam persuasionem in multis rebus sive secundariis sive prima-

---

1) Nieuwenhuis: Elementa Metaphysices p. 224 et 234.

riis adducamur" [1]. In Annalibus litterarum Vindobonensibus censor ad ratiocinationem quandam Bouterweckii a se in contextu eius operis refutatam annotavit: „Hanc autem responsionem censor non ex compendio memorato sumpsit, sed ex Introductione in theologiam Christiano-catholicam *Doctoris et Professoris Hermesii, qui felicius quam omnes ante eum in natura rationis humanae locum illum firmum invenit, in quo tanquam pons superstrui possit, qui ex orbe idearum in mente insidentium ad obiectivam rerum veritatem perducat* [2]. Tantum anno 1822 aberant Annales Vindobonenses, ut scepticismum in philosophica Introductione offenderent, ut existimarent, Hermesium *felicius quam omnes ante eum* exstruxisse pontem illum, qui ex orbe idearum ad obiectivam rerum veritatem perducat! Sed qualis tandem pons iste sit, si eius fundamenta in vaga arena dubitationis posita sint!

Qui nunc Lentiae episcopus est, *Dr. Gregorius Thomas Ziegler*, qui plures per annos theologiam in universitate Vindobonensi professus est et edita dogmatica Klüpfelii bene meruit de dogmatica catholica, anno 1823 librum, cui nomen „*Catholicae fidei principium*," typis evulgavit. Tam in illo quam in hoc opere [3], ad quod edendum eodem desiderio (v. Praef. p. 7) Zieglerus impulsus est, quo Hermesius ad philosophicas suas quaestiones adductus erat, etiam Georgii Hermesii mentio facta est. Num etiam episcopus Zieglerus res novas in scriptis Hermesii deprehendit, num idem ad methodum eius offendit, num obstupuit, cum ab Hermesio rationem in coelum elatam vidit? Ecce ipsa *Ziegleri* verba: „Si nostri temporis docti homines (de Rationalistis loquitur) apologias veterum Patrum, Iustini, Clementis Alexandrini, Athenagorae, Athanasii, utriusque Gregorii, Chrysostomi, Enchiridion Augustini, Thomae Aquinatis contra gentes libros vel primis labiis gustassent, puderet eos, nostris diebus materialismi patrocinium suscipere, atque ea opinione duci, sese magni quid reperire in hoc falso, fallaci, infirmoque principio. Quid enim re

---

1) Repertorium universale litteraturae domesticae et externae. Tomi 4 fasciculus 2. Lipsiae 1819 apud Knobloch.

2) Annales litterarum Vindobonenses, tom. 18. A. 1822. Aprilis, Maius, Iunius.

3) v. Ziegleri institut. s. proleg. Theol. cath. Viennae 1821. p. 301.

vera, theologiae quidem ratione habita, rationalismus a naturalismo differt? Utriusque placita ad idem redeunt. De diversis methodis, quibus utuntur ad fidem positivam Christianam exstinguendam, opprimendam, in miseram quandam philosophiam dissolvendam, nolumus plura dicere.“

Hoc loco Hermesii mentio facienda erat, si Ziegleros re vera idem anno 1823 de Hermesio sensisset, quod huius inimici de eo sentiunt. Quippe isti iactant, Hermesium prae ceteris fuisse, qui eo contenderit, ut fidem positivam Christianam labefactaret, opprimeret, in miseram quandam philosophiam dissolveret.

Sed illic cum Hermesium non deprehendamus, aliam in partem oculos nostros convertamus, num forte inter alios meliores socios quam inter hos rationalistas versantem eum inveniamus. Zieglerus scribere pergit:

„Sed quod attinet ad eos theologos rationalistas, qui fidem Christianam ut divinam revelationem agnoverunt et philosophia utuntur, ut fieri et posse et factam esse divinam revelationem ostendant, ut doceant, quantopere philosophiae auxilio nostra Dei cognitio et lumine illustretur et firmior fiat; qui revelationem dilucide exponunt et scientiam suam fundamento historico superstruunt, veluti cum sobrii philosophi physicam suam ex perceptionibus empiricis accurate docent, eiusmodi sobrios rationalistas salvere amice iubemus; quales sunt divini magistri *Anselmus*, *Thomas Aquinas*, qualis nostris diebus *Ild. Schwarz, Ul. Peutinger*, *Mar. Dobmayer*, *Fr. Oberthür, G. Hermes Monasteriensis*“. Viden, in quam societatem Zieglerus Hermesium induxerit! in societatem theologo catholico omnium honestissimam! Nam quis theologus catholicus honori sibi non duxerit, in eundem censum cum s. *Anselmo,* cum s. *Thoma Aquinate* venire? Atque Zieglerus in hac societate Hermesium salvere peramanter iubet, quam salutem omnes Hermesiani etiam in auctorem humanissimis verbis referent!

Hosce homines nullis praeiudiciis occupatos fuisse, nemini dubium videbitur. Hermesii personam nulla consuetudine unquam attigerunt, neque studium neque animus alienus iudicium eorum conformare vel afficere potuit. Itaque hoc certum est, eos in Hermesii operibus neque methodum improbasse, neque nova quae periculosa essent in iis deprehendisse. Quodsi Perronius dicit, Hermesium ob causas a se allatas *multis* displicuisse,

haud dubie intelligit, multis *Catholicis* eum displicuisse. Catholicorum autem et Protestantium ea est ratio, ut his multa displiceant, quae placent illis, et vice versa. Iam si Hermesius multis Catholicis displicuit, Protestantibus fortasse placuit. Verene igitur Protestantes studiis eius arriserunt, verene tanquam fratrem laeti eum exceperunt, ut adversarios eius notissimos exceperunt? Si ita esset, saepissime tanquam certissimum argumentum inimici prolaturi fuissent, Hermesium sub signis hostium pugnasse et ecclesiae catholicae solum subtrahere conatum esse. Sed plane contrarium accidit. Protestantes enim studia Hermesii aut ignorare voluerunt, aut ipsum aggressi sunt. Quis nescit, *Hengstenbergium* Berolinensem non solum in scientiam sed etiam in mores et personam Hermesii inimico animo ea molitum esse, quae homine Christiano, quae viro erudito plane indigna videantur; quis nescit, Hengstenbergium vitam Hermesii scripsisse eam, qua imaginem morum Hermesii magis etiam distortam dedit, quam dare Perronius operam dedit. Sed num *Hengstenbergius* iste, qui ira et studiis agitatus est animumque Hermesio inimicum gerit, etiam intentionem eius vere catholicam negare ausus est? Immo haec ipsa est, quam causam ille affert nominis et celebritatis, in quam Hermesii nomen venerit.

„Admiratio,“ Hengstenbergius scribit, „eorum qui magno numero Hermesium audiebant, nullis terminis se continuit. Cuius rei causam ut intelligamus, ratio respicienda est, quae intercessit Hermesium inter et eos, coram quibus docebat. Nam theologiae Catholicae professor, qui pollicitus est sese demonstraturum esse argumentis assensum cogentibus, solam suae ecclesiae doctrinam esse rationi consentaneam, esse finem, ad quem tota nova philosophia progressus factura perveniat, quem nisi temere evitare non possit, qui pollicitus est, se commissurum non esse, ut unquam ad fidem confugeret, sed ut natura rei postularet, cum adversariis fidei in eodem cum illis campo se dimicaturum esse, donec eos ad ponenda arma cogeret, is vir inter eos, qui undique angebantur sermonibus asseverantium, *ipsorum fidem esse antiquatam*, *novis temporum progressibus semotam*, non potuit non *magnam attentionem excitare*, praesertim cum haec fides apud plerosque omnes nonnisi mediata et humana esset, cum in his ipsis terris, in quibus Hermesius docebat, vivido incitamento,

quod alibi, ut in parte quadam Germaniae meridionalis, non deerat, vita religiosa careret."

Religionem catholicam esse obsoletam, emortuam clamant adversarii: Hermesius vero se gravissimis argumentis comprobaturum esse pollicetur, tantum abesse ut haec religio sit languida, interarescens aut adeo exstincta, ut omnis recentior philosophia, dummodo rationi convenienter agere velit, eam sequi debeat atque amplecti. Atque hac Hermesii professione liberantur a metu, quo praediti erant, qui eam religionem adhuc coluerunt, et in laetam spem novamque rerum fiduciam eriguntur. Hac ratione factum est ut Hermesii nomen maxima apud hos gloria et admiratione esse coepisset. Potestne honorificentius quid de religionis catholicae magistro dici? potestne hoc taeterrimi adversarii testimonio gravius quid esse et excellentius?

Sed hoc rursus usu venisse videmus, ut, cum id quod in facto positum est negari non possit, id pro suo iudicio et libidine unusquisque interpretari conetur: et Perronius quidem dicit, causam fuisse *insignem animorum oratione et disciplina alliciendorum facultatem*, Hengstenbergius, ordinis Theologorum evangelicorum in universitate Berolinensi collega, fuisse *antiquatam vel penitus semotam fidem catholicam*, quam Hermesius in vitam excitare studuisset. Kleeius [1]), theologus catholicus scripto testatur, incredibili doctrinae Hermesianae ieiunitate, Windischmannus [2]), princeps accusatorum Hermesii, unis artificiis effectum esse iurat, ut a *iuvenibus immaturis* Hermesius frequentaretur et magnam auctoritatem acquireret; atque sic de hac re inter se dissident Hengstenbergius et Perronius, Kleeius et Windischmannus, homines qui de ceteris mirifice congruunt.

Auctor novi libelli, cui titulus vix Latine reddi potest, *Epistola Evangelicae liberae Dominae Athanasiae*, Hermesii doctrinae studia esse „eximia profitetur, artis lege culta, severae religionis aemulantia, in omnibus rebus dogmaticis orthodoxa, quae postremo ecclesiae Protestantium multo maius periculum allatura sint, quam imbecillus ultrapapismus." — Tantum igitur abfuit, ut Protestantes ullam causam haberent arridendi Hermesii novatio-

---

1) v. Kleeii Dogmat. tom. I. p. 250 edit. 2.

2) v. Acta Romana p. 122.

nibus, ut eas ecclesiae suae multo periculosiores fore crederent, quam imbecillum illum ultrapapismum, h. e. id genus hominum, a quibus philosophia et doctrina omnis non modo negligitur sed etiam vituperatur, quique propter offusam ipsorum animis caliginem verba illa male accepta *nisi credideris non intelliges*, h. e. coecam fidem, pro tessera sibi sumpserunt!

Sed si Hermesius neque episcopis neque episcopalibus ordinariatibus, si viris qui in hoc doctrinarum genere habitabant in eoque clari exstiterunt et nobiles, ut *Nieuwenhuisio, Fégero, Zieglero,* non displicuit, qui tandem sunt isti, quibus displicuit? Qua de causa iisdem displicuit? Si re vera Hermesius illud perditissimis moribus monstrum fuit, quod iactaverunt, si re vera fuit nova hydra Lernaea catholicam in Borussia ecclesiam devoratura, quid tandem potest maiorem gloriam conciliare quam hoc monstrum sustulisse! Sed ubinam victor est? Cur non prodit, ut tempora eius merita laurea revinciantur? *Et quia quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare, oportet ut publice exeat, et quaecunque in contestatione sua loqui praesumpsit, ostendat* [1]. Sed nusquam vox aliqua exauditur. Vellus aureum multorum manus petunt, sed Argonautae delitescunt. Eo gratiores erga Perronium esse nos debemus, propterea quod nonnulla rerum vestigia ostendit, quae persequentes haud dubie plura detegere poterimus. Scribit Perronius:

> „Interea res novae in primis professores *Kleeium* et *Windischmannum* et alios nonnullos offendebant, adeo ut paulatim rumores sollicitudinem moventes oriri et partes consistere inciperent.“

Ecce, Kleeius et Windischmannus, sive Windischmannus et Kleeius illi sunt, quos *res novae* Hermesii offenderent, professores Windischmannus et Kleeius et nonnulli alii sunt, a quibus rumores sollicitantes moverentur, professores Windischmannus et Kleeius et alii nonnulli fecerunt, ut partes consisterent. Boni igitur vicini, collegae Hermesii, qui in eadem universitate, ex parte in eodem ordine easdem cum eo artes profitebantur, hi fuerunt, quibus displicuit, qui eum insectati sunt, qui in haeresis criminationem eum adduxerunt, nomenque eius quod vereri debebant

---

1) Gregor. M. Epistol. VI. 31.

proscripserunt. *Inimici hominis, domestici eius* Matth. X, 36. Iam videmus, in causa Hermesiana novo exemplo et illustri probatum esse illud, ex parvis causis magnarum rerum initia fieri.

> „Ut lapillus in aquam deiectus orbes circum se facit, qui semper ampliores fiunt, quo magis a centro recedunt, sic prima illa murmuratio, illa discordia, quae statim ab initio Bonnae auditae sunt, semper latius disseminatae sunt, donec adeo increscerent, ut diversae partes orirentur.“

Sane hic locus lepidissimus est omnium, qui toto Perroniano libro leguntur! Windischmannus est, qui lapidem illum in aquam deiecit, et Kleeius eiusdem familiaris ac convictor nonnisi allevandi eius operam insumpsit. Minerva apud Homerum lapidem atrum, rudem, magnum in Martem deiecit, atque deus ille belli concidit septemque agri iugera corpore occupavit. Iactus ille Minerva dignus fuit, sed quid ille valet prae iactu Windischmanni! Per hunc enim orbes facti sunt, qui etiamnum semper ampliores fiunt, per eum undae excitatae sunt, quae ad fundamenta solii validi fortiter alluerunt idque commoverunt, undae quae etiamnum provolvuntur et fortasse non tam mature ad eam molem perveniunt, quae obstet, quominus ultra tendant!

Sed quid Windischmanno, medico medicinaeque professori, qui in propria arte paucos semper habuit auditores, aegrotos quibus mederetur fere nullos, quid igitur isti cum rebus theologicis commercii esse potest? Quomodo accidit, ut is ad res quas non attigerat accesserit, et in rebus theologicis quas vix primoribus labris attigerat multo acrius videret, quam episcopi, quam eorum consiliarii, quam tot viri in media hac arte habitantes, qui nunquam quidquam suspicionis in orthodoxiam Hermesii moverant? Atque si Windischmannus de orthodoxia Hermesii dubitabat, cur non ad ipsum Hermesium se convertit, cur eum absentem carpere quam praesentem monere maluit, cur non episcopos adiit, id quod pro rei natura et humanitatis et religionis christianae officium postulabat? Cur quaecunque in Hermesium molitus est, ea omnia occulto et clam peregit?

Perronius et Seberus. — Seberus Bonna discedit.

Perronius narrare pergit:

„Hermesius in Sebero, collega suo, a theologia dogmatica prorsus dissensit, cui visum est anno 1825, se a munere suo abdicare, universitatem Bonnensem relinquere, Lovaniumque se conferere, ubi philosophiae professor nominatus ibique mortuus est. Multi Seberi discessum Hermesio vitio dederunt, tum quod is nunquam, si ob doctrinam oppugnaretur, ad concedendum promptus esset, tum propter factum aliquod, quod illum ultimo ictu protrusit.“

Liceat nobis, Perroni, te hominem omnium doctissimum de iis rebus de quibus modo exposuisti paulum percontari. Assentirisne placitis theologicis Seberi quem nobis narrasti? Haec interrogatio sane molestior est, cum vix dubium mihi sit, te de Seberi placitis non plus comperisse, quam de eo in Wegscheidero tuo relatum est, et Wegscheidero ne oculis quidem hanc ob rem perlustrato tamen magna veri similitudine affirmare possum, in Wegscheideri libro Seberum haud nominari. Sed Seberus aliquot libros edidit, in quibus eius de religione et theologia placita ex parte proposita sunt. Haec scripta, quae tibi, ut religioso rerum scriptori legenda erant, antequam de Hermesio minus egregia conscriberes, iam ut legas te adhortor, quo facto quid sentias nobis expones. Num tu igitur haec placita pro tuis declarare audebis? Minime vero, quamdiu in munere tuo Romae versaris et versari voles. Nam non licebit tibi Romae profiteri dei exsistentiam ratione probari non posse, non licebit tibi Romae omnem ordinem rerum ita pervertere, ut doceas, religionem non dei cognitione profluere sed religionem esse fontem in quo omnis de deo quaestio, omnis theologica doctrina contineatur; non licebit tibi Romae praedicare illam *gnosin* quam nuper cum Sebero admodum consentiens Berlagius, theologiae catholicae in academia quae Monasterii Westphalorum floret, publice commendavit, „talem nempe rerum divinarum intelligentiam esse quaerendam, ut natura earum et rationes tum externae tum *internae perspiciantur*, *ut humana esse appareant omnia divina*

et manifesta fiant mysteria." Non licebit tibi, inquam, haec eiusdemque generis multa, quae Seberus docuit, Romae publice profiteri. Quomodo igitur suspicionem in Hermesium excitare audes, propterea quod is in Sebero non probat, quae tu ipse aut improbas aut improbare certe debes? Porro quid postulabat, ut Hermesius cum Sebero, ac non Seberus cum Hermesio consentiret? Hermesius omnino ad praelectiones academicas diutius incubuerat quam Seberus, idem maiore doctrinae fama auctoritateque florebat apud theologos quam Seberus, cui etiamsi non ingenium tamen otium defuit, ut in his difficillimis studiis quibus nuper admodum se dederat proficeret. Ipse iam, si non omne veri studium abiecisti, intellexeris, quam sis praeiudiciis occupatus. Si Hermesius Lovanium discessisset, si Hermesius in collegio philosophico Lovaniensi professoris munus suscepisset, quam vehementer tu tympanum suspicionis inflaturus esses, quibus coloribus collegium illud philosophicum, cuius nomen Seberi tui causa hoc loco prudenter supprimis, depicturus esses, quomodo vexaturus nos esses et omnia enumeraturus, quae sacerdotes, quae episcopi Belgae in hanc scholam moliti sint! Quomodo tu cantaturus esses, episcopos Belgarum nemini manus imposuisse, qui in hoc collegio philosophico, in huius Seberi auditoriis praelectiones audisset? Seberus autem Hermesii adversarius erat, et haec una virtus coram te tanta videtur, quae omnes ceteras maculas abluat.

Narras, „multos fuisse qui Seberi discessum vitio darent Hermesio, tum quod is nunquam, si ob doctrinam oppugnaretur, ad concedendum promptus esset, tum propter factum aliquod, quod illum ultimo ictu protruserit."

Num adeo tu professorum et doctorum indolem ac consuetudinem non novisti, num tam parum te ipsum novisti, ut nescias, quam vehementer illi — exceptis iis qui persuasiones suas ad venum exponunt — concedere abhorreant, si ob doctrinam et placita sua oppugnantur? Tu ille es, qui Hermesii sententias male converteris, id quod Elvenichius tam manifesto ostendit, ut dubitare nemo possit, nisi qui veritatem quovis modo abnegare apud se constituerit. Discipuli tui Romani asseveraverunt, te confessum esse errorem tuum, iique id ipsum coram episcopo Trevirensi professi sunt, tuque a diurnis Schafnabur-

gensibus eo nomine laudatus es, promptum te esse ad peccatum a te commissum corrigendum. Quae cum ita sint, quid iam facis? Num veritatem luce meridiana clariorem agnoscis, num peccatum tuum confiteris? Immo, in diurnis historicis et litterariis Leodinensium declaratum est: te non revocasse neque esse quod revocares, et sic pro errore, in quem incidere etiam vir probus potest, turpitudinem admittis in eaque obstinata mente persistis! Itaque tu ostendisti, aut tibi aut discipulis tuis amicisque aut utrisque non credendum esse; tu Biundium, tu Rosenbaumium compulisti ut publice declararent, sese tibi, quidquid scripseris dixerisve, credere non posse! Sed cur reticuisti, quod disertim in fontibus tuis relatum est, Hermesium fuisse, qui ob Seberum non quidem animi sui sententiam, sed munus suum omittere vellet; cur retices, Hermesium ipsum abdicationem a munere suo obtulisse? unde consequitur, eum tantum abfuisse, ut Seberum removeret et rationibus eius noceret, ut consilium caperet, illi de loco suo cedendi. Sed iterum quid fuit, cur Hermesius Sebero, ac non Seberus Hermesio concederet? Quanquam, sive hoc fecit sive contrarium Hermesius, ad tuum adductus tribunal non evadet innocens: supra eum vituperasti ob sententiam mutatam, iam eundem vituperas, propterea quod de sententiis suis desistere nollet!

Alteram causam, cur Seberus ab universitate Bonnensi decederet, consessum attulisti ordinis theologorum catholicorum, in quo de huius ordinis ad ecclesiam catholicam ratione actum sit. „Cum Seberus cum ceteris collegis non consensisset, hac re illum ultimo ictu protrusum esse, sive Sebero datum esse ultimum ictum (gli diede l'ultima spinta, *gab ihm den letzten Schub*), aut quemadmodum Germanice redditum est ab interprete: „Seberum hac re ad captum ultimum consilium exsequendum impulsum fuisse.“ Ad captum ultimum consilium exsequendum? Male vero res se habebit, si is consessus ad captum consilium exsequendum Seberum impulit! Sed quid moremur verba interpretis, cum in rebus ipsis quovis temporis momento tot errores, tot falsa producat Perronius, ut omnia animo complecti difficile sit? Perronius, quemadmodum paulo post narravit, dicere vult: propterea quod Seberus cum ceteris ordinis theologici collegis, qui in consessu essent, non consensisset, necessitatem ei impositam esse,

ut Bonna discederet. Sed cur definitum non est abs te, Perroni, quo die consessus ille habitus sit? In eiusmodi rebus, quae in facto sunt positae, temporum rationes, ut tu probe tenes, permagni momenti sunt. Ego quidem hoc ipsum ita narrare possem, quasi dolo malo diem tu indicare omiseris. Sed non ita est. Nam ipsi tibi hoc incompertum est. Sed ignorantia tua te minime excusat. Nam cur coniungis, quae longe discreta sunt? Cur narras, Sebero *paulo post* necessitatem impositam esse, ut Bonna discederet, si ignoras, quando hic consessus fuerit? Nam is consessus sive ii consessus iam anno 1823 habiti sunt, et anno demum 1825, h. e. duobus annis post, Seberus Bonnam reliquit. Seberi igitur consilium duobus annis ut maturum fieret, opus fuit! Si res sic se habet, Seberus sane non festinavit! Sed Perronius novo documento probavit, quam fidem in rebus referendis praestare soleat, cum, ut illum ordinis consessum et Seberi discessum tanquam causam et effectum proponeret, scripserit, Seberum *paulo* post Bonna discessisse.

Sed quomodo discessus ille Seberi Bonnensis re vera se habet? Num veritati convenienter Perronius narravit, illum Bonna digressum esse, propterea quod illa ordinis consulta nomine suo subscripto adprobare nollet? Non urbanum videtur dicere alicui: *tu mentiris*. Sed reliquit me tandem facultas novis verbis circumscriptis illud experimendi, quod simplex mentiendi vocabulum significat. Quodsi Perronius non erubescit publice *mentiri* et continuo *mentiri*, cur ego erubescam apto et proprio verbo uti, quo denotem quod iste agit? Itaque Perronius rursum mentitus est, dum scribit, Seberum ob causam a se expositam Bonna discessisse. Immo eius rei causa haec fuit. Anno 1825 consilium ex professoribus electum erat, quod statuta quae vocantur universitatis componeret. In hoc consilio etiam Hermesius fuit. Dum haec aguntur, de professura iuris canonici certamen exortum est. Hermesius affirmabat, ordini theologorum catholicorum suum iuris canonici professorem esse oportere: nam alioqui fieri posse, ut candidati theologiae catholicae magistri Protestantis scholas adire cogerentur. Contra dicebat ordo iurisconsultorum, in eo *Walterus*, professor Bonnensis, Windischmanni gener, contendentes, iuris canonici professuram ordini theologorum esse abiudicandam, eam unice per-

tinere ad ordinem iurisconsultorum. Hermesio in ordine theologorum catholicorum *Ritterus* et *Scholzius* assentiebantur, *Seberus* contra, quamquam ante aliter senserat, item *Gratzius* ordini iurisconsultorum consentiebant. Hermesius, Ritterus, Scholzius tandem hactenus concedebant, ut ordini theologorum proprium iuris canonici professorem non postularent, sed satis esse crederent, si in futuris universitatis statutis constitutum esset, in ordine iurisconsultorum semper inesse oportere *professorem iuris canonici qui fidem catholicam profiteretur, sed hunc simul esse collegam ordinis theologorum catholicorum, eumque, ut ceteros omnes ordinis theologorum catholicorum professores, quantum ad orthodoxiam doctrinae pertineret, archiepiscopo rationem reddere debere.* Uter eorum igitur connivebat, Hermesius an Seberus? Uter rem catholicam sartam tectamque habere voluit, Hermesius cui Perronius maledicit, an Seberus quem fovet? Eam ob rem vehemens contentio inter collegas ordinis theologorum catholicorum orta est; eaque a Sebero tanta sui impotentia, tanto collegarum suorum contemptu, sermone tam dissoluto tam rudi atque agresti exercita est, ut in Annalibus universitatum duorum saeculorum, quae ante nos fuere, spatio vix simile quid reperire difficile sit. *Hae* simultates et quae ex iis ortae sunt eum eventum tandem habuerunt, ut Seberus universitatem relinqueret. Iam unusquisque, cui iudicium est non occupatum, videbit, criminationes istas Perronii in eos, penes quos in Borussia imperium est, prolatas, tanquam ii ad *μοναρχίαν* in universitate Bonnensi Hermesium provexerint, prorsus vanas esse et falsas et sua imbecillitate atque intolerabili fatuitate evanescere.

Deliberationes ordinis theologorum catholicorum Bonnensium.

Deliberatio ante memorata, ab ordine theologorum catholicorum Bonnae habita, ea Perronio tanquam uberrimus fons est, unde novas suspiciones haurire possit. Tam beatus in hoc loco sibi videtur, quam si auri fodinas Golkondae detexisset. Itaque illic consedit composito vultu mansueti criminatoris, lectoresque inducere studet, ut credant, quaecunque ex hoc fonte protraxerit, aurum esse purum et solidum. Nihilominus impura palus est, unde sua petit, nihilominus perfidae criminationes sunt, quaecunque molitus est.

Si Perronio destinatum esset, sincere de his deliberationibus referre, officium fuit, rerum conditiones, civitatis consuetudines, instituta, mores ac voluntates civium accurate describere. Didicisse debebat non eadem omnibus esse concessa, esse Romae prohibita quae in Germania non sunt, esse licita Romae quae nostris legibus nefas habentur omniaque Germanorum legibus atque institutis iudicari debere. Sed iste dum has rerum conditiones omnes omittit, dum eas deliberationes quasi Romae habitas describit easque ex singularibus Romanorum iuribus et institutis illius terrae iudicare adgreditur, eo uno veritatem corrumpit, aliorum in ecclesiam animum suspicione onerat, et nomina innocentissimorum virorum lacerat.

Hoc primum Perronius cum lectoribus communicare debuit, si quidem efficere voluit, ut ipsi recte iudicarent, omnia illa ab ordine pronuntiata nihil fuisse nisi sententias, quas accipere, reiicere, mutare eorum esset, penes quos erat omnis harum rerum potestas. Alteram deliberationum partem reticere, id summum nefas habere debebat. Nam quae idem ordo ad conservandam morum integritatem et vitae religiosae sanctitatem in iis, qui studia theologiae amplecterentur, cum praepositis suis communicasset et adprobanda proposuisset, ea referre, ac non, quippe quae bonam animi intentionem et optimarum rerum studia testarentur, reticere debuit. Si religiose ac sincere agere voluisset, opus fuit, ut quae ex his deliberationibus consecuta sunt fideliter perscriberet, ut nullo verbo uteretur, quo, quid ordo vellet, ne minimum quidem amplificaretur, quam ipse decerni voluisset, ut uno verbo dicam, Perronius acta illa *mutilare* non debuit.

Ab ordine postulatum erat, ut, cum, ipsum inter et ecclesiam quae ratio intercederet, definiendum esset, *sententiam* suam his de rebus diceret:

a) de ratione ordinis theologorum catholicorum ad sedem archiepiscopalem,

b) de censura librorum suorum,

c) de propria disciplina, qua studiosos sibi adscriptos moderandos esse existimet,

d) de cultu divino academico quem optaret adornando.

His propositis iam, quemadmodum Perronius rem in deli-

beratione versatam definiat, videamus. Pagina 18 libelli sui tradit: „hoc consessu quaestio tractabatur, qua ratione ordo theologorum ad ecclesiam referretur,“ et pagina 19 scribit, „is consessus habebatur, propterea quod universitati Bonnensi a sancta sede copia non facta erat, gradus academicos impertiendi.“

Undenam Perronius rescivit, *quam ob causam* is consessus habitus sit? Fons illius nihil habet, ipsaeque deliberationes ne vestigium quidem eiusmodi causae ostendunt. An Perronius in ea sententia est ut opinetur, universitatem Bonnensem Roma potestatem gradus academicos impertiendi, doctores philosophiae, medicinae, chirurgiae, artis obstetriciae, iurisprudentiae creandi petere debuisse? Non hoc solum, sed idem coram lectoribus suis ostendit, factum esse, quod plane factum non est, universitatem Roma petivisse, ut gradus academicos concedere, doctores medicinae, chirurgiae, artis obstetriciae creare ei liceret! Quid enim verbum „*copia non facta est*“ suggerit, nisi hoc, petivisse illam sed non impetravisse quod petivisset? Sed agedum accurate videamus quae Perronius tradit. Scribit:

„Fuerunt stabilita haecce:

1) „Professores a civili potestate adsciscuntur et inaugurantur:“ quod additum est: „ordinis ad ecclesiam ratio simul postulat, ut praeceptor, quem civilis potestas *adsciscere intendit*, episcopo repraesentetur eiusque assensu probetur,“

hoc additamentum Perronius suppressit.

Acta ordinis theologorum definiunt:

„Quod ad rationem attinet, quae ordinem inter et sedem episcopalem intercedet, ordo hanc normam constituit, iuxta legem ab ecclesia catholica usu receptam ei episcopo, in cuius dioecesi ordo theologorum catholicorum sit, omnino competere, ut de doctrina, quam profiteatur ordo, invigilet, anquirat et custodiat; *quapropter opus esse*, *ut liceat episcopo visitare ordinem et a magistris rationem doctrinae suae postulare.*“

Haec Perronius suo more sic reddit:

„Episcopus cum civili potestate non nisi monendo communicare potest, hunc illum professorem sibi non placere.“

Habes quod in ipsis actis perscriptum est, habes etiam verba Perronii! Iam quaerimus, cuius hominis honor, cuius fama, cuius doctrina tuta erit, si impune licet referre ita, ut modo a Perronio factum esse videmus? Idem hic Perronius tamen profiteri non erubescit, „sese quaecunque ad probandum opus erant documenta diligentissime acquisivisse, ut nihil affirmaret, nisi quod certis fundamentis niteretur, sese omnia, quae tradiderit, ex fidis fontibus hausisse." Eiusmodi nefarias turbas in centro ecclesiae catholicae moliri Perronio licet, res in facto positas adeo detorquere, detortas nomine suo affirmare et evulgare audet coram oculis eius viri, qui successor illius est qui dixit: *Ego sum via et veritas!* Ubinam in tota Germania ordo invenietur, in quem amplior potestas episcopo concessa sit, quam illis propositionibus factum est? Quod ut in maiori luce positum videas, compares quaeso has propositiones, ut taceam universitates in terris protestantium constitutas apud Würtembergenses, Badenses, Hassos, cum iis legibus, quae per imperium Austriacum valent. Ibi enim theologiae professores sine ulla episcoporum communione a civili potestate adsciscuntur ecclesiasticae potestati ne intercedere quidem licet. Ne illud quidem prospicitur, ut per litteras peculiares de officio datas episcopi certiores fiant de professoribus adscitis. Professores theologiae magistratus civitatis habentur, ideoque non ad proximam episcopi curam demandati sunt. Si quis theologiae catholicae professor docet quae in leges religionis catholicae peccant, episcopus non ipsum appellare sed potestatem civilem adire potest.

Ac si re vera tot nefaria in his propositionibus insunt, cur professor Kleeius Bonnam se adsciri a civili potestate Borussica passus est? Cur una hac vocatione fretus per undecim annos ibi publice docuit? Nihilominus Perronius eundem professorem Kleeium *virum doctum et pium* appellavit. *Vir doctus* scivit, quae facere ei liceret, *vir pius* illiciti nihil commissurus fuisset. Quodsi Kleeius accepta vocatione *impius* factus non est, cur Hermesius facta propositione *impius* erit? Delatio Hermesii in celebratissimos Germaniae theologos, in Sailerum, qui totius sanctioris doctrinae campum mirifice collustravit ita ut in Germania nemo Theologorum catholicorum ei anteferretur, in Moehlerum, qui quum a ceteris scriptoribus tum ab ipso Perronio collaudatus

est, in Zieglerum et Zängerlium utrumque quondam theologiae professores nunc vero episcopos bene merentissimos, denique in omnes theologos catholicos, qui in universitatibus Theodiscis postremis his temporibus artes professi sunt, recidit.

Amplius refert Perronius:

> 2) „Ne ordo theologorum inferior sit ceteris Germaniae ordinibus, opera a professoribus edenda censurae archiepiscopi haud subiiciantur.“

Ipsa relatio Perroniana profitetur, ab ordine theologorum catholicorum bona fide nihil postulatum esse, nisi quo ceteri ordines theologorum in Germania iam fruerentur. Si autem nulli per Germaniam ordini haec immunitas fuisset, quidnam delicti committunt professores Bonnenses, si optant, ut episcopi hanc censurae immunitatem sibi concedant? Quid delicti est, id legitime rogare, quod, ut satis constat, omnibus theologis Austriacis concessum est, h. e. ut liberi sint a censura episcopi? Quid delinquunt, si legitime rogant, quod summus pontifex in Bavaria non solum omnibus theologiae professoribus sed omnino omnibus clericis secundum pactionem cum Bavariae rege factam concessit? Quodsi Hermesius et ceteri ordinis collegae deliquerunt, cum hanc immunitatem rogarunt, Pius VII summus pontifex, qui summa sanctitate illuxit vir, multo magis deliquit, cum eandem clericis Bavaricis concessit.

Sed eo ipso, quod in Hermesio Perronius vituperat, invitus illum celebrare cogitur. Invitus testari cogitur, quam religiose etiam in hac re egerit Hermesius. Evolve, quaeso, opera Döllingeri theologiae in universitate Monacensi professoris, Walteri, Möhleri, Ziegleri, Staudenmayeri theologi Friburgensis, innumerorumque aliorum quae nominare nihil attinet, ut intelligas, utrum haec censurae episcopali subiecta fuerint nec ne. Num illi censuram episcopalem rogaverunt? Num fecerunt, quod iudice Perronio gravibus poenis propositis facere debebant? Minime! Nusquam nec vola nec vestigium comparet, quo probetur, opera eorum episcopali censura aestimata fuisse. Verum enim vero Hermesius re vera fecit, quod omnes illi omiserunt: omnia enim scripta sua theologici argumenti censurae episcopali subiecit, id quod in ipsis libris litteris perscriptum legimus. Nihilo minus Her-

mesius est, quem Perronius in suspicionem adducit, et ita quidem adducit, ut, si advocatus diaboli agendus fuisset, nihil in eo desideraremus.

Sed quid profuit Hermesio, quod scripta sua censurae episcopali subiecit? Quid Achterfeldtio profuit non solum approbatio episcopalis, sed diligentissima libri sui commendatio, ab ordinario eius, principe episcopo Varmiensi, homine excellentis bonitatis et animi in religionem catholicam propensissimi profecta? Illorum libri in Indicem recepti sunt. Itaque non solum supervacaneum videtur, theologica scripta censurae episcoporum Theodiscorum subiicere, sed idem opus aleae plenum videtur. Nam ii ipsi libri, qui *cum* approbatione episcopali prodierunt, sunt qui Indicem Romanum ornent, dum ceteri, qui *sine* approbatione episcopali prodierunt, non lacessuntur. Approbationem gravibus poenis propositis sancire, eamque continuo nihili facere, hoc sane nimium est, quam ut auctorum patientiae imputari possit, neque hoc harum legum auctoritatem iuvare, neque reipublicae christianae commodo esse potest.

Quae ordinis theologorum collegae rogabant, ut censurae archiepiscopalis immunitatem quam diximus impetrarent, novo lumine illustrantur, si leges ecclesiasticae quae ad Rhenum obtinent, consideraverimus. Quae quales sint, paucis verbis exponemus [1].

Pace Lunaris Villae die 9 Februarii 1801 constituta, qua veteris imperii Theodisci constitutio sublata est, sinistra Rheni ripa Franco-Gallis adiecta est. Urbs Bonnensis, ubi ordinis collegae conveniebant deliberaturi, in ea Rheni fluvii ripa sita est, quae ab omnibus sinistra vocatur. Hoc admonere aliorum causa minime opus erit, sed ut Perronii causa moneamus postulat eiusdem animi indoles. Iste enim ne *Pannerdam* verbi causa animo occupet ibique oculis ad fontes Rheni conversis clamet, Bonnam in dextra Rheni ripa positam esse, sane est cur metuamus. Bonna igitur 9 Februarii die a. 1801 imperio Franco-Gallico adiuncta est, atque concordatum Franco-Gallicum, quod eodem anno cum summo pontifice convenerat, per imperium Franco-Gallorum, quibus tum etiam Bonna parebat, die Aprilis 19 a.

---

1) v. Diurna provinciae Rhenanae a. 1839. Nr. 18 sqq.

1802 promulgatum est. Sic leges ecclesiasticae Franco-Gallicae una cum libertatibus Gallicanis etiam ad Rhenum legitime obtinere coeperunt. Quantum ad capita illa quatuor attinet, novum decretum die Februarii 25 a. 1810 a Napoleone imperatore emissum est. Id cum omnibus archiepiscopis, episcopis imperii Franco-Gallici, cum eo qui toti officio academico praepositus est, academiisque universitatis Caesareae, praesidibus seminariorum et scholarum theologicarum communicatum est, ut rite ei obsequerentur. Etiam cum episcopali ordinariatu Aquisgranensi, ad quem Bonna pertinebat, communicatum et a Vicario generali Fonckio rite ac solenniter receptum est, quemadmodum epistola quae subsequitur, ad eum cui in Franco-Gallia sacrorum cura tradita erat missa clare ostendit:

„Epistolae a te, vir illustrissime! die Aprilis 24 (a. 1810) ad me de doctrina ecclesiae Gallicanae missae obsecutus operam statim dedi, ut professores seminarii dioecesani hac de re certiores fierent. Illi continuo sic responderunt, ut animum vere ingenuum declararent, cuius rei documento sunt scripta per anni huius curriculum dictata, quae una cum litteris a praeside ad me datis his quae ipse ad te scripsi adiicienda curavi. Mihi ipse gratulor, occasionem evenisse, qua demonstrem, quo amore dioecesani mei constitutionem et doctrinam ecclesiae Gallicanae prosequantur cet.“

F o n c k.

Haec constitutio legitime promulgata et recepta adhuc in provinciis Rhenanis non sublata est, et decreta concordati Franco-Gallici in provinciis Rhenanis, iis quae per bullam *de salute animarum* mutata sunt exceptis, legitimam suam vim etiamnunc retinent. Quod vero ad illam censurae immunitatem attinet, nihil mutatum est. Quodsi Perronius hac de re dubitare voluerit, facilis est et in promptu defensio. Ad librum peritissimi iuris consulti Rhenani amandare eum poterimus [1]. Sed quoniam hanc auctoritatem ille non magni aestimare volet, eundem ad *Görre-*

---

1) Causa Coloniensis, ad examen vocata secundum leges Rhenanas ab homine Rhenano, Francofurti ad M. 1838.

sium Monacensem, qui de rebus Coloniensibus oratione soluta egregium poema fecit, remittimus: is enim docet, neque ius imperii Borussici neque quod illic ius canonicum vocetur, ad Rhenum quicquam valere [1]. Quodsi hoc ita se habet, neque statuere licet, Rhenanos vivere legibus solutos, haud dubie ius Franco-Gallorum ibi valere existimandum est. Sed adversus Perronium aliam etiam auctoritatem in medium proferre possumus, auctoritatem, cui Perronius, cum ipse infidam esse omnium optime sciat, non multum quidem tribuet, sed tamen ne se ipsum spoliet atque denudet, publice certe non reiiciet: quippe suam ipsius dicimus. Nam in commentatione sua de mixtis conubiis edita [2] scribit: „Provincias Rhenanas, quae sub imperio Franco-Gallico fuissent, *iuxta concordatum a. 1801 factum in omnibus, quae ad rem ecclesiasticam pertinerent*, *summae libertatis compotes fuisse, neque quidquam in ea re mutatum esse, cum anno 1814 hae provinciae ad regem Borussorum venirent.*

Iam videamus, quid in iure ecclesiastico Franco-Gallico, quod ad Rhenum obtinet, de doctis operibus theologicis censendis praecipiatur. Nonnisi libri qui in ecclesiis adhibentur, breviaria et libri precum (*les livres d'église, les heures et prières*) iuxta hanc legem censurae episcopi dioecesis subiecti sunt; opera theologica et docta eidem non subiecta sunt [3]. Ut probemus, haec decreta etiamnum per Franco-Galliam legis vim habere et quam late pateant ostendamus, locum ex praefatione operis, cui titulus: Abrégé Chronologique des Conciles généraux, quod anno 1836 Parisiis in lucem prodiit, adiungemus. Eius operis editores scribunt: „Cum quae laboribus suis haec concilia memorabilia (concilia oecumenica) effecissent in compendium accurate redacta annuntiavimus, non dubitavimus, fore ut haec excerpta ex conciliis universalibus approbationibus plurium archiepiscoporum et episcoporum commendata prodirent; sed post cognovimus, eiusmodi approbationem peccare in usum,

1) Görres in Atnanasio p. 39.

2) De mixtis connubiis. Theodisce convertit Axinger. Augustae Vindelicorum 1840.

3) Hermensii Compendium legum civitatis de cultu Christiano, tom. II. p. 317.

qui hac in re obtinet. Legitimam enim approbationem eorum qui in amplissimis ecclesiae dignitatibus sunt constituti, sanctissimo Patre non excepto, *nonnisi catechismis et scriptis quae liturgiam, disciplinam, preces spectant, sed nunquam collectionibus mere historicis,* concedi licet."

Chronologica et succincta descriptio conciliorum oecumenicorum haud dubie in doctis operibus referenda est, ideoque episcopi ei libro, quamvis a se commendato, ut editores narrant, ob causam memoratam approbationem legitimam haud concesserunt.

Ex his manifestum iam est, collegas ordinis theologici Bonnensis maiorem immunitatem censurae pro scriptis a se edendis non rogasse, quam *leges ipsae* iis concederent. Sed, quaerat aliquis, cur illi impetrare studebant, quod leges iam decreverant? Ad quam quaestionem quid respondeam non habeo. Fortasse ordini incognitum erat ius canonicum, quod in sinistra Rheni ripa obtinebat, cum omnes collegae, qui tum in ordine erant, ex aliis Germaniae partibus adsciti essent; fortasse etiam illas veteres censurae leges hac via sustinere ordo voluit, cum eo tempore in Borussia novae leges de libris censendis conscriberentur, quae ne prodirent, a multis timebatur.

Perronius narrare pergit:

3) „Quodsi acciderit, ut professor aliquis haeresis nomine accusetur, electio fiat aliquot consiliariorum, quorum dimidia pars ab episcopo, altera ab eo qui accusatur nominatur. Iudicium finale inquisitionis ad civilem potestatem (haereticam ut omnibus notum est) mittantur, ut ipsa de accusato supremum iudicium ferat."

Haeretica? Putasne tu Perroni potestati civili obedientiam praestandam esse licet ipsa penes haereticos sit? An tu doces, catholicis talem obedientiam praestare non licere, an tu doces leges talis potestatis civilis esse negligendas atque infringendas, an tu vis ut a talibus imperiis deficiant, arma in ea convertant? Si tu talia doces, doctrina tua et doctrinae catholicae auctoritate et historiae sacrae pondere et summorum pontificum oraculis atque exemplis reprobatur atque damnatur! Sed ut ad rem ipsam revertamur, ut de ea ipsa rectius sentiamus, non alienum erit circumspicere, quae in aliis terris Germanicis a civili potestate in eiusmodi

causa praescripta sunt. Primum ad imperium Austriacum nos convertimus. Satis cognitum est, recentioribus temporibus occasionem saepius oblatam esse, ut civilis imperii Austriaci potestas eos in iudicium arcesseret, qui in haereticae doctrinae suspicionem venissent. Ibi enim civilis potestas, non praesules ecclesiastici, ab haereticis et ab iis quibus haeresis vitio vertitur rationem poposcit. Rationis reddendae haec ratio fuit. Inquirebant consilia quibus ea res commissa erat. Consiliorum eorum collegas, partem certe eorum, ex ordine clericorum sumptos esse, ob rei naturam par erat. Imperator creavit eos qui in consiliis essent, consilia ipsa nonnisi referebant et suadebant, quid de accusato statuendum esset. Supremum autem iudicium *semper ab ipso Imperatore* latum est. Itaque in terra Austriaca civilis potestas iudicat, ubi quis haereseos convincitur, non ecclesia. Si haereticus ex numero protestantium est, h. e. si quis protestantium peccavit in doctrinam librorum suorum symbolicorum, eadem ratione agitur, *etiam tunc Imperator licet ipse catholicam religionem profiteatur decernit.*

Iam apparet, collegas ordinis Bonnensis non eo progressos esse, quo civilis potestas Austriaca re vera progreditur. Consilii electionem non ad civilem potestatem, sed ad archiepiscopum et accusatum detulerunt, eoque archiepiscopo Coloniensi plus iuris concesserant, quam civilis potestas Austriaca suis episcopis et archiepiscopis reapse concedit.

Regia potestas Würtembergensis, cum ordinem theologorum catholicorum constitueret, in causa, de qua loquimur, haec definivit:

„§. 14. Si quid acciderit, quod superiori magistratui ecclesiastico in hac terra ansam suppeditet inquirendi in eos, quibus doctrinam ecclesiae tradere commissum est, magistratus ille hanc rem addita causa ad regium ministerium rerum internarum et rei ecclesiasticae scholasticaeque ante deferet et commissarium suum ad hoc negotium demandabit; quo facto additur commissarius regius, ut communiter inquirant. Quae inquisitionem eam consequantur, magistratus civilis et ecclesiasticus constituent, et a regio ministerio rerum internarum et rei ecclesiasticae scholasticaeque certior fiet ordo theologorum de iis, quibus opus fuerit.“

Decreta, quae supra commemoravimus, ad hunc usque diem, quemadmodum de facto constat, et ab episcopis Austriacis et episcopo terrae Würtembergensis comprobata sunt, eademque omnes clerici terrae Austriacae et Würtembergensis certe tacito consensu agnoverunt iisque obsequuntur. Nemo animum eorum catholicum propterea in suspicionem adduxit. Num professoribus Bonnensibus non liceat, quod omnes ubique faciunt probantque. O Perronium nullae miserationis compotem!

Sed quomodo re vera se habet id quod tradidit Perronius? Num Perronius affirmavit, quod certis fundamentis niteretur, num ex fidis fontibus hausit? Quidni ex noto suo fonte hauserit? Sed *falsum* inde hausit. Nam plane mendacium est quod Perronius dicit, *quae inquisitione explorata sint, ea ad potestatem civilem mitti voluisse* (professores illos Bonnenses), *ut ea de accusato supremum iudicium ferret.* Professores ne litterulam quidem scripserunt, quae significaret, eos ad *civilem potestatem supremum iudicium detulisse;* immo civilem potestatem ab omni huius rei participatione *excluserunt*, nihilque ei concesserunt, quam ut quae acta essent ad cognoscendum cum ea communicarentur. Miseram te, miseram veritatem, ubi in manus Perronii incideris!

4) „Universitates institutiones reipublicae sunt; quapropter civili potestati, non papae ius competit concedere, ut ordo theologorum gradus academicos impertiat.“

„Hae propositiones ab omnibus, Sebero excepto, qui quemadmodum dixi paulo post Bonna discedere coactus est, approbatae sunt.“

Si ordinis collegae id pronuntiassent, quod Perronius tradidit, illi pronuntiassent quod clari doctores iuris canonici ante affirmare potuerunt, neque tamen ob eam causam benignus eorum in ecclesiam animus in suspicionem adductus est; id pronuntiassent, quod ipso facto saepe approbatum est. Namque historiae testimonio constat, accidisse, ut theologici universitatum catholicarum ordines *gradus academicos* impertirent, antequam diplomatis a papa datis hoc illis permissum esset[1]; atque

---

1) v. Gärtneri programma de iure summi pontificis in erectione aca-

ipsis recentioribus temporibus in civitatibus imperii Austriaci universitates conditae et omnibus iuribus privilegiisque instructae sunt, neque ulla in ea re permissio vel auctoritas Roma petita est [1]. Hoc sane Perronio licuit, ut is, qua vir doctus, qua homo probus, hanc opinionem argumentis propositis oppugnaret —, sed animi intentionem eorum, qui in his rebus aliter sentiunt, in suspicionem adducere, hoc sycophantarum proprium est.

Sed etiam haec Perronii narratio falsa est. Nam in diversitate sententiarum, quae a canonici iuris prudentibus hac de re propositae sunt, ordinis theologici professores certam sententiam non pronuntiaverunt. Quod autem ad Hermesium, de quo praecipue agitur, attinet, eumne credis unquam pronuntiavisse, unius esse civilis potestatis concedere, ut ordo gradus academicos impertiat? Verum enim vero equidem monstrare possum, Hermesium hoc nunquam docuisse, immo docuisse, promovendi ius ab ecclesia proficisci oportere; idem ego plus etiam monstrare possum, iterum monstrare possum, narratorem rursus in negotio suo exsequendo perfide et turpissime egisse. Nam in responso de hac ipsa quaestione, cuius responsi narratori nostro copia fuit, Hermesius inter cetera haec scribit:

„Ordo theologorum catholicorum suum promovendi ius certe etiam e radice ecclesiastica deducere ut possit opus est, si quidem gradus ab eo concessos ab ecclesia in usum ecclesiasticum sufficientes agnosci volumus. Nam promotio ad doctoris theologiae dignitatem et sua natura et iudice ecclesia [2] semper solemnis est declaratio corporis publice docentium, Promotum esse eximium theologum, ideoque aptum esse ad munera et dignitates, in quibus et civitas et ecclesia homines requirat, qui in theologia aliis duces et auctores esse possint. Sed quomodo in hac re civitas vel ecclesia fidem habere posset promotioni ad theologiae gradum, si corpus doctorum (ordo theologorum), unde is gradus proficiscitur, civitati ecclesiaeve

---

demiarum Germ. catholicarum. Salisb. 1795 in Gratzii Thesauro tom. II.

1) v. Klüberi Ius publicum civitatum foederis Germanici §. 502.

2) v. Conc. Trid. de Reform. Sess. XXII. c. 2. et Sess. XXIV. c. 8.

ignotum esset? Quapropter civilis magistratus semper in certissimis suis iuribus et officiis numerabit, ut corpus doctorum, quod in terra sibi subiecta versatur ibique eiusmodi actiones peragit, publice sibi cognitum sit, si eas actiones ab illo agnosci exspectare volumus, et hoc vel tunc postulabit, et iure quidem optimo postulabit, licet cura sua et liberalitate — id quod apud nos usu venit — hoc corpus doctorum ipse non condiderit nutriatque. Et tamen civitatis rationes prae ecclesia minus hoc requirunt. Quomodo igitur idem ius, idem officium ecclesiae in dubitationem adduci poterit? Ecclesiae rationes magnopere requirunt, ut ipsa summos magistratus et dignitates, unde et clericis et laicis auctoritas et exemplum redundet, viris doctrina theologica eximiis et orthodoxia probatis demandet; quae causa est, cur ad dignitates in capitulis cathedralibus, et, quantum fieri potest, ad alia quoque munera capitulorum suscipienda gradum doctoris postulet, idemque certe optet in capitulis collegiatis [1]; in dignitate autem episcopali doctoris gradum a potiori requirit, id quod, ubi is deest, dispensationes Roma missae ostendunt. Sed gradu doctoris hac in re ecclesia ne minimum quidem acquiescere poterit, si a corpore doctorum ipsi incognito impertitus est; si profectus est a corpore doctorum, de quo certum ei non est, an omnium theologiae disciplinarum doctores habeat, an singuli doctores suam in theologia doctrinam satis approbare possint, an ipsa orthodoxiae eorum et studio in religionis negotio fidem habere possit. Haec omnia igitur magistratui ecclesiastico nota esse debent; isque has corporis doctorum virtutes palam agnoscere, et ob has omnia iura et privilegia ordinis theologici ei concessa esse profiteri debet, ut quod concessio graduum academicorum sibi propositum habet, id totum efficiatur, et ius eos impertiendi digne exerceatur. Sed quia personae docentium tempore procedente aliae fiunt, ius promovendi autem manet, lex

---

1) Conc. Trid. de Reform. Sess. XXII. c. 2 et Sess. XXIV. c. 12.

quoque exstare debet de successione doctrinae, qua in futurum praestentur ea, quibus opus esse vidimus, ut corpus doctorum integrum sit utque doctrina singulorum doctorum recte se habeat; etiam haec lex palam renuntiari debet. In hac causa ius promovendi a rege datum per se solum non sufficere ordini theologorum catholicorum, ut sufficit ordini theologorum evangelicorum, id ex diversis utriusque confessionis placitis per se lucet. cet. cet.“

Iam iterum lege mihi verba Perronii et responde, an non idem oppugnet Hermesius, quod Perronius illum suasisse fecit. Certe quidem ut scias, quid Hermesius docuerit, ubique contrarium eius accipere licet, quod ei Perronius tribuit! Sed quid Seberus in hac causa sensit? Ei certe Seberus parum cognitus esse debet, qui existimet, eum in his rebus severiores leges secutum esse quam Hermesium. Seberus ipse miraretur, si audiret, quid statuisse ipsum Perronius scripserit. Num vero Seberus, qui ante existimaverat, „*censuram episcopalem haud dubie interitum scientiae allaturam esse; fore ut per eam homines in mephiticam letargiam demergerentur*,“ num is subito contrariam sententiam amplexurus erat?

„Ab hoc tempore,“ Perronius narrare pergit, „ab hoc tempore Hermesius solus in illa universitate dominabatur, ubi iam maximam partem cathedrarum ab Hermesianis occupatam esse non mirum videtur. Qui ad gradus academicos adspirabant et ad examen admitti volebant, ii in verba magistri, quod dicitur, iurare cogebantur. Hac ratione intelligitur, quomodo factum sit ut Hermesiani tantam potentiam adipiscerentur.“

Quaecunque Perronius hoc loco narravit, ea in veritatem transversa incurrunt. Perronius igitur haec aut ipse finxit aut ab aliis accepit. Utrumlibet statueris, non licuit, ut typis evulgarentur. Nam etiamsi Perronio hanc veniam quam nemo bonus expetit, aut hoc iuris privilegii loco concedere velimus, ut veritatem detorqueat et facta ipse fingat, tamen vel amicissimi eius vix probabunt, illum tam pingui Minerva mentitum esse. Sed si haec bonis suis amicis, quos in Germania delitescentes habet, accepta retulit, scire sane debuit, ea ab illis in usum pri-

vatum secum communicata esse, non ut typis exprimerentur et publici iuris fierent. Nam hoc mendacium nimis absurdum est et insanum, si narratur, Bonnae maximam partem cathedrarum ab Hermesianis occupatam esse! Numerus eorum, qui in hac universitate docere solent, fere septuaginta sunt capita: num autem in his plura quam *septem* fere capita Hermesiana per viginti annos emerserunt, et non quidem uno eodemque tempore sed alia post alia? Maxima igitur septuagenarii numeri pars Perronio *septem* sunt! Nonne omnes refugient, ne cum homine, qui sic numerare solet, quidquam partiendum habeant? Sed Perronius, quo magis progreditur, semper fit audacior, seque ipse, quum nemo alius sit quem mentiendo vincere possit, superat, cum narrat, eos, qui gradus academicos impetrare cuperent, in verba magistri, h. e. Hermesii, iurare adactos esse! Ubinam reperietur iuris, ubinam medicinae, ubinam philosophiae studiosus, ubinam artis obstetriciae, qui Bonnae in verba magistri Hermesii iurare adactus sit? — Hoc iurare in verba magistri ad propositum illud consequendum certe in uno ordine theologorum catholicorum fieri potuisset, si quidem is gradus academicos impertivisset! Sed is ordo, ut satis constat, quamdiu Hermesius in vivis fuit, *nunquam*, *nunquam* dico, gradum academicum impertivit. Nihilominus Perronius nos certiores fecit, eos, qui hunc gradum impetrare cuperent, in verba magistri iurare adactos esse! Sed Hermesio mortuo, quid tum? — Post Hermesii mortem ordo nonnisi duobus discipulis suis gradum academicum impertivit! Hi autem non in verba Hermesii neque in alius cuiuscunque doctoris sed in ea verba iurarunt, quae efficiunt eam fidei formulam quam Pius IV summus pontifex publice proposuit.

Iam vero quod attinet ad Hermesii in universitate dominationem, nae illa quibusdam hominibus Hermesioque caris non sine molestia fuit. Ea de re Esseri, Elvenichii, Heimsoethii, Volkmuthii, Hermesii aut eiusdem discipulorum auditores, qui veniam Bonnae privatim docendi petierunt, testes esse poterunt, et nos infra hunc locum singulari disputatione persequemur.

Condemnatio librorum Hermesii. — Constitutio Benedicti XIV Sallicita ac provida. — Ab ea Romae discessum est. Defensio sedis papalis.

Hac sua expeditione in Germaniam facta an via triumphali Romam rediturus sit Perronius, nobis incognitum est. Sed id certum est, neminem Romae fore, qui ei lauream hac expeditione partam invideat. Iam scena facinorum Perronii alia fit, cum is ab hoc tempore in solo Romano versetur. Artibus tamen iisdem uti pergit, nisi quod bona quaedam de Hermesianis refert, sed eo consilio, quod paulo post ut dolo malo et hostili animo initum nimis aperte cognoscitur. Atque adeo in hac parte veritas, si quando emerserit, non sua specie ac lumine comparet, sed quasi fracta conica specula, per quam etiam pulcherrimae formae detortae repraesentantur.

Itaque lectorem rogamus, ut porro sequi nos velit. A pagina 23 usque ad 26 Perronius enarrat, qua via et ratione in causa Hermesiana Romae inquisitio progressa sit, quaeque ante provisa sint, quam Breve die Septembris 26 a. 1835 emitteretur. Copiosae suae narrationis causam hanc ponit:

> „Sese haec omnia tam minute narrare voluisse, ut intelligi possit, quam lente, quam considerate s. sedes apostolica in eiusmodi rebus procedere soleat."

Haeccine copiose narrare necesse tibi visum est, Perroni? Ego vero prorsus existimo te hac opera omnino supersedere potuisse: nam legitima harum rerum gerendarum ratio in Germania sive nota est sive facile cognosci potest ex operibus de ea re editis; una sapientissima Benedicti XIV constitutio *sollicita ac provida* illam multo dilucidius et certius nos edocet, quam tu hoc exponere unquam potis eris! Ac si exemplo rem planam facere voluisti, cur illud omnium illustrissimum non elegisti, quod in ea Bulla continetur, qua ordo Iesuitarum sublatus est? Nam quam caute, quam lente, quam mature in hac re actum sit, de ea re in illa Bulla quae verbis incipit *Dominus ac redemptor* et copiosissime et accuratissime simul relatum est. Sed hoc ante omnia videndum est, an Romae in hac causa constitutio Benedicti XIV observata sit nec ne? Legas quaeso praeclaram hanc constitutionem et Perronii enarrationem cum ea conferas, quo

facto ad illam quaestionem respondere necessario debebis, Romae illam constitutionem, quae scriptorum damnandorum etiamnum norma legitima est, *non* esse observatam. Deinde etiam hoc in dubitationem venire nequit, quin fieri possit, ut, quamvis egregia sint praecepta eius constitutionis et quamvis observata sint omnia, etiam tum errori locum esse posse. Nam adhuc nemo theologorum catholicorum docuit, Inquisitionis congregationem falli non posse. Quid igitur refert, enumerare, quae cautelae adhibitae sint, si verbi causa monstrari potest et monstratum est, in Brevi placita condemnari, quae Hermesius nunquam professus sit, in eodem placita tanquam Hermesii placita condemnari, quae ipse semper et repudiaverit et omni vi atque contentione oppugnaverit?

Quid architectus, cui aedificium vix perfectum collapsum est, proficiet, si ut rationem operis sui reddat formam, qua aedificium exstruendum praecepit, in charta perscriptam ostenderit, si forma duce exposuerit, sese recte expendisse quae sustinenda sint quaeque sustineant, se fundamenta caute iecisse: quid haec proderunt, si aedificii ruina ante oculos nostros comparet? Ceterum quam praeclara sint praecepta constitutionis modo memoratae, id singulis locis inde huc transscriptis lectoribus nostris ostendemus.

Ea §. 16. II. praescribit:

> Tametsi hactenus cautum sint, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in praedicta congregatione ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices iudicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a censore aut consultore electo ex ipsa libri lectione deprehendatur; noveritis, se neque apud deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id congregationi aut secretario aperiat, seque ad ferendam de huiusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet.“

Ad hunc locum si animum advertimus, facile intelligimus, sum-

mum pontificem Benedictum XIV incomparabilis sapientiae et doctrinae virum, esse in ea sententia, ut putet, relationem de libro ad examen vocato homini minus apto demandari posse. Si id potest fieri, quis negaverit posse accidere, ut reapse fiat! Iam pone, Perronio examen scriptorum Hermesii demandatum esse. — Quanquam is sermonis Theodisci plane ignarus est, quanquam philosophiam Theodiscam non magis novit quam sermonem Theodiscum, quanquam nullam sibi adventiciam doctrinam comparavit, quanquam in theologia vix mediocriter sapit et in multis eius partibus nihil sapit, num Perronius agendi rationem cum ingenio praecepti papalis convenientem sequuturus, num ea religione futurus erat, ut examen recusaret? Num is cui pro doctrina arrogantia est, pro modestia procacitas, examen recusaturus fuisse videbitur, ubi nemini rationem reddere debebat, cum idem nunc coram omnibus ad hoc examen adierit? Perronius, qui ius et honestatem nihil pensi habet, quippe quae tam temere ab eo laedantur, is examen recusaturus fuisse videbitur? Et quis tandem, licet causa omnium iustissima et planissima esset, non contremisceret, sententiam non perhorresceret, si Perronius eam dicendam aut tantum suffragium in ea re ferendum haberet!

Ingenium praecepti supra allati praescribit, ut Theodiscus aliquis, a quo postularetur, ut opus argumenti philosophici ex Theodiscis Latine converteret, hoc mandatum recuset, si argumentum libri ei non satis cognitum esset. Nam licet aliquis linguae Theodiscae optime gnarus sit, id unum non efficiet, ut opus, cuius argumentum ei incognitum est, fideliter convertere possit. Haec res tam plana est, tam per se lucet, ut pudeat aetatis in qua ut disertis verbis pronuntietur necesse est. Licet igitur interpretes Introductionis philosophicae in Germania nati et educati sint, ea sola re ad hanc operam suscipiendam nondum apti fiunt. Quippe etiam Perronius asseverat, sese excerpta ex scriptis Hermesii a Theodisco nato conficienda curasse. Sed quomodo ille Theodiscus natus vertit! Saepe plane falso vertit, ut Elvenichius in Actis Hermesianis demonstravit, saepe sic ut credere possis, hunc „Theodiscum natum“ fuisse Theodiscum nonnihil malitiosum, qui voluerit erudito homini Italo aliquantum illudere, cum v. c. notam Wegscheiderianam *Ei.*, h. e. *eiusdem,* converteret *Introductionem*, idque Perronius secure typis exprimendum iuberet.

Alia quaedam huius interpretationis exempla, quae scilicet „Theodiscus natus" Perronio suppeditavit, iam supra vidimus. — Quid? putemusne esse Theodiscum aliquem ita parum linguae suae peritum aut adeo hebetis ingenii ut illam sententiam: *es verschwindet aller Dünkel*, i. e. *tollitur omnis fastus*, Italice vertat *si dilegua ogni oscurità* aut Latine *tollitur omnis obscuritas!* Quare cum serio id factum esse statuere vix liceat, hoc novo argumento esse potest, illum Perronii Theodiscum natum esse aliquem *Davum*, qui aliquando et auctoritati et doctrinae heri sui illudat. Windischmannus quoque natus erat in Germania, plures libros et spissos sermone Theodisco scripserat, philosophiae Theodiscae operam diu dederat, et *tamen*, et *tamen*, quomodo is locos ex Introductione philosophica Hermesii Latine convertit! Miserum est, eiusmodi interpretationem inspicere! Ex eo genere est, quum verba ab Hermesio usurpata *Fürwahrhalten* et *Fürwahrannehmen*, quorum illud necessariam, hoc liberam mentis assensionem significat, interpretatur vocabulis *„pro vero tenere"* et *„pro vero accipere."* Hac una interpretatione totam Hermesiani systematis naturam nimium sane obscuravit et corrupit! Meliusne Windischmanno sermonem Theodiscum, meliusne philosophiam Theodiscam cognitam habuerint ii Theodisci, qui excerpta ex scriptis Hermesianis Latine converterunt, utrum ambo viri illi, quorum unus ad philosophiam nunquam incubuit, alter qui in extremis quidem Germaniae finibus natus et in remotissimis terrae partibus vitam degit, qui expers litterarum Theodiscarum in scholis philosophorum plane hospes, utrum in sermone et philosophia Windischmanno plus saperent, id ipsi, si iam minus coram hominibus, at coram deo, ad cuius iudicium unus eorum iam adductus est, et coram conscientia sua respondebunt [1]. Isti homines sunt, in quos tota culpa recidit, non in s. sedem Romanam. Nam sedes Romana publice edixit, eiusmodi homines neque apud deum neque apud homines culpa vacaturos, si ab eiusmodi opera, quum minus apti essent, non desisterent.

Eadem constitutione §. 9 definitum est:

„Quotiescunque agatur de libro auctoris catholici, qui sit

---

1) v. Hermesiani in urbe Roma, sive Variationes ad Acta Romana, editae ab Edm. Michaeli. Coloniae 1839. p. 23 sq.

integrae famae et clari nominis, vel ob alios editos libros vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat; prae oculis habeatur usu iamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adiecta clausula: *donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adiecta, non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel *quovis altero pro eo agente et rogante, communicetur*, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse aut alter pro eo agens iniunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor eiusve procurator congregationis iussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis decretum: nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint: tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primae editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundae vero iam emendatae permissa."

Tanta Hermesius vitae doctrinaeque fama excellebat tantaque dignitate vixit, ut licet invidiam non effugerit, tamen ipsi inimici illam lacessere non auderent; gloria, quam docendi ars ei circumdederat, in viris excellentissimis, quos Germania catholica procreavit, ipsum retulit. Hermesius ipse quidem mortuus erat; sed multi supererant qui ipsum audierant, quique lubenti animo causam eius defendendam susciperent. Qui operum eius volumina tria postrema edidit, quae dogmaticam catholicam continent, Achterfeldtius, in vivis erat et etiamnum est. Palam ille primo volumine declaravit:

„sese esse, qui editionis operis ea forma qua nunc prodeat periculum praestandum habeat, non beatum eius auctorem."

Indoles Achterfeldtii satis spondebat, quamcunque emendationem libentissime accepturum eum fuisse. Nam in tertio postremoque volumine clare professus est:

„se ad mentem auctoris totum opus iudicio ecclesiae subiicere.“

Sed in hac nostra causa, ut certissime constat, nihil eorum factum est, quae constitutio ante memorata et optat et praescribit.

Sedem Romanam serio et sedulo sane in hac causa egisse, etiam id argumentum est, quod a viris doctis Theodiscis responsa postulavit. Quis vero aequus rerum iudex Romae vitio vertendum putet, quod in hac re ita egerunt quibus id negotii datum erat, ut consiliis s. sedis omnino repugnarent. Istam enim culpam, quam in se admisit nuntius Monacensis, comes d'Argenteau, qui armis sepositis sero admodum ad rerum ecclesiasticarum studia venit, dum responsa petivit ab iis, qui in hac causa ad respondendum plane non apti essent, eam minime praestandam habet s. sedes Romana. Sedes Romana sane hominem tam varium et mutabilem, qualis Windischmannus per totam vitam suam fuerat, sententiam haud rogatura erat. Non consultura erat hominem, qui olim tristia materialismi placita sectatus erat, cui rerum natura nihil erat nisi monstrum, quod omnia devoraret semperque ruminaret; non consultura erat hominem, qui quondam Spinozam

„*virum sanctum* et theologiam, quae deum persona carentem haud admittit, *ieiunam*“

appellaverat, qui in eo libro qui est de ideis ad physicam spectantibus, impiis omnino et sacrilegis, scripsit, hunc eundem librum

„foetum esse diuturnae et maturae cogitationis“,

qui ipse confiteri coactus est,

„se per scholas erroris ivisse“,

quique, cum iam per has „scholas erroris iverat et veritatis potentiam senserat“, tamen verba fecit

„de potestate ecclesiastica, quae nimis male grassata esset“,

qui verba fecit de sacerdotibus,

„qui bonos mores et disciplinam, antiquam simplicitatem et pietatem diligentius et accuratius coluerint, quam *multi summi pontifices leviores*.“

Sedes apostolica non consultura erat hominem, qui loquitur de „acerbitate nimiaque omnino tutela systematis hierarchici, qua maxime Theodisci pressi fuerint“,

non consultura erat sedes Romana eum qui locutus est de

„ingenio suspicioso tristique, suppresso et callide rursum emergente, temporibus semper serviendo hominum animos alliciente et corrumpente, quod hic et illic per ecclesiam Romanam excitatum sit“;

qui summis pontificibus vitio vertit,

„quod non sacri aedificii custodes fuerint, sed oculos suos ad omnes coeli plagas verterint, et terram late patentem multaque pollicentem cupido adspectu devoraverint, qui deum obliti sint et Christum“;

qui de papa Bonifacio VIII pronuntiat:

„quod Coelestinus de illo praedixerit, moriturum esse ut *canem*, id *ad verbum* accidisse“;

quique in eodem libro, quo haec scripsit, affirmat,

„se nullam lineam tota pictura protulisse, de qua animi sui sententiam ante non exploraverit“ 1).

Sedes apostolica non consultura erat hominem, qui miracula magnetismi amplissimis laudibus personabat, qui miracula Martini Michelsii praedicabat, qui philosophiam Hegelianam, quamvis paulo ante philosophiam Diaboli eam designasset, postquam ipse elementum catholicum admiscuit, unice veram celebrabat, qui doctrinam patris Venturae laudabat, in cuius cella partem libri *Paroles d'un Croyant* scriptam esse relatum est, qui de Hermesio scribebat:

„causam, qua Hermesius impediatur, quominus veram philosophiae ad theologiam rationem perspiciat, periculaque evitet et fructus afferat, qui ex illa in hanc redundare possint, eam esse, quod is in philosophando dimidia in via substiterit neque ad vere *dialecticam*, et minus etiam ad *speculativam* rerum considerandarum rationem et scopum progressus sit.“

Sed hanc ipsam rationem dialecticam et speculativam, quam Windischmannus praedicat, reiiciendam esse Romae existimant, ob hanc ipsam rationem dialecticam et speculativam pater Ventura remotus est, ob eandem causam opera Mastrophinii Romae non conspiciuntur.

---

1) v. Windischmanni Ideae ad physicam — et Domini de Europa iudicium.

S. sedes apostolica non consultura erat homines, quales sunt Windischmannus et Iarkius, quos vehementissimos Hermesii adversarios fuisse constat, non a praeceptis sanae rationis, non a legibus iudiciorum bene constitutorum in hac causa defectura erat. Non neglectura erat sapientissima praecepta, quae in corpore iuris canonici obtinent, non illud

„accusatores et iudices non iidem sint; sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordine"; non illud

„absens nemo iudicetur (quia divinae et humanae leges hoc prohibent), nisi fuerit absens ex contumacia: pro praesenti namque eum contumacia haberi facit"; non illud

„non oportet quemlibet iudicari vel damnari, priusquam legitimos habeat praesentes accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina"; non illa Gregorii IX S. P.

„se nihil definire aut statuere posse contra partem adversam inauditam".

Sed culpa non erat sedis apostolicae, quod Windischmannus et eius familiaris Iarkius non fecerunt, quod facere debuerunt, ut responsum a se petitum recusarent, cum praeter alias causas ipsa ratio, qua Hermesii personam eiusque discipulos attigerant, eiusmodi responsum dissuaderet. Etiam Möhlerus rogatus est, ut responsum daret de Hermesio. Sed quid Möhlerus fecit? Ille respuit societatem periculi et „impetus" [1]), qui in Hermesium fiebant, improbavit et recusavit quod rogabatur. Dum igitur celebratissimus Germaniae theologus responsum de Hermesio ferendum recusat, laici duo, eius inimici duo, quibus eum collabefactandi summum semper studium fuit, quorum unus iuris consultus, alter medicus, neuter theologus erat, prompte ad id negotium diligenter celatum accedunt! Num ambo maiorem infamiam sibi contrahere potuerunt, quam ea re fecerunt?

Sed nunc non primum accidit, ut quae sedes Romana praescripserat iusseratque per adiutores eluderentur et summi pontifices fallerentur. Nam Basilium episcopum Leonensem fuisse, qui papam Stephanum deceperit, s. Cyprianus cum triginta novem

1) Möhleri verba v. in Obeliscis Danielis Bernhardi; Coloniae 1839 apud Eisen.

episcopis Africanis testatur. Quippe ad episcopos ecclesiae Hispanae scribunt:

> „Basilidem post crimina sua detecta et conscientiam propria confessione nudatam Romam perrexisse, Stephanum collegam suum (s. Cypriani) longe positum et *gestae rei ac tacitae veritatis ignarum* fefellisse, ut ambiret reponi se iniuste in episcopatum, de quo fuerit iuste depositus. Hoc eo pertinere, ut Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata eius etiam fallaciae et circumventionis crimen accesserit. Neque enim *tam culpandum esse illum*, cui negligenter obreptum esset, quam hunc exsecrandum, qui fraudulenter obrepserit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuisset, deo non posse, cum scriptum sit: Deus non deridetur" 1).

Quanquam a papa Innocentio I doctrina Caelestii condemnata erat, tamen huic et Pelagio contigit, ut papam Zosimum Innocentio in s. sede succedentem deciperent.

S. Gregorius Magnus scribit:

> „Quid miraris, Petre, quia fallimur qui homines sumus? An mente excidit, quod David, qui prophetiae spiritum habere consueverat, contra innocentem Ionathae filium sententiam dedit, cum verba pueri mentientis audivit? — — — Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui prophetae non sumus? Multum vero est, quod uniuscuiusque praesulis mentem curarum densitas devastat. Cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula: tantoque ei in una qualibet re subripitur, quanto latius in multis occupatur" 2).

Nicolaus papa, unus ex sapientissimis et excellentissimis summis pontificibus, qui unquam vixerunt, saepius expertus est, ea, quae praescripsisset, aut ignavia aut malitia legatorum suorum elusa esse. „Mirandum valde ei erat, cur in concilio Constantinopolitano *multa quae statuisset* aut aliter habita aut mutata essent, quamvis legatis suis certissime quid vellet praescri-

---

1) S. Cypriani Ep. 68.

2) S. Gregorii Dialogorum lib. I. c. IV. Edit. Maurin. Parisiis 1705.

psisset" [1]. Idem summus pontifex eo progredi coactus est, ut legatos suos, viros episcopali dignitate insignes, *Rodoaldum* et *Zachariam*, a muneribus suis removeret, quod muneribus corrupti praescripta contempsissent. Ac nonne legati ab eodem papa ad concilium in oppidum Divodurum missi corrupti sunt, ut etiam hos poenis non minus gravibus castigare et totam synodum reiicere cogeretur?

Epistolas, quae ad summos pontifices mittuntur, non semper cum veritate consentire, satis notum est. Hoc fieri et evenire posse, etiam Döllingerus rerum ecclesiasticarum scriptor et in litterarum universitate Monacensi theologiae professor agnoscit, dum mirum ei videtur,

> „cardinalem Caesarini, quem papa praesidem synodi Basiliensis nominaverat, omnes res ab delegato suo Beaupére Romam tanquam impedimenta synodi nuntiatas pro falsis declarasse, nomine delegati suppresso, et tertio consessu eundem virum cum laude memoratum esse ac simul tamen annotatum, papam *falsa* et *iniqua epistola deceptum* dimittendi concilii bullam emisisse" [2].

Si delegatus legati papalis Eugenium IV epistola *falsa* et *iniqua* decipere potuit, cur nuntii Gregorii XVI etiam hunc falsis et iniquis litteris decipere non potuisse videbuntur? Etiamsi non statuamus, illos dolo malo decipere voluisse, tamen discrimen inter fraudem consulto factam et inconsulto commissam, si de ipsa causa agitur, nullius momenti est, et nonnisi delicti a nuntiis admissi ratione habita spectari pro se debet. Sed nuntius ille Monacensis haud dubie ipse erravit, ubi Windischmannum ad sententiam dicendam hortatus est eoque planissime in praeceptum Nicolai papae offendit, qui scribit: *Suspecti et inimici iudices esse non debent* [3].

Nuntius Monacensis iterum erravit, si is, Perronio p. 24 referente, Romam nuntiavit, Hermesii doctrina Westphaliam praecipue commoveri, cum ob hanc doctrinam nullum in ea terra motum tunc fuisse omnibus constet.

---

1) Harduin. collect. concil. VI. I ep. 108. cf. Hard. VI. f. 294.

2) Döllingeri Historia ecclesiastica tom. 2. p. 357.

3) Harduin collect. concil. V. p. 150.

Non minus errore constrictus erat *Ostinius*, qui tunc nuntius Vindobonae erat. Nam alioqui susurrationibus *Iarkii* aliorumque nonnullorum, et Hermesii et cuiuscunque doctrinae adversariorum, aures occupari suas non passurus esset, ad Bautaenismum commendandum se adduci commissurus non esset, a *Iarkio* in litteris Romam mittendis se adiuvari non concessurus esset, minime autem omnium responsum theologi Vindobonensis, viri qui beatissima ingenii est ubertate, *Emanuelis Veithii*, quod bene benigneque de Hermesio referebat, retinere apud se debuisset. Si responsum Veithii Romam pervenisset, Perronius certe scribere non potuit, *omnia* responsa, quae de Hermesio Romam missa sint, consensisse!

Ad constitutionem nostram revertimur.

In §. 18. IV. huius constitutionis praescribitur:

„Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quaeque diversis in locis posita et collocata sunt, inter se comparentur; universum praeterea auctoris consilium et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una, vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quae in eodem libro continentur, considerata et expensa, de eo pronunciandum esse: saepe enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunctorie aut subobscure traditum est, ita alio in loco distincte, copiose ac dilucide explicetur, ut offusae priori sententiae tenebrae, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

§. 19. V. Quod si ambigua quaedam exciderint auctori, qui alioquin catholicus sit, et integra religionis doctrinaeque fama, aequitas ipsa postulare videtur, ut eius dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.“

Ad hoc praeceptum Benedicti XIV accedit profanae antiquitatis gravitas, cum ipse Cicero doceat „non ex singulis vocibus philosophos spectandos esse, sed ex perpetuitate atque constan-

tia" [1]). Sed maius ipsi etiam pondus additur sententia Gregorii XVI, penes quem nunc imperium totius ecclesiae catholicae est. Nam in praefatione laudati iam operis quod est de „*Triumpho sacrae sedis*" p. X. legimus:

> „Propositum meum assecutus sim nec ne, iudicium esto penes lectores humanissimos; equidem hos offendi a me putaverim, si vel dubitarem, quin illi, praesertim quod attinet ad praefationem introductionis loco positam, consilium s. Augustini secuturi sint: „*Quisquis legis, nihil reprehendas nisi totum legeris.*"

Quae in libro ipso de hac re sequuntur, in eadem plane sententia sunt, cuiusmodi sunt ea quae p. 289 versionis Theodiscae leguntur:

> „Ut pronuntiata repugnantia, quae videntur, scriptoris alicuius reconciliemus, ante definire et accurate determinare opus est, quae sit doctrina qua cetera tanquam fundamento nitantur, secundum quam loci, qui videntur repugnare, interpretandi sint."

Iam iudicium congregationis s. inquisitionis in causa Hermesii emissum ipsum profitetur, non totum operis ad examen exhibitum esse, sed singulos locos et ampliores partes inde conversas esse. Itaque illud Breve et s. Augustino et constitutioni Benedicti XIV et praecepto ipsius sanctissimi patris Gregorii XVI repugnat.

> „Caput brachiis indiget," Muratorius inquit, „laudanda vero capitis consilia nonnunquam frustratur aut prodit brachiorum infirmitas. Ita et reges et episcopi ministris indigent; atque istorum vitio aut socordia fieri potest, ut illi auctoritate sua abutantur, et castissimis legibus desint. Quid faciant ecclesiastici iudices, quum alienis oculis, aliena fide atque prudentia in tot rebus atque negotiis nequeant non uti?" [2]).

Sed quid inde? Efficiturne eos et bene et prudentes agere

---

1) Cicero Tuscul. disput.

2) L. A. Muratorii de ingeniorum moderatione in Religionis negotio lib. II. c. 5. Aug. Vindelic. 1779. p. 293.

qui ea via quam Perronius ingressus est sacram sedem defendere conantur. Minime istud quidem. Ego autem sic statuo et iudico, unam tantummodo viam esse, qua conciliari possunt cum constitutione Benedicti XIV, quae in hac causa a congregatione s. Indicis acta sunt. Quae autem Perronius et qui cum eo faciunt moliuntur, ea omnia tam frustra erunt, quam si quis soli fulgorem eripere velit. Hac via sedis apostolicae causa iuste et prospere defendi potest, crimina autem patrata in adiutores cadunt. Vide, quam viam commonstremus.

Qui de Hermesio collabefactando quasi coniuraverant, una catena per mediam Germaniam connexi erant. Haec *Bonna* ex una parte per *Confluentes*, *Monachium* usque *Vindobonam*, ab altera parte per *Düsseldorpium* ad *Batavos* et *Belgas* ducta erat. In singulis vel urbibus vel regionibus unus fuit vel alter, qui Hermesii Romae accusandi negotium ageret. Sed hae delationes tanto consensu exercebantur, tam acriter continuabantur, ut Romae necessario ad credendum inducerentur, ab Hermesianismo periculum imminere, ne ecclesia catholica per Borussiam et magnam partem Germaniae non perduraret. Romae nonnisi clamor horum sex septemve delatorum audiebatur, et septem homines totis viribus clamitantes maiorem tumultum excitant quam septem milliones tacentes. Clamores atque cantilenae horum *septem* delatorum illa *fere communis per Germaniam fama* erat, cuius adversus Hermesium Breve mentionem facit, quaque ipsum nititur. Hermesium vero qui audierant atque venerabantur in hac causa nihil sibi agendum putarunt, tum quod iis propter causae bonitatem et Romanorum prudentiam licebat esse securis, tum quod litterarum commercium cum sede Romana civitatis legibus, quas adversarii parvi aestimare solent, erat interdictum.

Solet fama mentiri s. Augustinus dicit [1]; hoc sedes Romana reputare debuit eamque viam ingredi, quam in eiusmodi causis ecclesiae praesules semper ingressi sunt; episcopos, quorum intererat, adiri debuerunt. Sed tam circumspecte *Windischmannus* et comissationis Windischmannianae chorus egerant, ut episcopos, quorum hoc intererat, et ipsos Romae in suspicionem adduce-

1) Epist. 186.

rent. Non omiserant tenebricosissimi homines monstrare civilem potestatem Borussicam tanquam in recessu insidiantem idque summa vi agentem, ut Hermesii opera ecclesiae catholicae ruina afferretur. Adeo in protestantibus non deerant, qui fidelem in Christianismum evangelicum amorem et studium simulantes adversus Hermesium testarentur. Nam quum Hermesius tantum tribuisset rationi, ut e. g. dei exsistentiam argumentis probare possit, is Lutheri doctrinae qui rationem per peccatum non quidem debilitatam sed exstinctam docuit, adversatus est, eoque quomodo in rationalismi reprehensionem apud protestantes incurrat, facile intelligitur. Caeterum dolone malo id factum sit, *nunc* quidem non anquiremus. Ut brevi dicam, Romani inducti sunt ut crederent, eum statum causae adesse, quem loco ante indicato Muratorius describit his verbis:

> „Quum vitium satis apertum se dissimulari non patitur et excusationi locum aufert, intrepide sententia feratur, et inauditis quoque auctoribus proscribantur libri.“

Status causae videbatur adesse, quem Benedictus XIV in constitutione saepius laudata §. 11 providit:

> „Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel Haeretici hominis liber denunciatur, in quo auctor errores catholico dogmati adversantes consulto tradit aut tuetur.“

Haec arx in quam confugere, haec arma quae sumere debet is qui sedis apostolicae agendi rationem ad defendendum sibi sumit; sed inde eum expellere conantur quicunque, dum sedem apostolicam a se defendi causantur, re vera nihil nisi suam causam, id est suam vitiositatem tueri ac defendere conantur.

Condemnationis enarratio continuatur. Novi errores, novae repugnantiae Perronii.

Inscitiane Perronii an mendacitas maior sit, an utraque a vastitate eius superetur, quaestio est, quam solvere vix contigerit. Quae a Perronio in iis quae ante diximus exposita sunt de actis Hermesii scriptorum condemnationem spectantibus, ea certe, quippe qui Romae vivat, illi comperta esse, credideris.

Sed si comperta fuerunt, quomodo tam falso narrare potuit? Si non fuerunt, quomodo fieri potuit, ut tam sinistre quae non vera sint proferret? Una Perronii verba hac in re sequimur, nihil nos scire volumus, nisi quae omnibus cognita sunt, et tamen quae modo diximus, manifesto demonstrabimus.

Postquam Perronius p. 24 pugnam adversus Hermesium tanto strepitu pugnatam esse, ut rumor Romam usque pervenerit, narravit, sacramque sedem ea de re litteras a nuntio suo Monacensi postulavisse retulit, ab eo adduntur haec:

> „Interim archiepiscopus Coloniensis, liber baro de Spiegel, operam dedit, ut Hermesium Romae defenderet, cum pluribus litteris contenderet, eius doctrinam, quam plures oppugnarent neque tamen intelligerent, omnino orthodoxam esse. *Itaque rem longius persequi tunc non visum est.*“
>
> „Sed cum rumor Hermesii systemate excitatus, nomine eius ab aliquibus principalibus Germaniae sacerdotibus et professoribus delato, Romae valesceret, s. sedes eius rei rationem habuit, et iam anno 1833 accurate in eam inquisivit. Dum haec aguntur, patronus Hermesii, baro de Spiegel, mortuus est, iamque delationes doctrinae eius acrius de integro comparebant. Simul exploratio Romae instituta pluribus exemplaribus utriusque „Introductionis“ eam in urbem missis multum adiuta est. Haec exploratio duos fere annos duravit, et inter alios etiam aliqui theologi Theodisci adhibiti sunt.“

Haec tradit noster doctor Perronius.

Iam memor teneas, Spiegelii litteras demum anno 1835 Romam pervenisse. Itaque ante hoc tempus, ut Perronius ipse narravit, nulla exploratio instituta est. Memor teneas, *post mortem Spiegelii* demum delationes acrius de integro comparuisse, eamque causam fuisse, cur vera exploratio institueretur. Sed comes de Spiegel mortuus est 2 die mensis Augusti a. 1835, sive, ut litteris perscribamus, secundo die Augusti anni millesimi octingentesimi tricesimi quinti, atque Breve adversus Hermesium 26 die Septembris 1835 evulgatum est. Itaque inter mortem Spiegelii et Breve evulgatum medii sunt *dies quinquaginta.* Etiamsi ponamus, *praestantes illos professores* pennas et chartae plagu-

las ante paratas sibi disposuisse, eos ante iam de rebus agendis consensisse aut continuo a Windischmanno duce praeceptis instructos esse, eosque eodem die quo excessit Spiegelius, statim consedisse, novas litteras composuisse Romamque misisse, novae tamen eae delationes Romam antequam pervenirent, minimum *decem* diebus opus erat. Hinc consectarium erit, congregationi inquisitionis, etiamsi continuo post litteras a cursu publico allatas, missis cèteris negotiis omnibus, ad causam Hermesianam animum advertisset, *quadraginta dierum* spatium ad hoc negotium reliquum fuisse! Item consectarium erit, exiguo hoc tempore facta esse omnia, quae Perronius tam bello artificio persuadere nobis studet, dum scribit:

> „Causa tam lente et considerate processit, quam gravitas eius rei postulavit; primum excerpta sunt quae a vera doctrina absona videbantur. Ea fideliter conversa, accuratissime cum contextu originali comparata, dein aliis etiam theologis ad id evocatis exploranda tradita sunt. — Sane litterae missae sunt, quae postularent, ut aliqui viri per Germaniam doctrinae fama celebratissimi opera Hermesii diligentissime examinarent suaque de ea causa responsa darent. Sententiae eorum post iustum temporis spatium singulae Romam pervenerunt. — S. sedes iam ab aliis theologis novum examen ex integro institui iussit, quasi adhuc nihil in ea causa susceptum esset."

Mihi vero si ea omnia quae a Perronio hoc loco narrata sunt mecum reputo atque mente revolvo, quaerendum esse videtur, quomodo fieri potuerit, ut vel in summa rerum agendarum celeritate atque festinatione, tantis locorum distantiis Romam inter et Germaniam haec omnia quadraginta diebus agerentur? Nam quocunque me animo atque cogitatione convertam, in gravissimas difficultates incurro, quae qua ratione tolli possint, neque ego video neque alium quemquam qui harum rerum vel levissimam notitiam habet videre puto. Est igitur alia ratio circumspicienda, qua quod factum esse a Perronio relatum est quomodo fieri potuisset aut perspiciatur, aut certe quod probabile videri possit eliciatur. Itaque aliam illam Perronii narrationem, iuxta quam exploratio scriptorum Hermesii iam anno 1833 initium cepisse et *fere duos annos durasse* traditur, admittere

inclinamus. Sed vide mihi in quales et quantas iam difficultates incurramus. Velis remisque Charybdim praetervehi conamur, statimque in Scyllam incidimus! Quippe non modo *ambae Introductiones* Hermesii vetitae sunt, etiam *Dogmatica* eiusdem, tribus voluminibus exposita, in Indice relata est. Sed primum volumen Dogmaticae demum sub initium anni 1834, alterum eodem anno medio, postremum ineunte anno 1835 editum est. Quomodo igitur fieri potuit, ut exploratio eorum iam anno 1833 inciperet et fere *duos annos* duraret, cum Breve mense Septembris evulgatum sit? Iam nemo tam sine oculis vivit, ut non videat, Perronium, si id propositum sequeretur, ut adversus s. sedem scriberet, si idem ab ecclesiae catholicae hostibus pro eiusmodi opera pecuniam accepisset, melius propositum consequi non posse, quam adhuc fecit!

Quomodo Perronius intellexerit, systema Hermesianum sustineri non posse.

Postquam Perronius narravit, quomodo s. inquisitionis congregatio adversus Hermesium egerit et progressa sit, episodii loco, quo quidem imperitia eius in rebus disponendis manifesto deprehenditur, exponit quid ipse de systemate Hermesiano senserit atque quomodo intellexerit, sustineri id non posse.

Copiosa descriptione nobiscum quomodo expeditionem susceperit communicat, composito victoris vultu exponit, quos auxiliares conquisiverit, quas vineas instruxerit, quos aggeres fecerit, quomodo postremo arcem ceperit.

> „Dum haec agebantur“, ita est in commentariis Perronii, „equidem privato studio ampla et multa excerpta ex „Introductionibus“ Hermesii et interpretationem a *Theodisco nato* factam“ (libros ipsos igitur non habuisti?) „mihi acquisiveram, accurateque iis examinatis deprehendi fundamentalem errorem, unde Hermesius in suis disquisitionibus profectus erat, cognovique methodum, quam ingressus erat, ut realem exsistentiam revelationis divinae aut miraculi alicuius concederet, h. e. distinctionem rationem theoreticam inter et practicam ab illo factam. Haec di-

stinctio apud Hermesium, ut suo loco ostendam, toto cum systemate connexa est et vim suam exserit in totam revelationem, in motiva credibilitatis et singulas veritates, quae revelatione continentur. Primo volumine praelectionum mearum theologicarum, quas anno 1835 Romae edidi, illam distinctionem pagina 239, ut quae fidem religionemque subrueret et ad Socinianismum Rationalismumque duceret, denuntiavi.“ —

Io triumphe! Iam rem tenemus: scilicet distinctio inter rationem *theoreticam* et *practicam principalis error* est systematis Hermesiani. Haec est illa distinctio, quae fidem subruit et ad rationalismum ducit! Ac ne ullus hac de re dubitare velit! Scilicet examine accurate instituto Perronius hoc cognovit! O hominem religiosum et doctum, qui tam accurate examinet et tam acriter videat! Sed quid s. Pater audito hoc invento dicturus est? Mi Perroni, mi Perroni, probe recogitare velis, quae modo scripseris! S. Pater pronuntiavit, principale Hermesii vitium esse, quod is *Dubium positivum basin omnis theologicae inquisitionis* redderet, tu autem contendis, distinctionem rationis *theoreticae* et *practicae* principalem errorem systematis Hermesiani esse! Tu igitur audes in ipsa urbe s. Patri contradicere. — Mirum sane, permirum! Breve dicit, principale vitium in *Dubio positivo* inesse, Perronius, inesse in *distinctione rationis theoreticae et practicae*, Windischmannus, hoc principale vitium esse, quod Hermesius in dimidia via substiterit, neque ad *dialecticam*, *minus etiam ad speculativam* rationem progressus sit! Mirum sane, permirum!

Si tu inventum tuum, antequam evulgares, mecum communicasses, ego tibi suasurus fuissem, ne tam clare tuum ηὕρηκα proclamares. Nam vereor, ne inventum difficultatibus te implicet. Non quo timeam, ne fama doctrinae tuae detrimentum faciat, nam eo in genere perdere iam nihil potes, neque, ne invidiam doctorum hominum Italorum et Theodiscorum, qui quamvis studiosissime inquirentes tamen hoc inventum non expiscati sunt, experiaris: hoc timeo, ne eos viros offendas, quibus de via decedere debuisti. Nam si tuum inventum id est, quod crepas, si distinctio rationis *theoreticae* et *practicae* tantorum errorum mater est, tu continuo hominum celebratissimorum auctoritatem

subrues, tu homines in heterodoxiae suspicionem adducis, qui tanquam illustrissima exempla in ecclesia catholica fulgent, quorum nomina in ipso Sanctorum albo splendent. Eaedem causae eosdem effectus efficiunt. Quare si haec distinctio apud Hermesium ad eversionem religionis catholicae, ad Socinianismum adduxit, idem fecerit necesse est apud omnes ceteros theologos, qui hanc distinctionem in theologia adhibuerunt. Tum autem quod tu contendis in totam ecclesiam catholicam et praecipue in Romam cadit: ibi enim haec distinctio palam et nemine reluctante facta est! Iam vide mihi, Perroni, ubi consistas! Ibi tu consistis, ubi revera partes tuae sunt, in certissimis ecclesiae catholicae inimicis!

Sed ad animum tuum sedandum ego tibi dicam, nihili esse magnum tuum inventum, prorsus nihili. Rationem enim *theoreticam* et *practicam* distinxisse, hoc meritum neque Hermesio neque Kantio debetur. Diu ante haec distinctio Romae cognita fuit. Scilicet eam distinctionem induxit vir, qui per annos 21 Romae docuit in eodem collegio, in quo tu cummaxime tantas turbas facis. Evolve quaeso orationem Antonii Mureti *de sui cognitione deque omnibus humani animi facultatibus*, ibique legas: „Quid mens proprie quidque *διάνοια* sit, diximus, simulque paucis cum sapientiae tum scientiae originem ostendimus. Quarum utraque ad eam vim mentis pertinet, quam Graeci, ducto a contemplatione vocabulo, *νοῦν θεωρητικὸν* (rationem theoreticam) vocant. Est enim et altera, quae ab eis dicitur *ὁ πρακτικὸς νοῦς*, aut latiori nomine et aptiori ad omnia complectenda *ὁ νοῦς ὁ ἐν ἑκάστῳ*, quasi tu dicas mentem, quae non simplicem, ut illa, veritatem sibi propositam habeat, in eaque acquiescat, sed referatur praeterea alio, ut ad actionem, aut ad operis alicuius molitionem et effectionem“ 1). Offendis igitur distinctionem rationis *theoreticae* et *practicae* iam ante saecula duo et dimidium in ipsa urbe! Nemo, non papa Gregorius XIII, non cardinales, coram quibus Muretus toties dixit, tunc Romae intellexit, hac distinctione religionem subverti, eam ducem esse ad Socinianismum, ad Rationalismum. Hoc insigne inventum tibi, vir sagacissime, reservatum erat. — Sed longius etiam rerum memo-

1) Mureti Opera, edit. Ruhnkenii Tom. I. p. 92.

riam repetemus et ostendemus, hanc distinctionem etiam ante Muretum Romae cognitam fuisse. Ipse s. Thomas Aquinas, angelus scholae, eam cognitam habet. „Aliter tamen“ docet „circa hoc se habet *ratio speculativa,* et aliter *practica.* Quia enim ratio speculativa praecipue negotiatur circa necessaria, quae impossibile est aliter se habere: absque aliquo defectu invenitur veritas in conclusionibus propriis, sicut et in principiis communibus. Sed ratio practica negotiatur circa contingentia; in quibus sunt operationes humanae: et ideo etsi in communibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad propria descenditur, tanto magis invenitur defectus. Sic igitur in speculativis est eadem veritas apud omnes tam in principiis, quam in conclusionibus: licet veritas non apud omnes cognoscatur in conclusionibus, sed solum in principiis, quae dicuntur communes conceptiones“ 1).

Iam oculis adspicere licet, etiam s. Thomae ambas „rationes“ hominis, ob quas nos adhuc toties in Germania derisui fuimus, cognitas fuisse, iam manifestum esse, etiam ei hanc distinctionem rationis theoreticae et practicae cognitam fuisse! Et quam bene cognita ei fuit! Evolve quaeso unam eius Summam, ubique eam distinctionem inveneris, item inveneris, eum rationi in universum tantas partes concedere, quantas Hermesius unquam concessit. Conf. verbi causa 22. q. 83. I. c. 13. q. 90. 2 ad 3. 12. q. 91. 3 ad 3. I. q. 79. 9. c. et 12. q. 74. 9. c. et 23. q. 45. 3. c. — 22. q. 47. I. ad 3. et 3. c. Perronio igitur s. Thomas rursus religionem labefecit et ducem se praebuit ad Socinianismum et Rationalismum. Sed, dicat aliquis, qui fieri potuit, ut Perronio doctrina Thomae Aquinatis tam parum cognita esset, cum iste de hoc ipso doctore pronuntiaverit in *praelectionibus* suis *theologicis* pag. IX. tom. I: „illum tanquam solem in ecclesia dei exortum esse, eumque vix theologum dicendum esse, qui *Summam* illius et libros adversus gentes haud legerit“? Ad hanc quaestionem ego tum respondebo, cum ante quaerenti mihi responsum erit, quomodo intelligi possit, nescire Perronium ea quae ipse scripserit? Nam id ipsum quod Perronius iactat, „sese in annotatione ad pag. 239 *Praelectionum theologicarum* illam distinctionem denuntiavisse, ut quae fidem religionemque subrue-

1) Summa Theol. 12, quaest. 94.

ret et ad Socinianismum Rationalismumque duceret“, hoc plane falsum est. Inspice annotationem a Perronio citatam et videris extemplo, verum esse quod diximus. Nihilominus haec omnia ad intelligendum facilia sunt. Quippe in philosophia Hermesiana nihil sapit, in philosophia Theodisca rursus nihil sapit, in philosophia in universum pauxillum tantum sapit. Et tamen de his rebus scribere sibi arrogat. Coecus iste est, qui farraginem pigmentorum, quorum multa et rudia sunt et spuria, collegit. In hanc penicillum intingit, tabulam linteam maculis inspergit et exclamat: *Anch' io sono Pittore!*

Sed iam lectori rem producemus, quae multo magis mira est, quam eae quas adhuc cognovimus. Hanc ipsam distinctionem rationis *theoreticae* et *practicae*, quae fidem subruere, ad Socinianismum et Rationalismum ducere dicitur, hanc ipsam ipse Perronius in suis *Praelectionibus dogmaticis* ipse proposuit! Conf. eius operis tom. I. pag. 42. §. 100. pag. 18. §. 48. p. 217. Si Perronius his locis loquitur de officiis, legibus cet., quae natura humana nituntur et scriptis quibuscunque et sancitis antiquiora sint; si dicit, rationem gentilibus ante ullam revelationem officia praescripsisse, id quod etiam Paulus apostolus dicit, qua tandem re Perronius ab Hermesio differt? Ne minimum quidem, quantum ad *rem* attinet, sed nonnisi in vocula *practicae.* Hac *voce* Hermesius utitur, Perronius non est usus. Hoc totum magnumque illud discrimen est! Sed etiam ratio illa Perronii practica nominanda est, propterea quod officia praescribit, quod denique ad agendum (πρᾶξιν) spectat. Huius rationis practicae ope — cum theoretica iusto modo consociata — eo Hermesius pervenit, ut revelationem statuat, h. e. quod bene notandum, revelationem, quatenus est totum aliquid facto supernaturali nobis traditum. Sed quomodo rursus Perronius? Ecce hoc loco prudentior iste est, quam sibimet ipsi cognitum est! Nam si tom. I. p. 206 scribit, revelationem moralis partis causa *necessariam* esse, ea cum ratione sua practica necessitudine aliqua, et necessitudine quidem hanc adiuvante, iuncta sit oportet! Nondum est satis. Perronius clare dicit, rationis officium esse, ut momenta auctoritatis revelationem quandam praecedentis examinet, idemque melius etiam et sensu plane Hermesiano dicit, hominem miraculis *teneri* ut assentiatur (vol. I. p. 7)! Quale est hoc *teneri?* Hoc

teneri non esse nisi practicum, h. e. assensum ratione practica in homine effectum, id aperte rursus pronuntiatum legimus p. 8 vol. I, ubi est: *moralis certitudo ad assentiendum impellit.* — Continuo post verba supra memorata scribit Perronius:

> „Haec annotatio Hermesianos non paulum offendit, et propter eam strepitum moverunt. Sed quia paucis mensibus post quam illa evulgata erat, s. sedes prohibitionem et condemnationem operum Hermesii publicavit, in eaque *illius distinctionis, ut quae fidem subrueret, mentio disertim facta est*, nonnulli stulte opinati sunt, memet fuisse, qui s. Patrem ad condemnandos libros Hermesianos induxisset“.

Iam vide mihi lepidissimum caput! Scribit Perronius animadversionem non publico litterarum professore, non studioso ultra mediocritatem sapiente dignam, sed fatuam sed ineptam sed falsam. Oscitantem atque dormitantem sapientiam Perronii excutit in *actis Hermesianis* Elvenichius ridentque Romani Perronium Perronianamque sapientiam. Iam quid ad haec Perronius? Miratur Hermesianos illam animadversionem aegre tulisse, queritur propter eam Hermesianos strepitum movisse! Scilicet latere in occulto volunt fures famaeque praedatores omnemque strepitum procul abesse cupiunt. Quae vero in Perronii loco de rationis distinctione in theoreticam ac practicam, sequuntur ea sunt hominis, impudentis. Haec enim Perronius scribere potuit, quo temporis momento Breve in manibus habuerit necesse est, quippe qui continuo eius argumentum transscripserit, haec Perronius dicere audet coram Romanis, qui Breve quovis temporis momento inspicere possunt?! Distinctio rationis *theoreticae* et *practicae* neque disertim neque tacite memorata est, immo prorsus nulla eius in Brevi mentio inest! Sane si verum est, quod dicitur, qui aliquid esse velit, operam dare eum debere, ut totum id adipiscatur, nemo hoc consilium fidelius secutus est, quam hoc libello Perronius fecit. Achilles uno tantum loco, in calce, vulnerari potuit, sed Perronius eam stationem occupavit, ut nihil in eo detegere possis, ubi a veritate tangi queat. Sed hunc Achillem mendacii paulisper relinquimus, ut animum ad Windischmannum advertamus.

Miserae cognosce prooemia rixae.
Juvenalis.

Windischmannus. Quomodo is Fridericum a Schlegel depingat. Bonnam vocatur. A suspicionibus suis movendis initium facit. Postulat ut Friesius et discipuli eius a cathedris removeantur. Ratio eius ad ordinem theologorum catholicorum; hunc in haeresis suspicionem adducit. Epistola a Gratzio ad eum data. Hermesius a munere suo abdicationem postulat. Seberus. Windischmanni in ordine medicorum opera. Iarkius — Kleeius.

„Lamennaeus“, ita scribit Gerbetius, is discipulus quo familiarissime quondam est usus magister, „aeternus in iis rebus quae ad civitates regundas pertinent est Iudaeus. Nullus in campo quaestionum civilem societatem spectantium lapis firmus est, neque ibidem ullus pulveris acervus, in quem non deinceps escenderit elataque voce clamaverit: Ecce hic orbis terrarum fundamentum est“! [1]) Idem plane de Windischmanno philosopho et maiori iure etiam dictum est. „Noli, quaeso, turbare hunc virum“, Hermesius olim ad discipulum quendam data opportunitate dixit, „Noli, quaeso, turbare hunc virum, patere eum vociferari contra me quantum volet, postquam omnia philosophiae systemata percurrerit, ad postremum fortasse domicilium habebit in meo.“ Elvenichius autem qui nihil unquam inconsiderate dixit de eodem pronuntiavit, eum systemata mutavisse tanquam vestem [2]).

Muratorius cuius solum nomen pro summa laude est, aditum nobis patefecit, quo ad intellectum indolis horum hominum pervenire possumus.

> „Vae illi“, inquit, „qui, cum ad litterarum studia incubuerit, imbecilla quidem phantasia, sed hac multo validiore tamen, quam ratiocinandi iudicandique facultate instructus erit. Sed vae illi multo magis, si praestanti eius ingenio indomita phantasia adiuncta erit, quae detrectet rationis

1) Vide Réflexions sur la chute de M. de la Mennais par l'abbé Ph. Gerbet. Paris 1838. p. 5.

2) Acta Romana, p. 129.

imperium et satis valida sit, ut animi habenas ad se rapere possit. Eiusmodi homines vix impedire possunt, quominus luxuriantes, effrenatas et ridiculas opiniones adsciscant, sive eas ab aliis accipiunt sive ex sese ipsi procreant. Iam si acciderit, ut is ira, odio sive invidia adversus eiusdem artis aemulum superveniatur, aut rursus admiratione et veneratione doctum quendam hominem prosequatur, incredibile dictu est, quae somnia, quae imaginationes in eius capite oriri et radices agere soleant, usque adeo ut neque ratione neque auctoritate inde dispelli possint" [1]).

Si unquam in homine contigit, quae sagacissime hoc loco docuit Muratorius, tum profecto hoc in Windischmanno Hermesii accusatore accidit. Quod ut argumentis comprobemus, missis caeteris omnibus quae in promptu sunt, illustrius exemplum inveniri vix poterit epistolis illis a Windischmanno ad *Iohannem Müllerum*, historiarum scriptorem celeberrimum ac virum potentissimum datis et ad singulare iustae causae praesidium nuper editis. Epistolae, quae maiorem admirationem, impotentiorem unius viri erga alterum amorem spirent, — epistolae tam luxuriosi ingenii, quam hae Windischmannianae sunt, in ceteris littersi Theodiscis, id quod grato erga deum animo profiteamur, non reperiuntur.

Quod *Goethius habuit cum infante litterarium commercium* [2]) a multis vituperatum est, neque iniuria; sed quid de litteris dicemus eandem ingenii luxuriem prae se ferentibus et amatorio sermone conscriptis, si eas vir ad virum misit? Quemadmodum infans illa tota diffluit et tota eius natura in illa Goethii evanescit, sic Iohannes Müllerus fuit, cuius natura Windischmannus totus absorberi se passus est. Quare Windischmanno Müllerus velut mater terra fuit, ipse vero, herba quae ab illa alitur, fovetur et sua ipsius vi vitali nutritur. Licet autem Windischmannus ita cum Müllero copulatus atque concretus videatur, ut omnem habitum, formam figuramque amiserit, nihilominus tamen quoties ad suum *Ego* recurrit, hoc semper ita fit, ut manifestum

---

1) Muratori sul buon Gusto, Parte I. Cap. XI.

2) Vide librum: Commercium litterarum quod Göthius cum infante habuit.

fiat, quam magnifice de se ipse sentiat, quod idem in omnibus aliis eius scriptis fieri solet. Caeteri homines ei plane corrupti videntur, improbi, Sodomae et Gemorrhae genus: unus Müllerus, ad quem hae litterae datae sunt, et alii tres quatuorve iusti illi sunt, neque in horum numero atque societate se ipsum reponere unquam obliviscitur. Haec persuasio suae ipsius praestantiae, haec sui fiducia nulla re apud animum eius concussa est. „Ne lapides pro pane nobis porrigant", haec pronuntiavit, quum impium librum *Ideae ad Physicam* inscriptum ederet, „quae in universum hic proposita sunt, ea nullam immutationem patiuntur". Nihilominus „quae in universum proposita erant" immutata sunt; et posthac idem opus „librum iuvenili cruditate conscriptum" appellavit. Porro „Domini iudicium" alia plane mente conscripsit, et in praefatione iterum testatur: „Hoc satis certo scio, nullam totius picturae lineam ductam esse, nisi de qua animam meam exploraverim"; idem sub vitae finem imagini suae subscripsit: „quaecunque docui, ex animi mei sententia docui"; quantumvis repugnent quae per vitam docuit. Quantum sibi ipsi indulgebat, tam arroganter alios condemnabat, quibus accidit, ut ei non placerent. Fridericus de Schlegel, ad quem litteras tantum non aeque ardentes scripsit quam ad Iohannem de Müllero, nihilominus in litteris ad Müllerum missis ea ratione ab isto describebatur, quae tum temporis non una ratione huic nocere posset. Windischmannus 11 die Decembris anni 1806 Müllero scribit:

„His diebus *Fridericus Schlegel* apud me fuit. De hoc homine melius quidquam dicere tibi nescio nisi hoc: *adolescentuli gloriosi, senes Philistaei* (junge Renomisten, alte Philister, i. e. studiosorum Theodiscorum sermone genus hominum sedulorum atque ineptorum). Ante animum meum semper adhuc obversati sunt multi nostri temporis illuminati composito vultu ingenium ostentantes; iam video, me recte vidisse. Multa praeclara ante excitata sunt, eximiis ingeniis per pugnam conflictantibus: nunc apud hunc certe tarditas quaedam et frigus et habitus solemnis subsedit, qui ne caritatis quidem ardore tolli potest. Itaque piget, cum eiusmodi hominibus, de quibus tam multa speravimus, quique tam pauca praestiterunt, consuetudi-

nis commercium continuare. Etiam pristinus eius amor moris Theodisci nihil nisi ampullae fuerunt, quem in Franco-Gallia adeo abiecit, ut et omnia perinde habere soleat et sibi ipse mirifice sufficiat. Haec fiunt, homines deos se esse dum opinantur, homines esse dediscunt.“ —

Atque hunc deum, *Fridericum de Schlegel*, quem occulte tam insolenter tractavit, quemadmodum thure suo Windischmannus publice prosecutus est! Schlegeliusne idem unquam in philosophia cum Windischmanno senserit, quaerere nolumus: sed hoc certum est, a Schlegelio non multo ante mortem eius placita Windischmanni probata non esse; hoc certum est, Schlegelium anno 1828 (mense Ianuario a. 1829 vita excessit) credidisse, Windischmannum *tristi errore hominis alicuius notissimi deum non esse misere statuentis et Antichristo servientis alte demersum iacere.* Sed nihilominus Windischmannus partem scriptorum a *Friderico de Schlegel relictorum* duobus voluminibus edidit atque, ubi lacunas offendit, quod bene notari velim, *supplevit quae Schlegelius animo intenderit!* Scilicet Windischmannus quae alius animo intendit supplevit, quae *Schlegelius animo intendit* supplevit, supplevit quae is animo intendit, quem tam inique notaverat, qui Windischmanni placita miseros errores hominis deum non esse credentis existimavit!

Quamvis in litteris ad Müllerum „delicias animae suae“ datis altissime spectaret, atque hoc amore et admiratione commoveretur in perpetuum, tamen non neglexit commemorare ea, quae animum bonis terrenis addictum ostenderent:

„Si unquam contingat, ut his (intelligentia et animi intentione) proficere quidquam patriae possim, has illi et vitam simul libenter impendo; hoc viri, qualis tu es, certe sperare semperque possunt: quodsi vita mea utiliter effundi posset, ne momentum temporis ei ego parcerem“.

In eadem longiori epistola, sed multo post, ad Müllerum scribit:

„Princeps noster non libenter *salarii augmenta* concedere neque conditionem semel parce constitutam emendare amat; nemo sane ex hoc viro vetus illud et alacre studium et litterarum et boni cuiuscunque excitare atque negligentiam, cui in dies magis insuescit, removere potest.

Ad hoc tibi profitendum *compellor*, cum et verum sit et longe aliud, quam nos omnes (etiam tu, ut ex litteris tuis intelligo) a *Dalbergio* exspectavimus.“ — Fuit autem Dalbergius, in quo Windischmannus vetus illud boni cuiuscunque alacre studium desideravit, Illuminatorum sectae adscriptus, nomine utens *Crescentis* [1]).

Atque hae res, emendatio conditionis suae, salarii augmenta, vocatio ad universitatem in urbem *Heidelbergam*, vel *Halas Saxonum* vel *Gottingam* vel *Casellas Hassorum* vel *Herbipolin*, hae iam sunt, quae epistolarum quasi vatum furore scriptarum et incredibili amore ardentium fere semper epilogum siccum frigidumque efficiunt.

„Sed tamen, carissime Müllere, noli mei oblivisci et melioribus locis mihi consule; hic quidem multis de causis locus meus non est.“

Unum etiam: sollicitor ut ordini liberorum murariorum (francs-maçons) me adscribendum curem. Equidem et ingenium et propositum verae disciplinae liberorum murariorum tam probe nosse mihi videor, ut externa inauguratione addi vix quidquam possit. Paene confidenter dixerim, aliquid commodi ex hac societate in me redundaturum esse. Sed an in domo huius societatis (in der Loge), quemadmodum in ecclesia aliqua, id utilitatis afferre possim, quod vires meae nullo vinculo constrictae permittunt, hac de re ea, quae tu expertus didicisti, et quae tu mihi suasurus sis, consulere volui.

In supplementum eius quod supra scripsi, litteris tuis solatii plenis iterum perlustratis, hoc addere debui, mihi hoc loco, ut quodammodo contentus vivere possim, mille quingentis florenis opus esse.

Numne *Gottingae* aliquid pro me impetrari poterit? Iam vale, nam alioqui finem non invenio.

W i n d i s c h m a n n.“

---

1) v. Memorabilia historiae Iacobinismi abbatis Barruelis, tom. 4. p. 289, et Augustini Theineri historiam Seminariorum clericalium Mogunt. 1833. p. 283.

Vides quo spectet illa altissima animi exaggeratio quae in his epistolis apparet, vides qualis ille in contemnendis et despiciendis rebus quae ad vitam hanc communem spectant fuerit, vides quam vere nuper scripserint laudatores atque defensores, cum secretis societatibus adscriptum fuisse nulla alia causa quam ut specularetur quid in ipsis rerum ageretur! Caeterum hae paucae quaedam eius generis confessiones sunt: sed quid lecturi essemus, si harum epistolarum editor, *Maurer-Constantius*, plerosque alios eiusdem argumenti locos non omisisset? Sed haec nunc mittimus, quum de iis in secundo volumine copiosius multo dictum sit, et quidem ita ut nemini uni dubium restare possit, qui qualisque Windischmannus fuerit.

Cum litterarum universitas Bonnensis a. 1818 conderetur, Windischmannus in eorum professorum numero fuit, qui primi adsciti sunt. Eius in philosophia placita varie mutata erant, ceterum illae epistolae eius, in quibus, ut editor ipse profitetur, „luxuries Windischmanni" vere reprehensa agnoscitur, *chartam magnam* praebent eorum quae idem Bonnae molitus est; scilicet ex una parte sempiternae preces, ut ipsius conditio melior fieret, ut remunerationibus augeretur, ex altera calumniando omnes detorquendoque suspectos et invisos fecit. Quod ut approbemus, locum ex epistola eius anno 1819 scripta communicabimus. Ea, ut argumentum ostendit, ad hominem amplissimo magistratu ornatum, aliis tamen quam catholicis sacris addictum, data est.

> „Qua ratione (h. e. si fierent quae ipse suaserat) etiam ab hac parte nonnihil addetur ad illa remedia, quae proh dolor! ad tumores universitatum tollendos iam necessaria, quae tamen, quod negari nequit, habent in se quidquam dubii, ac certe nonnisi difficillime perfici possunt. Sane optandum esset neque nimii sumptus erogandi forent, si ii professores, *a quibus per Germaniam iuventus ad motus politicos et studia popularis dominationis et incitata est et incitatur*, ut prae ceteris *Friesius* et omnes huic similes, *salario tamen iis non adempto* [1]), *a cathedris* removerentur. Ita multa fient faciliora et censura illa facilius exerceri poterit. Quamvis verum sit, censuram omnino

1) Hunc locum auctor ipse binis lineis subductis notavit.

molestam quodammodo esse bonis viris et officio suo satisfacientibus, nemo tamen qui scientiam et religionem serio amplectitur id quod tempora postulant detrectabit, dummodo censores bene legantur. Sed hoc ipsum nos a sapientia summi nostri magistratus exspectamus neque veremur, ne res aliter cadat. Minime optandum esset, quod secreto et fiduciae plenus tibi dico, ut certus Aliquis — — — Confido equidem, memet a te, vir summo loco nate, virum probum haberi. Is cum sim, officium meum postulare credo, ut — — —[1]). Ceterum spes me tenet, fore ut severi praeceptores morem in universitatibus obtinentem mox in melius convertant eoque molem firmam adversus stultitias aetatis nostrae obiiciant. Hoc quidem certum est, fore ut mox boni et generosi iuvenes magno numero maturitatem assequantur, qui nondum vertigine nervosa correpti sunt. Equidem pro mea virili parte hoc adiuvare omni virium contentione studeo praelectionibusque meis de historia philosophiae et doctrina morali habitis fiduciam mei peperi et in pluribus auditoribus meis fundamenta probe ieci, quibus coelesti auxilio aedificium suum superstruant. Item hiemali tempore, quod instat, logicam exemplis bene instructam traditurus sum ac bona semina in animos iuveniles dispergere conabor. Multi quidem ex professoribus minus adultis mihi adversantur atque iuvenibus fucum facere nituntur, sane saepe ipsi corrupti ab aliis et in errore versantes. Quam ob rem magnas contentiones sustinui, neque eorum, qui in errorem seducti erant, favore usus sum: sed nihilominus magni existimare me coacti sunt, et saepius expertus sum, eos, quamquam saepius ingrata his proferebam, non omisisse praelectiones a me habitas. Haec in actionibus meis nunquam me turbabunt; deo confisus operam dabo certaque spe erectus, et ecclesiae et civitati me non male consulturum esse. Metus hominum aliorum omnino me

1) Quae iam sequitur copiosa calumniatio viri quem Windischmannus publice semper summa observantia prosecutus est publicae notitiae subtrahenda erat.

nunquam retinebit, quominus, ubiubi opus erit, verum ingenue dicam et profitear.

Iam aliquid abs te, vir summo loco nate, peto. Benigne tu mihi ostendebas, futurum esse ut praelectiones meae de arte medendi iusta remuneratione afficerentur, ideoque iterum precor, ut tu, simulatque mentio eius rei fiet, mei benigne reminisci velis, ac praeterea amice adiuves, ut professura ordinaria, qua in ordine medicorum ornatus sum, *nominaliter* in me deferatur, quandoquidem nisi id fiat multa minus commoda statum meum premunt. Duabus praelectionibus, quas hoc anno de *historia medicinae* et de *praeparatione ad medicinam magneticam*, quas publice gratisque habui (multo sane oculorum dolore, quem infelix ille lapidis iactus, quem hic perpessus sum, tam diu protraxit), item studiis meis a medicinae peritis iam pridem probatis, quae exhibui in physiologia et pathologia, quam posteriorem re vera proxime traditurus sum et iam ante viginti duos annos Moguntiaci tradidi, ostendisse me puto, me esse qui locum in ordine medicorum expleam, ideoque non frustra sperabo, fore ut ratio mei propitia habeatur. — Negotia collegii ad examinandum constituti, quamquam magno labore mihi constant, nihilominus tam diu sustinebo, donec, ut tu mihi mandavisti, successorem tibi commendare potero.“ — —

Quomodo Windischmannus „locum suum in ordine medicorum expleverit“, de ea re post videbimus. Illud vero hoc loco observandum est, tum, cum Windischmannus hanc epistolam conscripsit, Hermesium Monasterii Westphalorum docuisse, neque ullum ex numero discipulorum eius Bonnae praeceptoris munere perfunctum esse. Itaque adversarii Windischmanni alii tunc erant, atque Hermesius et discipuli eius. Hi vero, quemadmodum rerum omnium iustissimus iudex definit, corrupti erant, in erroribus versabantur aliisque fucum facere studebant; versabantur autem omnes in erroribus, qui Windischmanni deliria non cantabant. Sed ut argumentum huius epistolae lector perspiciat, ut intelligat, cur *Friesium* et discipulos eius clandestinis denunciationibus a cathedris academicis detrudere vellet, sciat oportet, professorem *van Calker*, *Friesii* discipulum, iam tunc Win-

dischmanni collegam fuisse atque iuxta eum philosophiam professum esse. Quae deinceps professori *van Calkero* acciderunt, nota sunt.

Anno 1819—1820 etiam ordo theologorum catholicorum in universitate Bonnensi constitutus est. Professores primum adsciti erant *Gratzius*, tum inter theologos catholicos clarus, *Seberus*, gymnasii Coloniensis director, et *Schwarzius*, consistorii Confluentini consiliarius. Vix isti viri munere suo Bonnensi fungi coeperant, cum idem Windischmannus, qui iam ordinis philosophorum collegas in suspiciones adducere coeperat quique quamquam nullo peculiari vinculo huic theologorum ordini adnexus erat, mox eos lacesseret et in suspicionem heterodoxiae adducere tentaret. Ut uno documento rem totam comprobemus, haec ex epistola Gratzii ad Windischmannum data afferre placet:

> „Quam sedata erant ea quae ordo significavit, tam insolentes litterae erant, quas tu privatim ad me misisti: eae enim plenae sunt *studio zelotico*, *cupidine heterodoxiae suscitandae* et *contemptionis movendae* adversus ordinem theologorum catholicorum. Num is erit nobilis ille catholicismus candidumque fraterni amoris ingenium? Quo tandem haec *evadere debent* et *evasura sunt?*“

Deus opem ferat!

Deditissimus servus

Dr. *Gratz.*

Ex his Gratzii litteris die 12 m. Februarii a. 1820 scriptis intelligitur quid iam tunc rei Bonnae ageretur. Hermesius tum ordinis collega nondum erat, sed in urbe Monasterii theologiam docere pergebat. Conditionem Bonnensem quae ei offerebatur, quasi praesentisset periculum quod suberat, diu multumque recusavit. Tamdem quod deferebatur accepit. Itaque ab urbe Monasterii mense Aprilis a. 1820 profectus post festos dies paschales Bonnam pervenit. Westphali cum Hermesio ordinis theologorum Monasteriensis vitam amittere sibi videbantur, Rhenani quotquot litteris favebant sibi congratulabantur. Multi eorum qui Hermesium audierant, eum Bonnam sunt secuti: ne plerique omnes se-

querentur a Clemente Augusto cautum est. Quemadmodum virtutem gloria comitatur, ita gloriam obtrectatio atque livor. Utraeque Hermesium antecesserant, ubi Seberus et Windischmannus communis laetitiae participes esse noluerunt. Aucta est obtrectationis invidiaeque vis, quum Hermesius Bonnae munus suum auspicatus est. Nam exspectationem quam excitaverat non solum implevit, sed superavit, ita ut brevi tempore nomen eius per totam Germaniam illustraretur. Seberus directoris gymnasii munere quod ipsius auspiciis Coloniae floruit, antequam Bonnam adscisceretur egregie perfunctus erat, quae res ipsi non parum famae et auctoritatis adiecit. Quare regno cui assueverat non solum iniquo animo caruit, sed etiam aegerrime tulit se Hermesio collegae suo non parem putari et Hermesii gloria claritati suae tenebras obduci. Windischmannus contra Hermesium ea moliri non omisit, ad quae eum natura sua impulit. Ut dicta documentis probemus, locum ex epistola commendatitia afferre placet, quam anno 1820 d. 29 m. Martii comes de Spiegel decanus Capituli Monasteriensis scripsit. Scripta est ad imperii comitem de Solms-Laubach, penes quem tum erat summa provinciae Rhenanae et universitatis Bonnensis regundarum cura atque potestas.

Imperii comes illustrissime,
provinciae Rhenanae summe administrator
honoratissime!

„Hermesius vir probus ac sollers idemque non minus humanitate quam publice docendi facultate praestans, cuius ex urbe Monasteriensi discessu litteris ibi publice tradendis detrimentum nulla re compensandum affertur, cum te primum aditurus esset, litteris meis, ad te datis instructum sese esse voluit. Neque ego recusare potui quominus viro multis nominibus dignissimo quemque ego amicorum loco habere coepi, quod vellet obsequerer, quamvis idem litteris commendatitiis minime egeat; quo cum accederet ut hanc meae erga te reverentiae testificandae occasionem offerri libenter viderem, satis causae fuit, cur has litteras ad te mitterem.

Facillime acccidere potest, ut professor Hermesius Bon-

nae, ubi Seberus ei obtrectat, Windischmannus — ad se venientem et secum publice docentem aegris oculis inspicit, praesidio eius indigeat qui rebus totius provinciae Rhenanae regendis praeest, atque ut eum hoc praesidio dignum iudicare velis te enixe rogo. Hic autem vir praesidio tuo dignus est, quum pacis sit amans et nulla arrogantia tumeat, immeritas autem iniurias aegerrime ferre soleat.

Quae Monasterii facta sunt, in iis nihil agnosces nisi signa doloris ob Hermesium amissum etc."

Licet Seberus et Windischmannus adhuc inter se obtrectassent, licet Windischmannus de Seberi orthodoxia male opinaretur, tamen cum illo in gratiam rediit eumque in societatem belli contra Hermesium traxit. Windischmannus non sine suggillatione aliorum cum omni genere vexationis processit, ac tanta peritia, tanta sagacitate per occultas vias Hermesium in suspiciones adducere atque collabefactare nisus est, ut nemo facile illi in hac arte par putari debeat. Sed cum Hermesius optima fama gauderet, res primum ad vota Windischmanni non cessit, nam auditoria eius paucis tantummodo auditoribus frequentabantur. In ipso ordine theologorum his rebus ratio quaedam admodum dolenda exstitit, et quanquam extra ordinis ambitum opera Hermesii egregie aestimabatur eiusque gloria late fluebat, cavillationes contentionesque tamen istae in ipso sui ordinis gremio summum ei animi attulerunt moerorem. Hermesius quum ea ultro pati non posset, atque ut ab invidia eorum abesset, Bonna abire decrevit. Quare a munere suo se abdicare voluit. Sed quae petivit, ea a summo magistratu non impetravit. Vehementia Seberi ingenio insita, cum eius res crescere nollent — tantopere efferbuit, ut, si ferociae eius rationem reddere velis, simul ad illius valetudinem corporis respiciendum sit. Anno 1825 Lovanium vocatus discessit. Ordo theologorum catholicorum celeriter florere coepit. Semestri hiberno 1823—1824 126, semestri aestivo 151, tum 194, mox 257, dein 267 — 294 — 306, anno 1829 et subsequentibus 300 et plures theologiae studiosi ei adscripti erant.

Iam anno 1821 et 1823, cum duo Hermesii discipuli in ordine philosophorum privatim docendi facultatem impetraverunt, iniquus Windischmanni in Hermesium animus de integro excitatus

erat. Nam his contigit, ut auditoria sua frequentius adirentur, quam Windischmanniana. Eiusmodi infortuniis pluribus modis occurrere conatus est. Eos singulos enumerare non attinet, unus tamen eorum natura erat ita comparatus, ut eum hoc loco silentio praetermittere non placeat. Scilicet tentavit, si efficere posset, ut ordini philosophorum custodia variorum philosophiae systematum legitime concederetur, ut dein nemo ad philosophiam docendam admitteretur, qui systema quod non placeret profiteretur. Hoc consilium nimis portentosum fuit, quam ut incassum non iret, praesertim si recogitemus, a Proteo philosophico tam mutabili, ab ingenio tam ventoso originem duxisse et ab hoc praecipue in vitam adducendum fuisse. Nihilominus Windischmannus usque ad finem vitae hac via contendere perrexit. Id nos manifestum faciemus colloquio, quod habuit cum Doctore *Volkmuthio,* cum is, postquam Vratislaviae cum laude philosophiam professus erat, a. 1835 in ordine philosophorum privatim docendi facultatem impetrare vellet, huc transscripto. Asseveratum nobis est, colloquium fere ad verbum sic habitum esse, idque verum esse eo magis confidere possumus, cum alias etiam rationes in promptu habeamus, quibus argumentum sermonis certissime probari possit.

„Non committam,“ Windischmannus dixit, „ut tu hic scholas habeas; omnia faciam, ut te prohibeam. Philosophia tua omnino subsistit in infima philosophandi ratione, quae reflectendo conficitur, quae altiorem quamcunque et vere speculativam philosophandi viam pro errore fanatico et mysticismo habet et contemnit. Si Kantianus quidam quamvis inveteratus aut alius quis apud nos docere velit, nihil contra moliar: sed philosophiam, quam tu profiteris (hermesianam), non amplius iuxta me tolerabo. Bis hanc philosophiam mihi intruserunt; *Esserus* et *Elvenichius* hic docuerunt, sed tertia vice. . . . . Ne falso accipias quae dico, fodinam nullam ego tibi fodio. Vides, me aperte agere. Non loquor de theologia tua: papa eam condemnavit“ (pugno mensae tabulam percutiens). „Audivistine etiam apud me praelectiones?“ Respons. „Audivi, domine professor.“ „Quasnam?“ Respons. „Philosophicas omnes, quantum

memini.“ „At si praelectiones meas de logica et metaphysica probe considerasses, hodie non iam esses Hermesianus.“

Cum sermonis clausula deesse nobis videretur, hanc quoque comparare operam dedimus. Quaerenti mihi responsum est, hic colloquium foribus apertis et clausis finitum esse. Sed etiam ex fragmento dialogi allato satis patet, Windischmannum omnia reliqua systemata philosophica praeter se tolerare voluisse uno Hermesiano excepto, patet etiam eo modo se gessisse Windischmannum, ac si totum imperium ordinis philosophorum cuius nonnisi collega erat apud ipsum solum fuisset, ita ut qui admitteretur aut reiiceretur ab eius nutu pependisse videatur. Ita re vera existimavit, artibus scilicet suis confisus.

Quod discipuli Hermesii, quos supra memoravimus, *Esserus* et *Elvenichius* frequentioribus auditoriis gaudebant quam Windischmannus, eius rei causa facile intelligitur. Sed vera causa tam gravis Windischmanno accidit, ut eam nunquam videret. Hoc persuasum esse nobis potest, ex centum candidatis, qui in examine non steterunt, non unum esse, qui infortunii causam non totam aut magna ex parte in examinatores reiiciat. Iam vero Windischmannus non is erat, qui de sua praestantia ullam dubitationem in animo suo admitteret.

„Certo scio,“ ad Iohannem de Müllerum scripsit, „terrae genium mihi saepe vera suggessisse,“ et eodem suae infallibilitatis sensu ad Gratzium iniuriose scripsit: „Tu edoceri“ (a me) „plane non vis.“

Windischmannus iuramento affirmaturus fuisset, Hermesium illis doctoribus auditores conciliavisse et hoc credere perseveravit, cum Hermesius iam vita decesserat et illi duo viri in aliis etiam academiis et universitatibus cum plausu docebant. Haec asseveratio in partibus Windischmannianis consistere coepit. Quocunque semestri curriculo ineunte repetitur, neque erubescunt homines, quominus pinguissimis mendaciis sustentare eam conentur, ut nuper admodum narratiuncula *diurnorum ecclesiasticorum*, quae Francofurti eduntur, et declaratio studiosorum, ad quos ea res attinebat, in *Diurnis* (politicis) *Francofurtensibus* ostendit. Sed Windischmannus simul professor ordinarius ordinis medico-

rum erat, et in hoc certe Hermesii auctoritas apud studiosos medicinae nihil valebat. Itaque credere possis, praelectiones de medicina a Windischmanno habitas magno auditorum numero celebratas esse, in his ipsum Hermesio longe superiorem esse debuisse. Explorabimus igitur, quae fuerit species auditoriorum, in quibus Windischmannus „ille admirabilis" de medicina praelectiones habuit, et eligemus in hunc finem decem annos postremos, quibus scholas in litterarum universitate Bonnensi habuit. Hi enim sufficient, ut hac de re iuste iudicare possimus.

Quot auditores nomina professi sint, et quibus de causis praelectiones omissae sint, ipsi professoris verbis Windischmanni referemus.

Windischmannus annuntiavit:

Semestri aestivo a. 1827

Encyclopaediam medicinae.

„24 auditores."

Semestri hiberno a. 1827—28

Historiam medicinae.

„Ob impedimenta, quae acciderunt, omissa est."

Semestri aestivo 1828

Encyclopaediam et methodologiam medicinae.

„Valetudo professoris Windischmanni tarde restituta non permisit, ut semestri aestivo scholas de medicina haberet."

(Idem tamen in ordine philosophorum lectiones habuit de historia philosophiae Orientis.)

Semestri hiberno 1828—1829

Encyclopaediam et methodologiam medicinae.

„Omissa est, propterea quod professor Windischmannus valetudine sua confidere nondum potuit, quodque lectionibus professoris Mülleri his desideriis satis provisum erat."

(Idem tamen in ordine philosophorum systema philosophiae lectionibus suis exposuit).

Semestri aestivo 1829

Historiam medicinae.

„12 auditores."

„Monet professor Windischmannus, hanc praelectionem propter valetudinem ut mox omitteret coactum se esse, cum tres praelectiones philosophicas easque difficiles habuerit."

Semestri hiberno 1829—1830

Encyclopaediam et methodologiam medicinae.

„12 auditores."

(Erant autem ordini medicorum adscripti studiosi 168.)

Semestri aestivo 1830

Historiam medicinae.

„12 auditores."

(Erant autem ordini medicorum adscripti studiosi 147.)

Semestri hiberno 1830—1831

Encyclopaediam et methodologiam medicinae.

„12 auditores."

„Propter adversam valetudinem haec praelectio mox omittenda erat, quod eo commodius fieri poterat, cum professor Müllerus eandem praelectionem publice haberet."

(Idem tamen binas praelectiones in ordine philosophorum habuit; adscripti vero ordini medicorum 134.)

Semestri aestivo 1831

Encyclopaediam et methodologiam medicinae.

„Sex tantum auditores nomina professi sunt, ac praeterea collisiones non evitandae acciderunt."

(Ordini autem adscripti erant studiosi numero 127.)

Semestri hiberno 1831—1832

Historiam criticam magnetismi animalium.

„Haec praelectio catalogo annuntiata omissa est et eius loco scholae de epidemiis maxime memorabilibus in universum, et de cholera singulatim nuntiatae sunt, quod quidem rescripto

celsi Ministerii d. 27 Decembris a. 1831 permissum est. Septem auditores nomina professi sunt: sed valetudine impeditus professor Windischmannus has scholas iuxta binas suas philosophicas statim inchoare non potuit, cumque paulo post scholae de cholera ex officio habendae indicerentur, ipse suas revocavit, quippe quae iam apte omitti possent."

(Omnis numerus studiosorum medicinae 145.)

Semestri aestivo 1832

Historiam criticam magnetismi animalium.

„Cum duo tantum auditores nomina professi essent, hos professor Windischmannus, ut iis quodammodo satisfieret, ad caput de statibus magneticis in praelectionibus de psychologia pertractandum amandavit."

(Omnis numerus studiosorum medicinae 140.)

Semestri hiberno 1832—1833

Historiam medicinae.

„Propter collisionem horarum fieri et haberi non potuit; nonnisi duo auditores sine impedimentis operam dare poterant."

Semestri aestivo 1833

Encyclopaediam et methodologiam medicinae.

„Sex septemve auditores nomina professi sunt; sed horis lectionum mutatis collisiones acciderant, ut duo tantum auditores reliqui essent, quibus propter valetudinem professor Windischmannus eas scholas habere non potuit."

(Idem eodem tempore binas lectiones in ordine philosophorum habuit.)

Semestri hiberno 1833—1834

Historiam criticam magnetismi animalium.

„Duo tantum auditores nomina professi erant."

Semestri aestivo 1834

Historiam criticam medicinae.

„Duo tantum auditores nomina professi erant; neque valetudo professoris Windischmanni permisit, ut has scholas haberet."

Semestri hiberno 1834—1835

Encyclopaediam et methodologiam medicinae.

„Professor Windischmannus declaravit, sese ob valetudinis infirmitatem, et quod binas scholas philosophicas primarias idem in se suscepisset, hanc praelectionem omittere debuisse."

Semestri aestivo 1835

Historiam criticam medicinae.

„Duo tantum auditores nomina professi sunt; neque valetudo professoris Windischmanni has scholas ut haberet permissura erat.

Semestri hiberno 1835—1836

Historiam criticam magnetismi animalium.

„Duo tantum auditores nomina professi erant."

Semestri aestivo 1836

Historiam criticam medicinae.

„Professor Windischmannus verno tempore et per aestatem tantopere aegrotavit, ut has scholas omittere cogeretur."

(Idem tamen binas scholas habuit in ordine philosophorum.)

Semestri hiberno 1836—1837

Crisin systematum praecipuorum medicinae veteris novique temporis.

„Professor Windischmannus ob valetudinem has scholas omittere debuit."

(Idem tamen *publice* scholas habuit in ordine philosophorum; ad *privatas* nonnisi quatuor auditores nomina professi erant.)

Semestri aestivo 1837

Encyclopaediam et methodologiam medicinae.

„Hae scholae ob valetudinem professoris Windischmanni haberi non poterant."

(Idem tamen scholas habuit in ordine philosophorum.)

Semestri hiberno 1837—1838

Historiam medicinae.

„Omissa est propter infirmam valetudinem."

(Idem tamen scholas habuit in ordine philosophorum.)

Semestri aestivo 1838

Enarrationem criticam doctrinae magnetismi animalium.

„Professor Windischmannus valetudine impeditus legere non potuit."

(Idem tamen legit in ordine philosophorum.)

Hae lectiones sunt *omnes*, quas Windischmannus his decem annis in ordine *medicorum* annuntiavit; omnes *publicae* erant, h. e. eiusmodi quas *gratis* adire studiosis licebat! Nihilominus Windischmannus per hos decem annos vix semel vel bis praelectionem in ordine medicorum, cui quemadmodum singulis exemplis probatum est, quovis semestri spatio centum et quinquaginta fere adscripti erant studiosi, conficere potuit! Et quidem hoc ei in ipso medicorum ordine, id est in ea arte, in qua quasi tabernaculum vitae suae collocaverat, accidit. Quid igitur ei in ordine philosophorum accidisse putemus, quum ille in hac re praeceptum verissimum:

Quam quis novit artem, in hac se exerceat!

non observavit sed ab artificio suo recessit? Et quis tandem in medicorum ordine ille *Hermesius*, illa avis infelix fuit, quae Windischmanni operam et studia in eo campo fere omnino evertit?!

In scholis, quas de philosophia habuit, Windischmanno moris erat, philosophiam Hermesianam motis suspicionibus oblique perstringere aut etiam palam lacerare. Sed ea studia adeo successu carebant, ut vix publice animadverterentur. Tandem anno 1825 Windischmannus novum sibi aperuit iter; publica diurna auxilio vocavit, „*Catholicoque*" nefariam commentatiunculam nomine auctoris suppresso inseruit, qua Hermesium palam heterodoxiae suspicione onerabat. Hunc impetum clandestinum, quo inscitia theologica et errores ipsius Windischmanni male tecti erant, a Clemente Augusto de Droste egregio famae doctrinaeque Hermesii vindice, fortiter repressurum iri, id Windischmannus minime exspectaverat. Ab Her-

mesio enim ipso Windischmanno nunquam responsum est. Itaque cornua sua contrectantia ex hoc campo retraxit et operam suam iis tenebris circumdedit, quae demum evulgatis fragmentis responsi, quod de causa Hermesiana dederat, lumine illustratae sunt. Orbes, quos lapis a Windischmanno in aquam iniectus fecerat, anno 1826 iam Romam usque ampliati erant. Sed nimis invalidi erant, quam ut tunc regnante Leone XII, qui honorificentissime de Hermesio iudicavit, aliquem eventum habere possent.

Valetudo Hermesii circa hoc tempus multum conquassata erat; consilium coepit a munere professoris sese abdicandi. Antequam id consilii exsecutus esset, Doctor *Kleeius*, tunc professor Moguntini seminarii, theologiae professor Bonnam vocatus est. Antequam Kleeius Bonnam veniret, causae Windischmannianae iam conciliatus erat, et adeo quidem conciliatus, ut Bonnam adveniens etiam vulgares politioris consuetudinis rationes plane negligeret. Neque eo constitit audacia Kleeii. Sed ille ne archiepiscopi Coloniensis quidem in cuius dioecesi docebat rationem habuit, atque illi dioecesi se adscribi initio minime passus est. ***Professor Borussicus sum***, quid ad me archiepiscopus Coloniensis, clamavit, se superiorem legibus ecclesiasticis putans. Minime celabant, Kleeium Bonnam venisse, ut Hermesium de loco deiiceret. Neque deerant clamatores et magistri clamoris (claqueurs et maitres de claque), qui successum festinarent. Eo rerum statu Kleeius, doctus adolescentulus, nulla prudentia nullaque experientia instructus, qui nondum tricesimum annum attigisset, cathedram theologicam Bonnae ascendit. Mirati sunt audaciam, qua rationem singularem (raison individuelle) laceraret, rationem vero universalem (raison universelle) in coelum tolleret. Tunc nondum cognitum erat, quod iam notum est omnibus, hanc audaciam, hanc superbiam propriam esse Lamennaei eorumque qui sectam eius sequuntur. Sed heterodoxiae suspicionem vitare vix poterat, si quis tunc sive in Germania sive Franco-Gallia dubitatiunculam adversus novum hoc evangelium movere auderet. Si episcopi Francogallici numero non pauci, auctoritate summi de sua ipsorum fama anxii esse debebant, quae conditio theologorum Theodiscorum fuerit, facilis inde est coniectura. „Stultus“, Kleeius publice docet, *„non est*

deus pronuntiat, semistultus quaerit, *estne deus?*" [1]) His ille plurimos ex s. patribus, praestantissimos theologos omnium temporum, his theologos Romanos qui nunc sunt, et principem eorum s. patrem Gregorium XVI, his collegam suum Hermesium *semistultos* esse publice declaravit! [2]) Sed Kleeius quae adversus Hermesium moliretur cathedra contineri noluit, aperte ipsum lacessere, illi bellum indicere apertum voluit. Paucis post adventum Bonnensem hebdomadibus illum ad pugnam provocavit. Aquam mihi turbas, lupus dixit ad agnum in rivi ripa infra stantem, atque Kleeius scripsit:

„Plurimum venerabilis collega Hermes!

Libertas academica permittit, contra rem loqui, si personis parcatur; hoc tu et asseclae tui non observant. Ego omnino non polemizo, nonnisi quod fidei est evolvo, mea opinio si alius opinionem transversa incurret, faciat, alterius opinio simile facit meae. Falsa illa, nescio bene a quo, Berolinum scripta, qua talia fine suo exciderunt.

Collega tuus

K l e e."

Ad hanc epistolam quam Hermesius d. 25 in. Novembris 1829 accepit (dies ei adscripta non erat), respondit Hermesius:

„Vir plurimum reverende!

Litteras tuas inurbanas et sine die hodie accepi. Has litte-

---

1) Dogmaticae Catholicae t. I. p. 3.

2) Quomodo orthodoxia catholica per Germaniam sese habeat, vix alio indicio melius diiudices, quam quod Kleeio placita sua et ex cathedra et libris edendis illacessito in Germania explicare licet. Haec placita revera esse Lamennaeia, nonnisi novis ingentibusque erroribus cumulata, id, quantum satis sit cuique praeiudiciis non occupato, luculente demonstravit: *Iansen* in Notatione (*Signatur*) novae Dogmaticae, in priore et altero fasciculo. Treviris 1837 apud Gall; dein Dr. *Iohannessen* in libro: *Placita Delamennaei* cet. Coloniae 1837 apud Eisen. Conf. *Baltzeri* Veri iudicii de Catholicismo et Protestantismo conciliandi tentamen. Vratislaviae 1839.

ras ad me missas esse eo magis miror, quum perlatae sint antequam coram nos cognovimus.

Quod ad primarium epistolae tuae argumentum attinet, tibi assevero, me omnia, quae per hos menses hibernos docui, ne minima quidem re excepta, iam saepe docuisse, antequam scirem, vivere Kleeium. Ut tunc, sic etiam nunc personam tuam respicere animus non fuit; sin mea te tangunt, haec culpa mea non est. Discipuli mei aetatem habent, et ipsi pro sese respondebunt, si rogabuntur.

Ad ea, quae iniuriose addidisti, „falsa Berolinum scripta esse, quae qua talia fine suo exciderint,“ satis esse credo, si tibi dico, me falsa nulla Berolinum scripsisse.

Ad eiusmodi litteras posthac tibi non respondebo. Si igitur iterum offenderis — id quod vix vitari poterit, si quae adhuc in scholis exposui offensioni tibi fuerunt —, neque alia ratione rem expedire potueris, optimum facies, si nomen meum ad magistratum praepositum detuleris.

Bonnae d. 25 Nov. 1829.

Cum existimatione tui

Reverentiae tuae

Obediens servus

Hermes.“

Hae res, quae nonnisi signa erant eorum quae circa Hermesium fiebant, hunc summo moerore afficiebant, cum praesertim corpore admodum laboraret. Bonam epistolarum multitudinem in manibus habemus, in quibus magno dolore fortunam conquestus est, quae ordini theologorum Bonnensi et ecclesiae catholicae pararetur. Probe perspexit, quo eiusmodi studia tandem evasura essent, perspexit ab ecclesiae inimicis maius damnum ei non adferri, quam hoc modo ab iis qui vehementer amici eius esse volebant et revera nihil nisi placita Lamennaei aliorumque pro vera catholica doctrina venditabant. Verissimum est quod veterum aliquis dixit: nulli magis religioni catholicae nocuerunt, quam *qui vehementer videri volunt catholici!* Itaque de integro nervos viresque contendit Hermesius et tam fervido studio, tanto splendore lectiones habuit, quanto nunquam ante habuerat. — Sed Hermesius, qui „unis voluntatis suae viribus nondum plane

fractis" tribuit, quod etiamtum lectiones habebat, hos labores tantasque aerumnas, quas continuo expertus est, non diu sustinere poterat; mortuus est d. 26 m. Maii a. 1831: mense Novembri a. 1829 Kleeius Bonnam venerat. —

Etiam post mortem Hermesii species auditoriorum Windischmanni et Kleei primum alia facta non est. Ut alia fieret, una via reliqua erat, auditoria ceterorum omnium, qui easdem res tradebant, claudenda erant. Contigit sane Windischmanno, ut haec via ope archiepiscopi *Clementis Augusti de Droste* revera iniretur. Hoc praemium tulit Windischmannus laborum per tot annos exantlatorum! Studia eius eo acrius exarserant, quo propius ad finem accesserat, atque spes cupiditate admota ita eius animum obcaecaverunt, ut nec iis quidem contentus esset quae archiepiscopus moliebatur. Omnia ei nimis tarde procedebant, ideoque quamcunque occasionem arripuit, qua hunc praesulem ecclesiae ad atrociora propellere posset. *„Homines isti obcaecati"*, hoc de collegis suis Bonnensibus scripsit, *„non nisi nova scelera admittunt, — vitta circa oculos et lorica circa pectus firmiter constricta est."* Nihilominus post eiusmodi graves criminationes, post tantas calumnias semper benedictionem episcopalem sibi ac suis vir religiosissimus rogavit!

Omnia adversus Hermesium eiusque discipulos studia in Windischmanno tanquam in receptaculum confluebant. Quodcunque systema facile tolerabat, uno Hermesiano excepto. *Iarkius* iuris doctor, qui successu minus felici in ordine iurisconsultorum Bonnensium lectiones habere coepit, mox artam cum Windischmanno consuetudinem iunxit. Cum professor *Clemens Augustus de Droste*, qui Hermesium Monasterii Westphalorum audierat, in eodem ordine ius naturale cum plausu et successu doceret, Windischmannus autem easdem scholas bis sine ullo eventu annuntiavisset, Iarkius quem modo nominavimus statim in placita *Drostii* impetum fecit! In epistola d. 28 Martii 1824 scripta Drostius, cum libellum a se editum [1]) mitteret, hac de re sic scripsit: „Clausula praefationis respicit praefationem D. *Iarkii* in hac universitate docentis. Quoniam in praefatione libelli, cuius

---

1) Dissertationes iuridico-philosophicae Clementis Augusti de Droste-Hülshoff. Bonnae apud Marcum 1824.

aliud est argumentum, et quidem censorium puniendi ius apud Romanos, nomen meum non posuit, et ipse illum haud nominavi; non enim ultra progredi volui quam is fecerat. Sed cum vocibus meis verbotenus allegatis ita me designaverit, ut tota universitas intelligere possit, meque tanquam rerum novarum molitorem disbraccatum (sansculotte) coram omnibus proclamaverit, necessarium mihi visum est, saltem id dicere, unde intelligi possit, qua causa et quo iure iste eiusmodi criminationes odio plenas proferat. Fortasse rogabis, quid illum ad hoc impulerit? Nullam ego ei causam suggessi. Alia atque ego sentire, id ei sane licuit, sed quae ipse sentiret tam odiose proferre, ab hoc necessitudo collegarum deterrere eum debuisset."

Cum *Iarkius* posthac ad scrinia sive cancellos civitatis Austriacae adscitus esset, conspiratio Hermesianos persequentium novum et ingens columen nacta est. *Iarkius* interea fidem catholicam adoptaverat, sed priorem suum statum Bonnensem et vetus odium oblivisci neophyta non potuit. Ei sane contigit ternos summae rei praepositos, *Austriacos*, *Romanos*, *Borussicos*, decipere et in errorem inducere, cum his omnibus Hermesianismum tanquam positivis quibuscunque adversum et contrarium designaret, quamquam hoc ipsum Hermesianismi proprium est et fuit, positiva ecclesiae et civitatis tueri et conservare et adversus quascunque doctrinas dissolventes Lamennaei caeterosque rerum publicarum eversores defendere [1]. Mirum foret, si facinus, quale est hoc Iarkianum, cuius consequentiae ecclesiae catholicae per Germaniam perniciosae non diu exspectabuntur, non iam in hac vita a summo moderatore fatorum mundi detegeretur et castigaretur.

Hac rerum conditione et nexu accidit, ut Hermesius et discipuli eius omnino in manus inimicorum traderentur. Responsorum, quae Romae postulabantur, confectio in manus Hermesii inimicorum, qui sui omnino erant impotentes, in iisque Windischmannus, deducebatur. Ex Windischmanniano nonnisi fragmenta nonnulla evulgata sunt, atque haec non sine horrore homines lectitarunt. Sperare licet, totum aliquando editum iri,

---

1) Enixe rogamus, ut de hac re lectores *Personas et status* p. 35 conferant.

ac tum sane plus deprehendemus quam illam iure reprehensam „luxuriem“, quam Maurer-Constantius in epistolis Windischmanni deprehendit. Omnes vero tum Hermesii calamitatem victoriae Windischmanni anteponent, et novo exemplo videbunt, optimum putando quod est rectissimum ad famam et veram gloriam perveniri, non autem imperitorum mentes obcaecando et bonos viros in invidiam adducendo.

Hermesius instrumentum civilis Borussorum potestatis ad evertendam religionem catholicam. — De voce magisterium infallibile in ecclesia. — De Brevis promulgatione.

Quamvis hostili adversus se animo essent factiones Pharisaeorum, Sadducaeorum, Herodianorum, tamen in redemptorem oppugnandum et persequendum conspirabant. Id efficere studebant ut eum interrogationum laqueis irretitum tenerent, ita ut inimicus populi Iudaici aut imperatorum Romanorum esse videretur. „Licetne imperatori Romano vectigal solvere?“ interrogabant. Si respondisset „haud licet“, pro hoste imperii Romani delatus esset; si respondisset „licet“, proditorem patriae religionis denuntiavissent et criminati essent. In eadem lubrica conditione Hermesius constitutus erat. Cum Hermesius civili civitatis potestati parendum esse praecipit, proditor religionis catholicae accusatur; cum causam religionis catholicae tuetur, proditor civitatis arcessitur. Prout expedire visum est, hoc aut illud vitio ei versum est. Perronius pro suo statu Hermesium inimicum ecclesiae catholicae inducit eorumque iudicium sequi videtur, qui Hermesium pro instrumento civilis Borussorum potestatis ad religionem catholicam evertendam habuere.

Nunquam criminatio magis nefaria magisque fundamento destituta in virum honestum prolata est, quam haec est viri innocentissimi qui dies ac noctes de honore ecclesiae cogitavit, qui tempestates saepe pro ea subivit et cum gravissimis eius adversariis dimicavit. Si ullus mortalium detrectasset, eiusmodi instrumentum sese tradere, Hermesius certe detrectaturus erat. Quamcunque sugillationem, quamcunque sollicitationem, sive aper-

tam sive occultam, indignabundus repudiaturus esset. Quamdiu in vivis fuit, eiusmodi tenebricosissima obtrectatio nunquam ex latebris atque ex tenebris erumpere ausa est. Immo rara et bene merita fiducia episcoporum catholicorum ei obtigit, iudicium episcoporum confirmavit clerus, comprobavit universus populus catholicus, ita quidem ut ne ii ipsi qui eum odio habebant ab hoc iudicio palam dissentire ausi sint. Si vero civilis Borussorum potestas Hermesium pro eo instrumento habuisset et usa esset, tum eadem studia eius quovis modo iuvare debuit, tum non eos homines, qualis fuit Kleeius, Bonnam asciscere, eum, ne cum Hermesio proelium iniret omnino prohibere debuit, minime vero omnium Baronem de Droste, cuius indulgentiam in Hermesium nemo mortalium laudavit, ad sedem archiepiscopalem Coloniensem evehere debuit; Hermesium et discipulos eius iis praemiis afficere hisque eas utilitates ac commoda conciliare debuit, quibus adversarius eorum Windischmannus semper gavisus est. Quis enim in Bonnensi universitate tantis beneficiis a summo rerum sacrarum et publicae institutionis in Borussia magistratu affectus est, quantis Windischmannus? Quis tota universitate, sive Hermesianus sive non Hermesianus, sive Catholicus sive Protestans, tamdiu in collegio ad examinandos candidatos constituto fuit quam Windischmannus? Quis saepius remunerationibus auctus est quam Windischmannus taeterrimus Hermesii adversarius?

Hermesius, qui disciplina christiana non ad ostentationem sed ad vitae legem utebatur, tantopere rebus catholicis studebat, tanta aemulatione honorem catholicae doctrinae atque ecclesiae prosequebatur, ut species intolerantiae conciliari ei posset, si singulas res, quibus ecclesiam suam defendit, exposueris. Et Windischmannus? eius omne rerum catholicarum studium in verbis vim habuit, et eo rediit, ut non mediocri hostium rerum catholicarum gaudio Hermesium everteret! Quod autem Hermesium attinet, is tantum aberat, ut imperantibus Borussorum concederet, ut adversus eos sententiam suam aperte et libere tueretur, ubi iure id facere se posse crederet. Immo tanta confidentia, ubi opus erat, illis occucurrit, ut amici eius saepius optarent, ut in hoc genere alia agendi ratione uteretur, quae prudentiae magis consentanea videretur. Argumenta abunde adsunt. Ex multis unum referam.

Ordo theologorum catholicorum Bonnensium formulam statutorum, qua posthac uteretur, ad collegium eorum qui regi sunt a rebus sacris (Ministerium des Kultus) miserat. In admonitionibus huius collegii ad eam expositis una erat, qua hoc collegium — quid exspectas? — num id Hermesium hortabatur, ut doctrinam catholicam etiam liberius doceret, quam adhuc factum esset, num praecipiebat, ut Catholicismum etiam celerius subverteret, quam adhuc fecisset, num laudavit eum propter operam praestitam? — Immo una aderat admonitio, qua hoc collegium sive consiliarius eius catholicus magis etiam catholicus esse voluit, quam ordo theologorum catholicorum! A collegio isto rescriptum est:

> „Semel memorari *magisterium infallibile.* Sed papam et episcopos non esse solos, qui *magisterium* constituerent in ecclesia catholica, etiam sacerdotes et diaconos eo esse referendos. Dein fidem catholicam docere nonnisi *infallibilitatem ecclesiae*, idque non plane idem esse ac magisterium infallibile. Quamvis subtilitates theologicas haud persequi vellet, tamen optari, ut venerabilis ordo theologorum catholicorum in scriptis, quae suo nomine emissurus esset, priscam terminologiam sequeretur, et vocem illam recens repertam, quae pravi intellectus occasionem praebere facile posset, evitaret.“

Iam rursus quid putas ordinem sive eius nomine Hermesium rescripsisse? Num putas illum flexo genu et thure oblato summo magistratui morem gessisse, has admonitiones cum admiratione excepisse, ut neminem offenderet, neminis favorem amitteret? Responsionem eius legas et consideres, annon ea sit multo severior, quam opus erat, annon prorsus aliam rationem monstret, quam insinuavit Perronius!

Ita Hermesius retulit:

> „Summus magistratus in suis ad schema, quo studii theologici cursus descriptus est, admonitionibus, quarum epitome nobiscum communicata est, inter alia significat, a sese vocem „magisterium in ecclesia infallibile“ improbari, atque pluribus de causis ibidem expositis optari, ut ordo ab hac voce in scriptis suo nomine emittendis abstineat. Cum ordo, quod sciat, hac voce in schemate illo omnino non usus sit, hanc admonitionem ad futurum tem-

pus referri credit ideoque etiam graviorem esse existimat: nam fieri nequit, ut theologus catholicus ab hac voce ubique abstineat, quin idem in ignorantiae vel heterodoxiae reprehensionem incidat. Itaque ordini visum est, ne quae posthac facturus est perperam accipiantur, hanc vocem a sese tuendam esse.

In rescripto summi magistratus primum pronuntiatum est, non recte se habere illam vocem „magisterium infallibile." Primum, quod papa et episcopi non soli constituerent magisterium in ecclesia catholica, sed etiam sacerdotes et diaconi eo referri deberent; dein quod fides catholica nonnisi ecclesiae infallibilitatem doceret, quae non omnino eadem esset atque magisterium infallibile.

Ordo ad *prius argumentum* haec responsurus est: hoc argumentum quum ab una parte nimium ab altera minus exhibeat, habere in se ipso, quo ruat: se nolle tamen id copiosius exponere, sed satis videri, si moneat, hic *ordinem* et *munus* promiscue habita esse; — tum vero, etiam si hoc mittatur, fieri posse, ut aliquis ad *magisterium* pertineat, quamvis idem ad *magisterium infallibile* non pertineat, quemadmodum etiam laici ad *ecclesiam* pertinent, quamvis iidem, etiam ex illa assertione quae infallibilitatem summo pontifici et episcopis reservat, ad *ecclesiam infallibilem* non pertineant. Itaque vox *„ecclesia infallibilis"* iuxta illud argumentum minus etiam recte se habere dicenda esset.

Ad alterum argumentum ordo admonet: *infallibilitatem ecclesiae* non minus esse sed plus, quam notione „magisterii infallibilis" contineatur, cum illa vox etiam *infallibilitatem* quam vocant *passivam* atque adeo *infallibilitatem traditionis* comprehendat. Inde consequi, ubi haec omnia *cumulata* significanda sint, ibi *infallibilitatem ecclesiae*, respective *infallibilem ecclesiam* dicendam esse; contra ubique, cum fontes fidei catholicae singuli definiendi sint, *infallibilitatem magisterii in ecclesia*, respective *infallibile in ecclesia magisterium* dicendum esse.

Porro in rescripto summi magistratus vox *„infallibile magisterium"* recens reperta, quaeque pravi intellectus

occasionem facile praebere possit, appellatur, ideoque etiam optatur, ut ordo ab ea abstineat.

Quod attinet ad reprehensionem *novitatis*, ordo admonet, litteras theologorum catholicorum in hanc non consentire. Nam haec vox non solum quinquaginta abhinc annis et amplius in libris dogmaticis theologorum catholicorum obvia est et simul cum *illa* altera „*infallibilis ecclesia*" usurpata est, sed unusquisque huius temporis theologus catholicus, ubi de ecclesia ut peculiari fonte fidei exponit, ad rem suam definiendam et ad ipsam infallibilitatem demonstrandam, vocem „*infallibilis ecclesia*" in hanc „*infallibile magisterium in ecclesia*" disertim aut tacite resolvere solet. Exempl. grat. vid. Stattleri Demonstrat. Cath. Sect. II. cap. IX. Art. I. §. 207 sqq. et de locis theologicis cap. III. Artic. 95, 96 alibi. — Dobmaieri System. Theol. Cath. Tom. IV. pag. 40, 113, 114, 118, 119. — Klüpfelii Institut. Theol. Dogm. P. I. Prolegom. §. LXXIV. — Ziegleri Institut. Theol. Cath. P. I. Tom. I. p. 288, 299, 300. D. alibi. — Brenneri Dogmaticam generalem novae editionis p. 209, 210, 223, 224. Etiam theologi qui ante fuerunt eandem resolverunt si minus in hanc collectivam at in hanc non minus diversam „*Doctores — Pastores — Magistros*", idque necesse erat, si demonstratio eorum stare vellet.

Quod postremo attinet ad *pravum* huius vocis *intellectum, quae facile admitti possit*, ordo profiteri cogitur, se videre non posse, quomodo pravus eius intellectus fieri possit; idemque asseverare potest, adhuc nemini collegarum ipsius exemplum pravi huius intellectus innotuisse. Contra satis constat, hodie in catholicis esse theologos heterodoxos, qui in voce minus praecisa „*infallibilis ecclesia*" et quae respondet „*infallibilitas ecclesiae*" latitare cupiant, quique doctrinam catholicam de *infallibilitate ecclesiae* significatu catholico plane mittant, atque pro ea nonnisi *infallibilem fidem obiectivam sive traditionem nullo eius interprete infallibili* substituant. Propter hos theologus catholicus, qui confessionem suam sincere amplectitur, nostris diebus duplici causa impellitur, ut dogma

suum quam fieri potest certissime pronuntiet. Itaque ordo rogat, ne celsum regis ministerium male vertere velit, si quando ipse data occasione hac tradita et quam maxime definita dicendi consuetudine theologorum catholicorum utetur.

Bonnae d. 20 m. Novembr. 1827.

Hermes
ordinis nomine."

Plura etiam ad Windischmanni adversus Hermesium operam et Hermesii ad civilem Borussorum potestatem rationem declarandam afferre nolumus, praesertim cum ea res in Apologia *Elvenichii*, in *Obeliscis*, in *Adelstani* libro, cui titulus *Germania atque Roma*, et nuper admodum in opere, quod inscriptum est: *Homines et status ex turbis per Borussiam ecclesiastico-politicis*, satis illustrata sit. In hoc libro, quem ultimo loco nominavimus, verissime monetur: „Si Ultramontani affirmare non desinunt, civilem Borussorum potestatem usam esse Hermesianis, nescias quid magis mireris, malitiamne affirmantium an stultitiam credentium." — Atque ipse Perronius p. 32 scribit: „Borussorum civili potestati, ut supra memoravi, ob causas item ante significatas, placere videbatur, quod prodiit decretum, cuius fecimus mentionem: iam enim arma habere videbatur, quibus Hermesianos humiliaret, propterea quod hi optatis eius in negotio mixtorum connubiorum adversati erant. Quamquam haec potestas ob propositum quod persequebatur, decretum s. sedis non publice emittebat, tamen fecit, ut in usum converteretur, cum praeciperet, ut scripta Hermesii ex scholis catholicis removerentur, et professoribus interdiceret, ne in scriptis quidquam docerent, quod eius systemati connexum esset. Eadem insuper professores inspiciendos curavit, ne his iussis adversarentur." Haec Perronii verba digna sunt, quae conferantur iis, quae in *Hominibus et statibus* p. 35 dicta sunt. Plura, quae Perronius modo attulit, iis confirmantur: multa alia quae ibidem pronuntiavit falsa sunt. Hoc ut in lucem producamus, iam nunc minus nobis placet: sed id in aperto est, haec Perronii verba contraria esse proposito, quod is toto libro suo secutus est. Nam quomodo intelligi potest, civilem Borussorum potestatem Hermesianismo

usum esse, ut Catholicismum exstirparet, eandemque omnia molitam esse, quibus Hermesianismum subrueret? — Accusarunt divinum redemptorem, qui Satanae regnum destruxit, daemonia eiicere nomine ac vi Beelzebouli, daemoniorum principis; Hermesium igitur accusatum esse, religionem catholicam quam suo studio et consilio summopere semper tutatus est, evertere conari, id iam mirum videri non potest. Non est enim discipulus super magistrum. „Ecce autem et odio habemur ab omnibus hominibus nominis causa, quomodo et scriptum est, et tradimur etiam a *proximis*, quomodo et scriptum est, et adducimur ad potestates, et interrogamur, et torquemur, et confitemur, et trucidamur, quomodo et scriptum est. Sic Dominus edixit." Tertullianus contra Gnosticos Scorpiace c. 11.

Una res est ad illam calumniam pertinens, quam etiam breviter considerabimus. Dictum est atque publice proclamatum, Hermesianos ubique excusationis causa proferre, Breve damnatorium a civili magistratu publice evulgatum non esse. Sed quid causae, porro colligunt, civilem magistratum impellere potest, ut *placetum regium* recuset, nisi ut Hermesianos tueatur vel favore complectatur?

Sane causae huius recusationis in parte Hermesianorum esse, sed eaedem non minus in parte civilis magistratus et in eius rationibus esse possunt. Quid est, quod priorem opinionem probabilem existimes? Quaecunque adhuc facta sunt, adeo ostendunt, placetum regium propter Hermesianos non esse recusatum, ut eos sine mente et sine oculis vivere oporteat, qui id palam pronuntiare sustinent. Quod pronuntiant, id satis per librum „Homines et status" et ab ipso etiam Perronio mendacii convincitur. Rursus causae, cur civilis potestas hoc placetum recuset, tam aperte in ipsius rationibus sunt, ut non minus mirum sit, eas ibi non videri. Bullae papales atque Brevia non solum in omnibus Theodiscis, sed fere in omnibus Europae civitatibus, antequam evulgentur et admittantur, cum eo qui civitatem regit communicanda sunt, ut placetum suum impertiat. Quis vero regi Borussorum Breve illud evulgandum dedit et commendavit? Curia Romana id non fecit; iam si magistratus Borussorum, neque more solito neque legitime rogatus, nihilominus Breve evulgasset, nonne in suas ipsius rationes peccaturus erat, nonne fa-

cturus erat, quae nullus per Germaniam civilis magistratus unquam facturus est? Austriae imperator Iosephus Bullae *Dominus ac redemptor*, qua ordo Iesuitarum sublatus est, placetum suum non concessit. Sed id ille unis rationibus politicis inductus fecit, nullo profecto Iesuitarum amore. Nam quamquam id Breve rite ut evulgaretur non concedebat, ordo Iesuitarum in eius terris tamen sublatus est.

Sed si verum esset, Hermesianos ea excusatione niti, quod Breve publice non evulgatum sit, num ea re delictum committerent? Non quidem difficile foret ad ostendendum, hoc illis quamvis bonis catholicis, suo iure, si non ubique, certe in hac re licere; sed ut hoc exponere supersedeamus, exemplum quoddam proferemus, quo citius ad id quod nobis propositum est accedamus. Bulla *Dominus ac redemptor*, qua summus pontifex Clemens XIV ordinem Iesuitarum sustulit, non in omnibus civitatibus placetum regium nacta est. Nominatim id recusatum est in Borussia! Iam quid Iesuitae fecerunt? Palam professi sunt, Brevia papalia in iis terris, in quibus non evulgata essent, nulla vi esse; magni aestimaverunt, quod rex Borussorum, quod imperatrix Russorum, quod hi acatholici placetum suum recusaverunt; hodieque voces *Friderici Magni* fere in omnium eorum ore esse solent, qui Iesuitas defendendos in se suscipiunt!

> „Admiror," collega societatis Iesu scribit, „vias providentiae divinae, quae societati suae tam crudeliter a falsis et iniustis catholicis conflictatae apud principes, qui ab ecclesia eorum abhorrent, sustentaculum et praesidium conciliare potuit. Proh pudor, non ecclesiae, quae, ut iam apparuit et magis etiam apparebit, a culpa infinitae huius malitiae libera est, sed istorum nefariorum, qui nomen suum tanto sacrilegio diffamaverunt. Quam pudet videre, innocentiam melius agnosci *Berolini*, *Petroburgi*, quam Romae!" [1])

Quomodocunque de sublato Iesuitarum ordine iudicabitur, id quidem dubitari nequit, inquisitionem illam longe diligentius et circumspectius actitatam esse quam inquisitionem adversus Her-

1) Memoria catholica etc. p. 134.

mesium, neminemque esse in omnibus ordinis Iesuitarum accusatoribus, qui tot mendacia, tot a vero detorta, tot criminationes adversus eos excogitaverit disperseritque, quam unus Perronius adversus Hermesium Hermesianosque fecit. Nihilominus Iesuitis licuit ea loqui, quae modo attulimus. Sed quid tandem dicturi homines essent, si Hermesiani iisdem verbis uterentur? Et tamen hi multo iustius id facere possent quam Iesuitae unquam potuerunt.

Sed quomodo eius ipsius quod affirmant veritas se habet? Num Hermesiani reapse causantur, Breve evulgatum non esse? Equidem omnia quae Hermesiani moliantur cognita non habeo, sed id scio, operam illos omnino perdituros esse, si hoc facerent. Quid enim consequi potest, si civilis potestas placetum suum re vera concedet? Tum episcopis lege *licebit* Breve publice exsequi, sed nihil amplius; nam etiam tum videant episcopi quid faciendum, videant, ne ecclesia et sana doctrina detrimentum capiant, sciant autem, se ita rem suam agere debere, ut coram deo et conscientia sua tueri eam possint. Ac sane tum exspectandum esset, non defore episcopos, qui exemplum episcopi *Polycratis* Ephesii, s. *Cypriani* et tot aliorum Africae episcoporum, et nostra memoria exemplum principis episcopi Eichstadiensis, cum Stattlerus damnaretur [1], imitaturi sint! Sed si episcopus Breve exsequitur, nihil inde consequitur, nisi quod iam exposuimus. Iam vero Hermesiani ante declaraverunt, sese omnia observaturos esse quae Breve praescripsit promissisque religiose sancteque steterunt: itaque promulgatio Brevis, quantum ad ipsum effectum attinet, nullius plane momenti est. Quamobrem si Hermesiani id causarentur, Breve promulgatum non esse, illi haud dubie committerent, quod fine proposito careret, et in hac certe re Hermesiani esse desinerent. Ratio enim praescribit, ut ne id faciamus, cui propositum nihil est. Hoc rerum statu civilem Borussorum potestatem si ii clamatores et specie modesti, re vera novatores, cogere velint, ut placetum suum huic Brevi concedat, ii id agant necesse est, ut ansam habeant civita-

---

1) Conf. Principia iuris canonici scripta a Droste-Hülshoff, tom. II. §. 149. nota 740. praeterea *Damnatio operis Stattleriani*, cui titulus *Demonstratio catholica*. Lucernae 1837.

tis vim infirmandi, infringendi, subvertendi, aut ansam nanciscantur ut eos viros premere, lacerare et persequi possint, quorum unum crimen nomen est, quod ipsi sibi non indiderunt.

Utinam ea quae modo significavimus sufficiant eis, qui nullis praeiudiciis occupati sunt! Apud alios quidem rationes etiam luculentiores, quam quas attulimus, nihil profecturae sunt. „Nam detrahentes,“ s. Gregorius Magnus dicit, „quid aliud faciunt, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram concitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant!“ Sed hos quidem delatores nostros porro *secuturi* sumus, si porro nos *trahent.* Historiae vero harum turbarum reservatum est, ut *totum ac mire implicatum* pessimorum artificiorum rete in lucem protrahat, cuius adhuc nonnisi aliquot fila monstravimus, ut monstret, quo spectaverint spectantque ea quae nomen et speciem rei catholicae iniuste omnino atque nefarie sibi assumunt.

Quomodo Hermesiani post Breve emissum sese gesserint. — Nonnulli eorum Perronio iudice de via declinant. Demonstratur eos egisse secundum praecepta ab ecclesia proposita.

Perronium adhuc usque ad paginam 30 libri eius comitati sumus. Id quidem in aperto est, me secundum ea, quae adhuc expertus sum, sperare non posse, fore ut eius pileo caput meum inseratur, quamvis late pateat is, quem ipse solet gestare. Etiam 19 paginae, spatium sane amplum vastumque, mihi peragrandae restant, antequam ad finem libelli Perroniani veniam. Quis in me moleste ferre potest, si ego, postquam tamdiu et tam asperis tramitibus Perronium comitatus sum, desiderio capior, societatis eius exuendae. Itaque iam cursaturus sum, multos locos praeteribo, ubi plura removenda essent, et nonnisi in singulis rebus immorabor, et praecipue in iis, unde disci aliquid possit. Nam a Perronio multa disci possunt, sed ea conditione necessarie observata, ut de omnibus, quae dicit, dubites, ut in omnibus eum redarguas. A pagina 30 usque ad finem libelli narratur, quomodo Hermesiani post Breve adversus Hermesium emissum

se gesserint. Perronius statim ab initio multa in laudem Hermesianorum profert; testatur, eos bona fide placita Hermesii sectatos esse, nihil quod reprobandum esset in iis vidisse, pluribus in rebus alacre erga ecclesiam studium ostendisse. Has confessiones magni sane aestimaremus, si modo a Perronio non venissent: nam laudari cupimus a laudato viro; pluris faceremus has laudes, si interusurium nobis proficere quidquam posset, quod quaternis vicibus in ipsis debitorum tabulis comparet. Postremo *timendi sunt Danai etiamsi dona ferant.* Eos homines, qui multa in aliis laudant, merita eorum de industria prudenter celebrant, tum vero magna miseratione vitium dolendum, occultum facinus memorant, magis tu caveto, quam certissimum inimicum, qui odii sui et irae habenas laxaverit. „Saepe imitatur mendacium veritatem et nisi habuerit aliquam recti similitudinem, decipere non potest innocentes“ [1]. *Gellertus* eiusmodi elegantissimi calumniatoris imaginem fideliter depinxit [2].

Post has laudes pergit Perronius:

> „Non idem (quid?) dici potest de agendi ratione, quam nonnulli eorum post sententiam a s. sede latam ingressi sunt. Nam postquam a primo terrore respiraverant, plures ex illis laudabili docilitate huic decreto plane sese subiecerunt; ceteri autem vias inierunt tortuosas egeruntque quae poena digna essent. Cum adversariis suis nimis complicati erant et nimis aegre humiliationem ferebant, quam experti sunt, cum doctrinam suam proscriptam viderunt, cuius tam severi vindices fuerant. Animi magnitudo et altitudo, quam Fenelo ostendit, sane apud paucos agnoscitur.“

Haec Perronius; nos primum de „ceteris“ illis, deinceps de „pluribus“ dicemus. Perronius igitur affirmat, eos qui Brevi non plane se subiecissent viam tortuosam inivisse atque egisse quae poena digna essent. Quo iure Perronius hoc dicit? In hac quaestione paulum subsistemus, etiamsi nonnulla repetere cogamur.

---

1) S. Hieronym. in Ierem. c. 13.

2) Vid. *Ingenium elegantissimi calumniatoris* in Operibus Gellerti tom. 7. Similia his lineamenta non minus luculenta Luciani libellus egregius de *Calumnia* continet.

Verum hoc est, libri Hermesii Brevi d. 26 Septembr. et decreto congregationis Indicis in supplementum facto Romae vetiti sunt. Quis iam huius interdicti effectus est? Si omnis effectus hoc interdictum sequitur, qui iuxta voluntatem magistratus interdicentis sequi debet, is eo recurrit, ut nemini catholicorum sine permissione disertim concessa hos libros, neque publice neque privatim, legere liceat. Hoc est, quod Breve papale in causa librorum Hermesii disertim postulat, et hoc omne est, quod in hac re postulat. Hortantur in ipso Brevi magistratus ecclesiastici, ut non solum libros istos a scholis repellant, sed etiam fideles ab iis avertant.

Quae cum ita sint, num Hermesiani, num vel unus ex iis post Breve papale emissum libris Hermesii publice, h. e. in scholis, etiam usus est? Contrarium omnibus satis constat. Num Hermesiani libris Hermesii privatim, permissione ante non impetrata, usi sunt? Hoc est eiusmodi, quod nonnisi ad forum conscientiae adduci possit; neque licuit Perronio hanc ob rem nomen eorum palam deferre, etiamsi constaret, eos sine hac permissione libros illos lectitavisse. Tantum de morali doctrina Christiana ex catechismo scire Perronius debuit. Nonne etiam haec accusatio in omnes fere homines Theodiscos, qui plane non sunt rudes et inurbani, in Franco-Gallos, in Belgas recidet? Nam quot catholici per has terras permissionem sibi dari curant, ut libros prohibitos legere eis liceat? Sed quid de Theodiscis, de Franco-Gallis loquor? Nonne etiam in ipsa urbe Roma plurimi sunt qui libros prohibitos nulla licentia eos legendi impetrata legunt? Et his ipsis diebus publicis diurnis Theodiscis relatum legimus in ipsa urbe Roma libros prohibitos publice prostare, publice auctionibus vendi? Nonne in Italia ipsa et statuae et monumenta eorum virorum, quorum libri prohibiti sunt, Macchiavellii, Galileii aliorumque in ipsis ecclesiis catholicis conspiciuntur? Quid igitur existimandum est de illo quod crepat Perronius, exceptis nonnullis Hermesianis ceteros de via declinasse et fecisse, quae poena digna essent? Haec assertio nihil est nisi levis et omnibus moralis doctrinae Christianae praeceptis contraria suspicio, illiberalis calumnia, calumnia quae eo magis poena digna et nefaria est, cum eo tempore palam prolata sit, quo animi commoti sint et ad circumspectam explorationem non satis apti videantur.

Sed etiamsi ponamus, Hermesianos libris Hermesii, cum Romae iam vetiti essent, etiamtum in scholis usos esse, vel tunc sua affirmatione Perronius Hermesianos calumniatus est, eosdemque vel tunc calumniatus est, si Index Romanus per Germaniam promulgatus et receptus esset, quamvis contrarium constet. Nam praeceptio, ne scripta Hermesiana in praelectionibus suis adhiberent, haec praeceptio iuxta politiam ecclesiasticam nonnisi ab episcopis et ordinariatibus suis ad illos pervenire potuit. Qui hoc negat, is vitam et constitutionem tollit, qua ecclesia catholica tenetur et conservatur, isque, si constare sibi voluerit, totam ecclesiam Franco-Gallicam pro secta habere cogetur. Et quid causae est, cur Gregorius XVI episcopos, ordinariatus in illo Brevi hortetur, videant ne scripta Hermesiana neque publice neque privatim adhibeantur? Mirum sane videtur, eos ipsos, qui defensores Brevis haberi se volunt, quovis gradu in illud et simul in ius et aequitatem offendere. — Breve sane diurnis promulgatum est. Sed quae non diurnis et publicis actis promulgantur, quot mendacia, quot falsa documenta? In Franco-Gallia lex praescribit, ne quod Breve, ne qua Bulla episcopis non consentientibus legis valorem nanciscatur. Quot constitutiones concilii Tridentini sunt, quae iam per tria fere saecula in Germania et Franco-Gallia notae sunt, neque adhuc ullam legis vim adsecutae sunt? Encyclica papae Gregorii XVI, qua systema Lamennaei condemnatur, in Belgis, quamvis nota omnibus esset, nonnisi ab episcopo Brugensi promulgata est, dum omnibus ceteris Belgarum episcopis idem facere non visum est. Nemo ex episcopis Theodiscis, ne archiepiscopus quidem Coloniensis Clemens Augustus de Droste, legitimam promulgationem Brevis de quo loquimur exsecutus est, neque eos, quos scholae Hermesianae addictos constabat, quique uni scriptis Hermesianis publice uti possent, ne verbo quidem, ea via quae legitima est quamque ius canonicum praescribit, de hoc interdicto certiores fecit!

Itaque Hermesiani Brevi papali tantopere obsecuti sunt, quantopere in simili causa usu evenisse vix adprobabitur. Dum nulla praescripta legitima hoc postulabant, dum ab ordinariis hoc non rogabantur, suo ipsorum impulsu, simulatque Breve papale emissum esse cognovissent, *obsequium suum litteris missis ordi-*

nariis suis significaverunt. Quae omnia copiosissimis documentis in volumine secundo probata sunt. Quid autem in similibus causis, veluti post damnationem scriptorum *Stattleri,* in Germania factum est? Haec scripta, ut supra vidimus, etiam post condemnationem eorum magni aestimata sunt, in scholis permanserunt, neque defuerunt ordinariatus, qui eorum lectionem semper commendarent! Quanquam historia ecclesiastica *Dannemayri* in Indice perscripta est, hoc libro tamen in pluribus universitatibus, veluti in Vindobonnensi et Giessensi, in seminario Trevirensi, pro compendio usi sunt, et nunquam doctoribus, qui eo duce praecepta dederant, neque discipulis, qui inde didicerant, accidit, ut eo nomine in suspicionem aut in iudicium adducerentur. Quanquam scripta quaedam *Arigleri* praepositi Austriaci Göttwigensis, episcopi St. Hippolyti, professoris *Hirscheri* Friburgensis in Indice comparent, nihilominus tantum abest, ut viri illi a cotholicis magnopere aestimati in Germania in heterodoxiae suspicionem venerint aut persecutiones perpessi sint, ut res ipsa plerisque ignota sit.

Sed quid tandem est, quod Perronius ultra ab Hermesianis postulat? Plus ille postulat, quam in iis causis expostulatum est, quas supra memoravimus; plus, quam ipsum Breve, ille postulat: hoc scilicet, ut Hermesiani a scriptis Hermesii non solum abstineant, ut non solum doctrinas a s. patre condemnatas condemnent, sed etiam fateantur, has doctrinas condemnatas re vera in scriptis Hermesii inesse, Hermesium eas professum esse, denique plane fateantur, a Perronio Hermesium recte intellectum esse illumque de Hermesio veram sententiam dixisse. Hoc autem est illud, quod Hermesiani fateri nolunt et ob eam unam causam fateri nolunt, quia id fateri non possunt, quin suam ipsorum conscientiam offendant, quin calumniae et simulationis turpissimo crimine sese arcessant.

> „Doctrinae rationem a s. patre condemnatam una cum omnibus eius tumoribus ecclesiae inimicis, quocunque tandem nomine designantur aut designabuntur, condemnatione utique dignam esse largissime agnoscimus, iidem autem contrarium esse et conscientiae nostrae et ipsis ecclesiae rationibus probe a nobis intellectis videmus, ut illam tamquam nostram admittamus et patiamur, neque minus cum morum probitate pugnare existimamus, si tale

quid a nobis postulare homines velint et ob Breve a papa emissum nos coacturi sint, ut simulationi atque iniuriae adversus virum vita defunctum operam demus“ [1]).

Haec Baltzeri theologi Vratislaviensis professio est, cui quisque Hermesianus assentiri debet et tamdiu reapse assentietur, donec simulationi operam dare coeperit. Sed peccabuntne Hermesiani, si damnatis Hermesii libris singula placita quae in eis continentur defendant? Utique si Perronium audimus. Ut vero quid in hac re licitum sit, quid non clare perspiciamus, Muratorius ingentis spiritus vir procedat, qui quid sit doctrina catholica quidque ab eo differat accuratissime definivit.

„Quid? si eos divexare velimus, qui in opinionibus aut Philosophicis, aut Historicis, aut Astronomicis, aut etiam Theologicis, sed nondum ab Ecclesia, sive a Romanis Pontificibus, sive a Concilio quopiam proscriptis, errare nobis videntur? Facile contra ius, nedum contra Caritatem, haec agendi ratio pugnabit. Numquid enim tua opinio, ab illorum opinione diversa, ideo verior, et sanior est, quia tu potentior, quam illi? Ne tu quidem, ut puto, id arbitreris. Sola divinarum Scripturarum, et Ecclesiae mens cognita facere potest, ut tu de veritate sententiae tuae, illi de errore suo certi sitis. At quum non illi minus, quam tu, contendant, opiniones suas consentire cum sacrarum Litterarum, et Ecclesiae Doctrina; quumque Ecclesia, uti praedixi, mentem suam nondum heic explicuerit: propterea huiusmodi opinionum propugnatio nondum crimen evasit, poenis, et carcere exagitandum. Quis enim te certum facit, Ecclesiam contra illos potius, quam contra te, esse aliquando pronuntiaturam? Et ii quidem fortassis in errore versentur. Sed quamdiu latet Ecclesiae oraculum, eique parere, ac cedere, simul ac prodeat, paratissimi sunt homines: ab officio veri, et obsequentis Christiani minime per alios disceditur; et apud Deum non peccatur; et error ille (materialis, ut ita dicam, non vero formalis) nondum carceribus, aliisve cor-

1) v. Commentatio de conaminibus in diurnis ecclesiasticis Schafnaburgensium, sive declaratio publica professoris D. Baltzeri Vratislaviensis. Osnabrugae 1836.

poreis incommodis castigandus erit. Quamobrem, ut non audeam quascumque Cartesii opiniones Theologiae Catholicae consonas appellare, multoque minus praestare; attamen quum hoc ille, eiusque asseclae, sibi persuadeant, et suis etiam rationibus ostendere conentur, vix intelligerem, cur adversus eos rigorem adhibere placeret, priusquam Ecclesia opiniones huiusmodi suo decreto proscripserit, atque damnarit. Utique Cartesii Libros nonnullos tum Romanus Pontifex, tum Academiae quaedam nigro theta confixae sunt. Sed numquid haeresibus scatent, quicumque Libri configuntur? Num sententiae omnes, quas Cartesius literis consignavit, errorem, ac haeresim sapiunt, ut singulas abominari, ac reiicere sit opus? Quum hoc a Fidelibus Ecclesia expetit, solet sententias, sigillatim enuntiatas, haeresis, aut falsitatis damnare. Antequam damnet, earum patronis bona fides eripi non potest, dum tamen opiniones tueantur re vera dubias, hoc est, nondum definitas, et e definitis aperte non effluentes, et in iis tuendis se ab Ecclesia dissentire non putent. Neque privatorum obiurgationes facere possunt, ut bonae fidei privilegia in ipsis cessent; multoque minus, quum suspicio adest, ne privati homines ad eas opiniones damnandas ferantur amore potius privatae cuiuspiam Scholae, quam certa cognitione Veritatis, quae adhuc latet, sive fiducia proferendi ab Ecclesia decreti. Locum heic habere possunt, quae de Aristotelis fortuna in Christianorum Scholis apud Veteres feruntur, et quae olim contigere in celebri controversia *de divinis Auxiliis* et *de Scientia media*" [1]).

Quo ista pertineant vides; quare ad Baltzeri professionem a nobis supra allatam redeamus. Num Hermesiani in ullam praeceptionem ecclesiasticam offendunt, si detrectant, atque sincera persuasione, nulla habita ratione laudis aut reprehensionis, neglectionis sui aut promotionis, hoc confiteri detrectant?

Eos non in ipsum Breve offendere, facile videbit quicunque Breve relegerit. Iidem non offendunt in id quod vult s. pater, is enim saepius professus est, sese Breve emisisse confisum excerptis cum eo communicatis; in illis excerptis errores fuisse;

---

1) Muratorii de ingenior. moderat lib. II. c. XIII.

quodsi errores illi in Hermesii libris non contineantur, rem melius etiam se habere [1]. Hanc suam sententiam s. pater manifesto confirmavit eo, quod *Acta Hermesiana*, quae nihil aliud sequuntur, nisi ut demonstrent, in libris Hermesianis eas doctrinas *non* inesse, quae Romae eius nomine condemnatae sunt, tam benevole suscepit, ut ad auctorem adeo benedictionem suam miserit. S. pater sane secundum ingenium doctrinae Christianae, secundum mentem politiae ecclesiasticae et dixit et egit.

„Nil igitur mirum" inquit Muratorius „si, uti quibusdam exemplis supra ostendimus, huiusmodi iudicia iterum institui, et retractari, et mutari Ecclesia patiatur. Immo cuicumque modeste curanti, ut Auctorem quempiam damnatum ab erroribus purget, succensere Ecclesia minime consuevit; quum suae esse pietatis ducat, omnibus filiis suis quocumque tempore locum vindicandae innocentiae relinquere, dummodo scandala evitentur, et qui patroni munere funguntur, non sententias Auctoribus tributas, et ab Ecclesia proscriptas, tueri; sed Auctores tantummodo ab erroribus, quibus inquinati credebantur, liberare contendant. Sic Originem, Theodoretum, Abellardum, Gothescalchum, Abbatem Ioachimum, aliosque, in ipsis etiam Generalibus Conciliis damnatos, sacrilegium non fuit pro viribus tueri. Atque utinam nullum vere Haereticum umquam habuissemus. Quosdam contra aut absolutos, aut innocentes proclamatos, re melius comperta, novis percutere censuris in more fuit. Illustria sunt, et huc revocari iure possunt Innocentii III verba in Cap. *A nobis*, de sententia Excommunicat. *Iudicium Dei veritati, quae non fallit, nec fallitur, semper innititur; iudicium autem Ecclesiae nonnunquam opinionem sequitur*, (in definitionibus nempe Factorum; nam quae ad Dogma, et Fidem spectant, Veritate divina iam revelata innituntur) *quam et fallere saepe contingit, et falli. Propter quod contingit interdum, ut, qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: et, qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innotatus*" [2].

---

1) v. liber cui index: Hermesiani in urbe Roma, sive Variationes ad Acta Romana, p. 16 sq.

2) v. Muratorium l. l. l. I. c. XIX.

Vera haec esse spondet vel ipsum Muratorii nomen apud eos qui praeiudiciis non occupati sunt. Sed exempla luculentius arguunt, quam considerationes universe propositae; quamobrem ea etiam ad rem nostram probandam producemus.

„Age“, Muratorius scribere pergit, „nonnulla in hanc rem proferamus exempla, quum et plura, et illustria, et obvia sint passim. Primo, in iudicandis personis ita se Apostolica Sedes, et Concilia, et Catholici semper gessere, ut iudicia sua non arbitrarentur, aut esse vellent paria auctoritati, atque immobilitati divini Verbi. Nam et ea ad incudem rursus revocari, atque emendari siverunt, et melioribus documentis allatis, ad diversas a prioribus abiere sententias. Paulus Samosatenus in primo Antiocheno Concilio absolutus, in altero damnatus est. Arius ipse, et Ariani, post eorum damnationem a Nicaeno Concilio promulgatam, innocentes quodammodo declarati sunt, et in communionem restituti, id tolerante Ecclesia. Innocentiam Athanasii, Marcelli Ancyrani, Iulius Romanus Pontifex, et Sardicense Concilium statuerant; eorum tamen caussas iterum expendi Patres, summique etiam Pontifices passi sunt. Marcellum reum esse, atque Haereticum, illustres Viri postea contenderunt, et in primis Basilius Magnus. Neque minus celebris fuit Caeciliani Carthaginensis Episcopi caussa. Lis eidem contra accusatores Donatistas adiudicata fuerat in Romano Concilio, praesidente Melchiade. Obtinuerunt victae partis querimoniae, et accusationes, ut in amplissimo Arelatensi Concilio rursus audirentur; et quamquam pari successu pro Caeciliano pronuntiatum et ibi fuerit, adhuc tamen non recusarunt Africani Patres, ut eadem caussa denuo Carthagine pertractaretur, damnaturi vel post mortem Caecilianum, si crimina opposita vera deprehenderentur. Cur non memorem Zosimi, Romani Pontificis acta, qui a Pelagio, Haeresiarcha circumventus, in ipsius auxilium, et pro illius innocentia, ad Africanos Episcopos rescripsit? Theodoretum, Ibam Theodorum Mopsuestenum, Gothescalchum, aliosque celebres Viros in quibusdam Conciliis damnatos, in aliis absolutos legimus, ut iam patere possit, Concilia, et Ecclesiam in huiusmodi

factis definiendis neque imperare velle, neque exigere posse certissimum a nobis Fidei divinae assensum" [1].

Haec Muratorius: nos exempla quae sequuntur addemus.

Dionysius episcopus Alexandrinus in libro adversus *Sabellianos* placita exposuerat, quibus in suspicionem incidit, eum diversis erroribus indulgere. Relata est res ad Romanum pontificem. Is circa annum 260 concilio convocato, placita Dionysii una cum erroribus Sabellii condemnavit. Quid iam Dionysius? Num tacuit, num sententia summi pontificis et concilii acquievit? Minime omnium, immo scriptis de hac causa editis ipsum sese defendit atque ostendit, doctrinas, quas summus pontifex ei tribuisset, suas non esse; queritur, delatores suos *quae ipse docuisset non integra sed manca detulisse*, *eosdem non sincere et probe sed malitiose egisse atque dixisse quae libido ingessisset* [2]. Num *Dionysius*, qui eadem prorsus conditione erat, qua sunt Hermesiani, *a via declinavit, num commisit quae poena digna essent?* S. Athanasio quidem ille nihil eiusmodi fecisse videtur: is enim, quanquam exstabat condemnatio papalis, peculiari epistola monstravit, Dionysium nullos errores professum esse; neque vero ecclesiae catholicae ille visus est hoc fecisse: nam ea Dionysium in numerum sanctorum cooptavit. Perronius, qui Dionysium item in numero sanctorum in dogmatica sua memoravit, is si sibi constare velit, hanc appellationem retractare debebit et Dionysium eum denotare, qui vias tortuosas ingressus fuerit atque commiserit quae poena digna essent.

Quanquam plurima antiquitatis exempla adsint, quum ea quae adhuc in medium prolata sunt, rem omnem absolvere videantur, unum ex plurimis quod ad seriorem aetatem pertinet afferremus, et quidem tale quo ad cunabula ecclesiae catholicae Theodiscae deducimur.

Inter eos qui s. Bonifacio, Germanorum apostolo, multas animi aegritudines pararunt, eminent *Clemens* et *Adelbertus*, quo-

---

1) l. l. c. XVI.

2) v. S. Athanasii Epistol. de sententia Dionysii p. 253 Oper. tom. I. P. I. *ἔπειτα αἰτιᾶται τοὺς κατειπόντας αὐτοῦ ὡς μὴ ὁλοκλήρους λέγοντας, ἀλλὰ περικόπτοντας αὐτοῦ τὰς λέξεις, καὶ ὡς μὴ καλῇ συνειδήσει, ἀλλὰ πονηρᾷ λαλοῦντας ὡς θέλουσι.*

rum unus schismaticus alter fanaticus erat. Ii autem non ab occulto quodam delatore, sed ab ipso Bonifacio apud Zachariam summum pontificem accusantur. Concilium Romae habetur, iubetque summus pontifex in eorum doctrinam inquiri, eaque damnatur. Nec sic causa finita est. Nam etiamsi illi in ipsa Urbe solenniter essent condemnati, summus tamen pontifex deinceps iussit, ut in concilio Francico causa de integro in examen vocaretur; atque si etiam ibi de ea transigi non posset, rursus eam Romae esse examinandam. Neque haec a dignitate sua aliena esse putavit. Scripsit in hunc modum summus pontifex Zacharias: „Et dum hac de re fuerit congregatum Concilium, ad medium deducantur sacrilegi illi et contumaces Adelbertus et Godalsacius et Clemens exepiscopi, ut eorum denuo *subtili indagatione cribretur* causa. — — — Sin autem in superbia persliterint, contumaciter proclamantes, se reos non esse, tunc cum probatissimis atque prudentissimis socerdotibus duobus aut tribus praedictos ad nos dirigatis viros, ut *profunda inquisitione coram sede apostolica eorum inquiratur causa* et iuxta quod meruerint finem suscipiant“ 1).

Num igitur Perronius etiamnum iure scribere videtur, Hermesianos vias tortuosas iniisse et commisisse quae poena digna essent? Sane si hoc ita est, tum omnes illi, quos modo vidimus, summi pontifices etiam atque concilia a recta via declinaverunt et commiserunt quae poena digna essent. Nam quae a summis pontificibus conciliisque iam inquisita erant, quae a summis pontificibus conciliisque iam iudicata erant, de integro ad examen vocarunt, iidemque culpae et facinoris eorum, qui novam inquisitionem postulabant, societatem inierunt! Nam si pugnat cum doctrina catholica novam inquisitionem flagitare, eam concedere cum eadem doctrina pugnet necesse est. Quodsi Hermesiani a recta via declinaverunt et quae poena digna essent commiserunt, idem dicendum erit de summis theologis, qui Origenem quamvis a concilio oecumenico condemnatum defenderunt, *Sixtus Senensis*, *Picus Mirandulanus*, *Genebrardus*, *Halloixius* societatis Iesu theologus, *Ioh. Adamus Moehlerus*, hi omnes a recta via declinaverunt et commiserunt quae poena digna essent.

---

1) Epistol. S. Bonifacii, epist. 74 edit. Würdtwein.

Episcopus *Agobardus Lugdunensis*, *Petavius* et *Sirmondus* clarissimi societatis Iesu theologi a recta via declinaverunt atque commiserunt quae poena digna essent, cum scripta Theodoreti quamvis a concilio oecumenico condemnata defenderunt. Fuit adeo tempus, quo totum collegium eminentissimorum cardinalium a recta via declinavit et commisit quae poena digna essent, tunc scilicet cum iniquum ei visum est, opera Bellarmini in Indicem librorum prohibitorum relata esse, cumque id egerunt, ut inde tollerentur. Non solum singuli illi viri docti, cardinales illi eminentissimi, omnes catholici, qui aliqua humanitate sunt exculti et recentiore aetate prae ceteris censores Romani, a recta via declinaverunt, et quae poena digna sint committunt, cum ii item atque *Galileius* credunt, cum publice Romae doceri perhibetur, terram moveri atque circum se ipsam revolvi, quamquam haec opinio *Galilei* proscripta atque condemnata est!

Itaque in parte Hermesianorum auctoritas est conciliorum oecumenicorum, multorum summorum pontificum, exemplum celebratissimorum theologorum, dum illi ex animi sui sententia hoc tuentur, non inesse libris Hermesii placita illa, quae condemnata sunt. Cur igitur adversarii Hermesianorum hanc confessionem tantopere deposcere pergunt? Errores illi in libris Hermesii sive insunt sive non insunt, ea res profecto nihil attinet ad dogma catholicum. Quemadmodum globus terrae legi naturae obediens quotidiano cursu circum se ipsum fertur, quidquid de ea re docuerit Galileius et quidquid in Galileio damnaverit congregatio s. inquisitionis, ita stant fixa et firma dogmata catholica, quidquid in Hermesii libris continetur. Alia igitur causa videtur subesse, cur expostulatio ista non remittatur, quam sincerum studium sustentandae defendendaeque fidei catholicae. Et sic ea res proh dolor est...

In primis delatorum, interpretum, responsa ferentium cum plurimis suis familiaribus, denique omnium, qui eam rem agere et adiuvare conati sunt, aperte interest, ut haec postulatio teneatur. Illi enim se nihil peccasse, omnia recte accepisse, vera ad s. patrem denuntiasse videri volunt. Hi illi sunt, qui, postquam vicum, quem lumine perlustrare se velle vociferabantur incenderunt, et iam nihil agunt nisi ut ipsi salvi sint et securi. Sua res est, res horum sociorum atque administrorum quam tanto

studio, tanta vehementia tuentur. Sua ipsorum causa est, unde causam s. sedis procudere volunt. Illi sunt, qui pone s. sedem latitare cupiunt, ne ipsorum inscitia, ne ipsorum stultitia, ne ipsorum turpissimae artes in lucem protrahantur; illi sunt, qui s. sedem ubique obiiciunt, ut verbera iustitiae punientis, quibus alioqui sine dubio peterentur, eludant.

Adstant his alii viri, qui gloriam dei et causam sacrosanctae ecclesiae catholicae semper ore promptam habent, sed semper nonnisi suam causam, sua ipsorum commoda, suam ipsorum gloriam respiciunt, qui, quemadmodum Ludovicus XIV dixit, „civitas, id ego sum," ecclesia, id nos sumus quanquam non disertis verbis enuntiant, tamen tacite secum cogitant; quorum iactatio mirabiliter cum vita pugnat, quorumque vociferationes sine ullo effectu evanescunt, si quid incommodi accipiendum, si cuius gratia in quam irrepserunt excidendi adest periculum, si non statim praemia percipiuntur — „gens mercenariorum ad omnem auram spei mobilis atque perfida." Quibus iuncti sunt ii, qui alia in speciem praeferentes nihil moliuntur, nisi ut civitatis formae mutentur, ut omnium rerum potestas ad unum populum perveniat.

Sed in ecclesia semper fuerunt, qui eo loco, quo positi essent, haud contenti essent, qui orbem, quem facultas ingenii ipsorum et rerum status determinassent, egredi cuperent. Contentiones ob dignitatis ordinem susceptae iam inter primos Christianos obtinuisse memorantur. Iam discipuli apostolorum adversus vehementissimos ambitionis affectus in ecclesiis nonnullis pugnare cogebantur. Iam *Clemens Romanus* scripsit ad Corinthios, ubi pauci quidam, invidia et livore incitati, magnas controversias ac simultates provocaverant et legitimos sacerdotes expulerant.

> „Turpia sunt, dilecti, ac valde turpia, et Christiana conversatione indigna, audiri, firmissimam et antiquam Corinthiorum Ecclesiam, propter unum aut alterum hominem contra presbyteros seditionem movere." Et paulo ante „Beati presbyteri, viam prius emensi, qui fructuosam perfectamque consecuti sunt dissolutionem: non enim verentur ne quis eos transferat de loco ipsis constituto" [1]).

1) Clem. Roman. ad Corinthios Epist. I. c. 48 et c. 44.

Ut aerugo ferro inhaerescit, ut tenebrae post lucem sequuntur, sic invidia et livor per historiam religionis Christianae grassatur, atque homines, quales fuere *Clemens Romanus*, *Augustinus, Hieronymus, Isidorus Pelusiota, Petrus Damiani, Bernardus* aliique hanc pestem societatis humanae tota vi certissimae persuasionis suae et eloquentiae impugnaverunt, quanquam radices eius in cuiusvis hominis animo latitantes evellere non potuerunt. Iam ut ii, qui eiusmodi causis impulsi in causa Hermesiana adhuc operam dederunt, cum post tot labores finem fere assecuti videntur, subito pretium studiorum suorum laborumque exantlatorum e manu sua mittunt, hoc impotentiae et cupiditati humanae nimis contrarium est, quam ut id exspectare possimus. Quodsi Hermesium heterodoxiae accusare tunc potuerunt, cum omnes eius causae favebant, cur iam opus inchoatum non continuent, cum Brevi inniti possint? Nonne memorabile videtur, eum ipsum, qui novam vitae agendae rationem, qui latissimas spes concussa aliqua Hermesianorum statione superstruebat, qui eandem ob causam nihil magis exoptavit — o tempora o mores Christiani! — quam ut Hermesiani citius melius ab ecclesia deficerent, hunc ipsum satiari non posse, quominus in *diurnis historico-politicis* Monacensium, in libellis *Manzianis*, in *cursore Francico* cet. *sectatorum* nomen Hermesianis imponat, — aliumque Choragum, qui criminando increvit, qui occulto professores, canonicos capitulares denuntiavit — — iam operam suam, quam christianam iactat, adversus Hermesianos insumere? iam vero tota ista caterva hosce choragos sectantium! Largissima sane morum describendorum materia, si quidem mores appellare velis, si quis nullos habet.

Doctrinam talem, qualis est quae Lamennaeum auctorem habet, quae et palam et clam per Germaniam dispersa est, tantum, quantum potest, emolumentum petere ex Brevi papali, edito adversus huiusmodi systema, quod semper illi doctrinae restitit, id per se apertum est, id ex solito rerum humanarum decursu facile intelligitur. Sed principia Lamennaeia per Franco-Galliam nondum satis disseminata erant et explicata, deerat etiam tum systema theologicum, quod locum „*inanis systematis*" veteris disciplinae theologicae occuparet, quale per saecula „*sceptro plumbeo*" in ecclesia dominatum erat. Magister scholae vates veris-

simus, futuram aedificationem huius systematis praedixerat; Kleeius autem tum Bonnensis *dogmaticam suam catholicam* procreavit, ac revera impletum erat quod magnus ille magister Franco-Gallicus vaticinatus erat. Is propositum suum ea doctrina exsecutus est, quae diligentiam Theodiscam a levitate Franco-Gallica semper distinxit. Is ad radices idearum Lamennaei penetravit; is eas in calido fertilique pantheismi solo eo fundamento circumdedit, quo opus esset, ut in terra Theodisca servari et pullulare possent; quo factum est, ut haec doctrina varie inflexa et mixta diffundatur, veluti nova et vegeta planta serpet, atque radices suas iam usque ad tenuissimas venas dogmatis catholici egerit. Adolescentuli primis theologiae rudimentis instituti contemptu veteris theologiae implentur; ea iam palam et ipsis verbis Lamennaei tanquam *inanis*, *vana*, *exilis et ieiuna* infamatur, quique ista catholica scientia innutriti sunt et educati, iam aperte coram praepositis loquuntur deum immanentem, deum qui nullas proprietates habeat, deum qui nihil sit quia omnia, atque sic per amplas longasque ambages id efficitur, quod recta via Windischmannus efficere non potuit: terra liberatur a *ieiuna* illa theologia, quae *deum persona carentem* recusat. Contra eiusmodi theologiam, si aperte prodiret, conscientia christiana omnibus modis pugnaret, aditus ab ecclesia ei intercluderetur. Sed ecce ista theologia Breve papale in Hermesium emissum arripit altaque manu tollit, hoc, ista clamat, sese tueri velle, atque statim ianuae ecclesiae illi aperiuntur, ac dum fideles Breve suspiciunt, *ingens Pan* intro se corripuit et sedem in altari quod uni vero et immortali deo Christianorum consecratum est occupavit. Eius oracula, quae tempore Iesu Christi obmutuerunt, in eo sunt, ut deuuo vocem audacter rumpant! Hieronymus tempus fuisse tradit, quo catholica universitas stupuisset, cum subito intellexisset, Arianos ex sese factos esse! Quantum temporis interponetur, donec *catholica* Germania agnoscat, sese *pantheismo* addictam esse?

Sed quantae sunt repugnantiae, quibus hi adversarii Hermesianorum et falsi defensores Brevis circumveniuntur? Scilicet opera *Scoti Erigenae* pantheismum sectantis Monasterii Westphalorum denuo ab his eduntur, ubique celebrantur, placita in iis tradita in scholis theologicis scriptisque exponuntur, quamvis

Erigenae liber *de divisione naturae* a duobus papis, Leone IX et Honorio III, ut *„scatens vermibus haereticae pravitatis“* damnatus et combustus sit. Cur igitur in hac causa summi pontificis iudicium non defendunt? Propter nullam aliam causam, quam quod Erigenae mundus nihil videtur nisi necessaria manifestatio absoluti, quod quidem, ut deus *Kleeianus*, remotum est ab omni idea, omnibus attributis, omni cognitione, quod ipsum sese non comprehendit neque intelligi potest nisi in forma illa, qua fit manifestum; propter nullam aliam causam, quam quod *Scotus Erigena* docet *Omnia esse Deum, et Deum esse omnia — Deum esse omnium factorem, et in omnibus factum* [1]; denique quod *Erigena* purum putum *pantheismum* amplectitur.

Omnino clamores isti, quos ambitio insatiabilis, quos praeiudiciis occupati et obcoecati sustulerunt, nonnullos etiam homines, qui causam ecclesiae catholicae sincere amplectuntur, commoverunt et sollicitudines eis iniecerunt, idque ex ipsa rerum condicione facile intelligitur. Sed hi, quemadmodum viros praeiudiciis liberos et veritatis amantes decet, veriora se edoceri operam dederunt et, simulatque verum rei statum et ecclesiae doctrinam de his quae in quaestione versantur perspexerant, animi quietem recuperaverunt, et vana in Hermesianos suspicio illis evanuit et nihil nisi dolor ob turbas hasce luctuosas in animo resedit.

Iam nos convertimus ad „Nonnullos illos, qui, postquam a primo timore respiraverant, laudabili obsequio decreto illi sese omnino subiecerunt.“

Perronius causis ex animo humano repetitis explicare studet et quae Nonnulli fecerunt, qui plane sese subiecerunt, et quae Ceteri, qui a recta via declinaverunt. Quod illi non statim sese subiecerunt, eius causam ex terrore, hi quod a recta via declinaverunt, eius causam ex humilitatis defectu repetit. Quo iure hanc explicationem proposuit? Unde scit, humilitatis defectum in causa fuisse, cur hi non ita sese subiecerint, ut vult Perronius? *De internis non iudicat praetor.* Nos, qui perbene et ex parte optime cognitum habemus, quo animo sint „ceteri,“ quasque actionum suarum causas in hac re sequuti sint, hoc scimus, causam a Perronio indicatam non esse, cur ab eo, quod iste

1) Cf. Brucker hist. philos. t. III. p. 621.

vult, refugiant, immo nullam subesse causam nisi hanc, ut ne falsum testimonium dicant, hanc esse, quae agendi normam illis praescribat. Verba s. Hieronymi sua faciunt:

„Tu testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renum et cordis, non ideo me negare velle, ne peream, sed ideo mentiri nolle ne peccem“ [1]).

Scilicet ab iis inter alia poscitur, ut confiteantur, Hermesium docuisse „rationem principem normam atque unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem.“ Quippe hoc Hermesium docuisse, hoc in libris Hermesianis inesse dicunt, id iis inesse ut Hermesiani testes sint, postulatur! Videamus an quod postulant, praestari possit. In manus ego sumo primum volumen Dogmaticae, ut evolvatur facio. Ecce pagina 20 sponte sese mihi offert, in eaque haec scripta lego:

„*Perspicere* doctrinam non habeo necessum, at hoc necesse est, ut eam argumentis probem sive ut argumentis mihi probata sit, siquidem credam, nam sine argumentis credere non possum, nisi rationem meam abiicere velim. Sed si *Iesus est legatus Dei*, qualem, id quod etiam dicit s. Petrus, se comprobavit, omnia vera sunt quae ut legatus Dei docuit, etiam hoc, *ipsum filium esse Dei.* Iam non opus est, ut etiam alio modo unumquodque dogma probemus, nedum ut perspiciamus. Dummodo hoc monstratum sit, dogma a Iesu Christo traditum esse; ob hanc ipsam causam verum id esse statuere et credere debemus, quod Iesus, qui ut *legatus Dei* probatus est, cuius proinde doctrina *ipsius Dei doctrina* est, eam docuit.“

Quae cum ita sunt, nihilominus ut subscribam postulabitur, Hermesium id egisse, ut omnia dogmata Christiana ex sola ratione deduceret sive *a priori* construeret. Verba illa rursus ego lego, oculos intendo, litteras denuo perlustro; nihilominus ut subscribam postulatur, scriptum esse quod scriptum non est!

Iam librum eundem iterum evolvo legoque p. 64:

„Pro eo ostendi debuit, doctrinas revelatas, eas certe *quae per solam revelationem noscuntur* (aliae autem in hoc genere ne in quaestionem quidem veniunt) *notioni-*

1) Hieronym. Epist. t. III. epist. VII.

bus empiricis rationisque perspicientiae accommodari omnino non posse, easdemque quoad totam materiam suam excedere naturalem hominis facultatem cognoscendi, attamen eas, ut primum revelatas esse constet, nostra fidei assensione non minus dignas, immo etiam digniores esse. Contraria agendi ratio quam frustra sit, ex ipsa re manifestum fit. Nam si eiusmodi doctrinas per *naturalem* cognoscendi facultatem cum inferiorem tum superiorem attingere non licuit, si eam ob causam *supernaturali* via nobiscum communicatae sunt, quid perversius stolidiusque esse potest, quam nunc *naturalem nostrum cognoscendi cogitandique modum* ad eas accommodare, vel easdem cum *naturalibus* cognitionibus nostris in unum et totum conflare, ut totum inde fiat, aut hac re eas magis illustrare, definire et perficere velle, quam *supernaturalis* revelatio eas illustravit, definivit et perfecit?"

Postulatur ut subscribam, Hermesium id egisse, ut omnes doctrinas, ut religionem ex sola ratione repeteret, et plane contrarium verbis perspicuis nudisque litteris perscriptum lego.

Porro folia pervolvo, incurro in p. 108 ibique lego:

„Christianus omnino caveat, ne argumenta, quibus dogmata christiana et christiano - catholica probentur, ex *philosophia* depromere instituat, quum ex *locis theologicis* depromenda sint; ubicunque autem hi fontes permutantur, philosophice ostendat, quam istud quidem fiat iniuste, et e contrario iustam esse *catholicorum* methodum ex tractatu de locis theologicis demonstret. Ostendat hac fontium permutatione in revelatae doctrinae locum nunquam non rationis doctrinam substitui, hanc ipsam autem rationis doctrinam qua talem necessario incertam esse, quoties de re quaeratur, quae supra naturales nostras notiones elata est."

Hunc locum denuo perlego, litterae exadversum stupent, non de loco recedunt, et tamen ut subscribam postulatur, non scriptum esse quod scriptum est.

Rursus evolvo, iamque obviam venit p. 98:

„Theologus nunquam oblivisci debet, philosophiae usum in theologia non nisi *negativum* esse licere",

h. e. philosophiae id unum licere, ut obiectiones falsae philo-

sophiae repellat; ego vero ut ipsum contrarium publice profitear, machinae adhibentur!

> „Si quis secundum *criticam* (Kantianam) philosophiam sive secundum aliud quoddam *recentiorum systematum philosophicorum,* quibus deinceps indulsit et partim adhuc indulget saeculi ingenium, vel singula dogmata christiana vel universam doctrinam christianam confirmare aut defendere instituit, eo ipso doctrinarum christianarum divinam originem missam fecit.“ Haec p. 100.

Idem p. 109:

> „Caveat theologus, ne *philosophando* nativum s. scripturae, patrum conciliorumque sensum neque ad tuendam neque ad impugnandam doctrinam traditam verset et torqueat, nedum ad fabulas et mythos gentilium deiicere intendat, quod quidem facere *nova exegesis biblica* tanquam proprium sibi negotium coepit, in quo maxime praestare sibi videtur: at *philosophice* ostendat, hanc esse *vexationem* horum documentorum *philosophiae repugnantem.*“

Haec equidem laudo, dicet aliquis, sed quidquid adhuc attulisti, ea omnia ex institutionibus dogmaticis Hermesii sumpta sunt. Cur vero omnino nullos ex Introductione philosophica locos attulisti, cur ex hoc libro non probasti quod probare tibi sumsisti? Num tu solus ita beate omnium rerum ignarus es, ut nescias quod omnes sciunt ac magna voce dicere solent? Num tu solus nescis, quemadmodum ex Pandorae pyxide omnia mala, aegritudines, irae, odia, invidentia, libidines, calamitates, morbi in genus mortalium redundarunt, ita ex hac Introductione philosophica praecipue eas res falsas, perversas, ea placita pestifera et monstra profluxisse, quae totam fere ecclesiam catholicam in Germania quam late patet inundarunt atque fluctibus pene submerserunt? Num te latet hunc esse librum istum, in quo Hermesius eo audaciae, eo arrogantiae, eo stultitiae processit, ut omnia divina religionis christianae a sola rationis fonte deducendi periculum fecerit. Itaque huc cursum dirige, ad hunc librum perge: hic enim Rhodus est, hic ergo saltandum. Hinc tu nobis expromas locos, qui probent, Hermesium non esse inconstantem et a semetipso dissentientem, hinc ostendas, eum non repugnare iis principiis, quae in locis supra abs te transscriptis continentur, hinc tu

nobis ostendas, Hermesium non quemadmodum philosophiam omnem ita etiam theologiam et dogmata christiana ab unius rationis fonte ducenda esse, credidisse ipsum et aliis persuadere voluisse! Haec tibi sunt obtinenda, si quid locis istis efficere voles.

Age, accipio conditionem, et continuo quod a me postulatum est, praestabo. Denuo autem mihi interpretis munere erit fungendum, ut ipsis Hermesii verbis quod volo obtineam. In praefatione Introductionis philosophicae Hermesius pro more suo verbis maxime definitis utens de usu abusuque philosophiae in theologia disputat et aliquos viros ecclesiae catholicae ingenio doctrinaque praestantes nominat, qui philosophiam ultra iustos fines et terminos evagari et in theologiae campo dominari passi essent. Quam rem postquam Hermesius vituperavit, addit; „equidem hunc terminum philosophiam inter et theologiam observandum in prooemio Dogmaticae satis definite explanabo et omnino cavebo, ne ipse transgrediar.“ Hermesius igitur lectores, qui eius de termino philosophiam inter et theologiam sententiam cognoscere velint, disertim remittit ad Dogmaticae prooemium; atqui ex hoc ipso prooemio, quod talibus verbis et sententiis refertum est, sumti sunt loci, quoscunque supra transscripsimus. Iam quid inde efficiatur neminem latere posse videtur, nisi eum qui in arte critica plane sit hospes. Quod vero ad ipsam hanc Introductionem philosophicam attinet, ut in eo libro dogmata christiana non, quemadmodum oportet, ex revelationis fontibus, sed ex solo rationis fonte duceret, id plane fieri non potuit. Nimirum in toto hoc libro, in quo Hermesii omnis disciplina philosophica continetur cuiusque argumentum totum est e genere philosophiae, quod quivis non caecutiens suis oculis videre potest et Hermesius ipse professus est, nullum omnino dogma attingitur; quum vero nullum dogma attingat, certe fieri non potuit ut dogmata ex sola ratione ducerentur. Sed quid ego hisce immorer? Immo Introductionem philosophicam evolvo ibique perspicuis verbis scriptum lego:

> „Praeter haec tria quae nominavimus cognoscendi principia“ (locos alii dicunt) (nominavit *s. scripturam*, *traditionem perpetuumque in ecclesia magisterium*) „christianae ac respective christiano-catholicae theologiae *quartum* quod generale sit non est.“

Atque insuper quasi mente praevidisset se aliquando accusatum iri, et ad convincendos futuros suos adversarios haec ab ipso gravissima verba, quibus totum Windischmanni responsum radicitus evertitur, p. 67 scripta legimus:

„Quaerendum restat num forte ratio quoque *cognoscendi principium theologiae christianae* sit. Fuerunt nostris diebus theologi, atque etiam nunc eiusmodi theologi reperiuntur, qui adeo immemores essent, quibus in rebus rationis suae usus esse posset, ut re vera affirmarent, *rationem esse cognoscendi principium theologiae christianae*, sed ii si quidem ex hoc fonte haurirent — et plures eorum reapse fecerunt — *christianam theologiam* in *theologiam rationalem* immutaverunt. Ii tum non exposuerunt quae Christus docuerit, sed quae forte docere potuerit, aut eo arrogantiae progressi sunt ut definirent, quid is nostris diebus docturus fuisset, vel praeciperent, quid olim, cum inter homines versaretur, docendum ab eo fuisset. Et quomodo quaeso exspectemus, ut rectius quidquam e tali principio deduxerint? Scilicet omnino fieri non potest, ut ratio historiam sive rem quae in facto posita est ex sese procreet, eo autem (ad rem in facto positam), quamdiu de christiana theologia quaestio est, redeunt omnia."

Habes in ipsa Introductione philosophica Hermesii de usu rationis in theologiae negotio sententiam et doctrinam, a nobis quantum potuimus ad verbum expressam! Quomodo igitur fieri potuit, ut ullus mortalium tam sine mente et sine oculis vivat, ut Hermesio crimini vertat eum docere rationis esse, ut dogmata christiana ex sese procreet! Quomodo fieri potest, ut ullus hominum adeo plumbei ingenii aut pudoris expers sit, ut responsum de Introductione philosophica reddat idemque haec verba quae cetero totius libri argumento egregie conveniunt non videat, aut in medium non producat! Quomodo fieri potest, ut ab

ullo homine, qui sana mente sit, qui legere possit quod clarissimis verbis scriptum est, quique aliquam innocentiae reverentiam habeat postulari possit, ut quisquis est contrarium publice declaret, ut contrarium profiteatur eorum quae in duabus libri editionibus, millibus exemplorum Introductionis philosophicae impressa leguntur, quae in tot hominum manus et notitiam venerunt, quaeque ad posteritatis notitiam perventura sunt.

Quemcunque locum ex libris eius inspexero, ubique his praeceptis ipsum quam exactissime obsequi video, video ipsum ubique pugnare adversus eos, qui in ea peccant; nihilominus ego declarem, non adesse, quod tamen verbis manifestis impressum lego! Si postulent, ut sententiae de Galileio latae subscribam, ut subscribam, terram immotam stare, solem quotidie circa terram moveri: si postulent, ut persuasionem omnium hominum qui cogitant in hac re falsam esse declarem, hoc certe facilius cum conscientia mea conciliare potero. Argumenta enim, quibus *Galileius* ostendit, terram moveri, non tam perspicua sunt, quam argumenta in causa Hermesiana. Quippe praeter haec duo, terram aut solem in nostro solis systemate immotum stare, tertium cogitare possum, quod non minus potest esse quam duo priora.

Cur autem hoc confitear, cur peierem? scilicet ut ne delatores nonnulli falsa retulisse, ut ne interpretes nonnulli leviter egisse et perperam vertisse videantur, ut ne aliis desit quo apte utantur ad errores suos pantheisticos et Lamennaeios obtegendos! Postulent ab Hermesianis, quidquid volent, isti delatores, isti interpretes, isti pantheismi et placitorum Lamennaeiorum defensores: sed nimium est etiam hoc postulare, ut Hermesiani in illorum commodum a morum integritate se abdicent ut periurii dedecus subeant. Qui hoc postulat, is eo ipso ostendit, ipsum neque de se neque de aliis, a quibus postulat, bene sentire.

Quodsi Perronius exemplum *Fenelonis* Hermesianis opponit, sane is non primus hoc fecit. Sed exemplum illud aptum non est. Doctrina Fenelonis certis thesibus descripta erat, hae cum Fenelone communicatae erant, has ille ut doctrinam suam continentes agnovit; itaque quominus ille se subiiceret, nullum officium impedivit, immo ut se subiiceret, officium postulavit. Sin Hermesiani veram suam persuasionem omittentes se subiicerent, si manus eorum id subscriberet, quod conscientia damnaret, num alii tales falsos testes

aestimaturi essent, num ipsi sese aestimare possent? Et profecto multos esse, omnes esse Hermesianos scio, qui lubentissime confiterentur, si vere confiteri possent. Nam extremae est stultitiae confiteri nolle, quod ut confitearis nihil obstat, confiteri nolle, si confessio ad laudem valebit. Et vero haec tentatio confitendi non exigua est. Molestum sane est, homines perperam de te sentire, dolet, clamoribus continuis onerari, lacessi, quum liberum te esse scias nullaque culpa oneratum! Iam vero spes iis propositae, qui hoc facinus admiserint, qui falsum testimonium perhibuerint. Transfugae semper quae sibi utilia essent nacti sunt, fere praemiis semper ornati sunt. Et quantas illecebras habet locus, auctoritas, apud exteras nationes nomen quum domi detestatus es, quantae illecebrae nomine subscripto cum *Fenelone* viro sanctissimo componi te posse, quamvis cum illo tibi, veluti pastori *Binterimio*, nihil commune sit, nisi haec subscriptio, quantas illecebras habet exspectatio, fore ut — — —!

Falsa errorum confessione sese ipsum contaminatum exhibere, id, quemadmodum Stattlerus dicit, non est indicium animi submissi. Huic in veris nostris vitiis satis occasionis ad exercitationem sui paratum est; et ego addo, illam actionem non esse ex humilitate oriundam, sed esse subtilissimam sui fraudem et simulationem, ad quam addiscendam Fenelo auctor et magister esse nemini potest. Sed cur non dicam quod sentio, cur non fatear me plane intelligere non posse, cur Hermesianis Fenelonis exemplum opponatur. Nam vide; Fenelo aut vir eximius et theologus orthodoxus habetur aut non habetur. Si non habetur, certe absurdum est, Hermesianos ad illum ablegare. Si autem is habetur, qui vere est, rursus absurditatis argumentum est. Nam primum omnibus qui historiarum aliquam notitiam habent, constare debet, causam Hermesianam aliam esse atque fuit Fenelonis. Haec autem ita comparata est ut, si postulatur, ut Hermesiani ad huius exemplum sese subiiciant, illis id tum demum integrum sit, si doctrinas condemnent, tanquam haereticas reiiciant, quas magnus archiepiscopus Cameracensis ipse docuit, si eas doctrinas reiiciant, propter quas a nemine ille iam impugnatur. Ut ingenue fatear, Fenelo arcte constrictus tenetur iisdem iis erroribus, si errores sunt, ob quos Hermesius praecipue damnatus est. Fenelo *eandem dubitandi viam* laudat quam

Hermesius, Fenelo ita ut Hermesius *argumenta exsistentiae Dei* proponere intendit, eoque iuxta doctrinam, quam Kleeius eiusque sectatores profitentur, *semistultus* evadit. Quippe Fenelo, quem Perronius *scepticum* existimare debet, qui hominibus summum bonum, ipsam veritatem, erepturus sit, totum librum conscripsit ad demonstrandam dei exsistentiam. Ibi quae de dubitatione dicat inspicere mecum velis:

Méthode qu'il faut suivre dans la recherche de la vérité.

„Il me semble que la seule manière d'éviter toute erreur est de douter sans exception de toutes les choses dans lesquelles je ne trouverai pas une pleine évidence. Je me défie donc de tous mes préjugés: la clarté avec laquelle j'ai cru jusqu'ici voir diverses choses n'est point une raison de les supposer vraies. Je me défie de tout ce qu'on appelle impression de sens, principes accoutumés, vraisemblances: je ne veux rien croire, s'il n'y a rien qui soit parfaitement certain; je veux que ce soit la seule évidence, et l'entière certitude des choses qui me force à y acquiescer, faute de quoi je les laisserai au nombre des douteuses.

Cette règle posée, je ne compte plus sur aucun des êtres que j'ai cru jusqu'ici apercevoir autour de moi: peut-être ne sont-ils que des illusions. J'ai toujours reconnu qu'il y a un temps toutes les nuits où je crois voir ce que je ne vois point, et où je crois toucher ce que je ne touche pas; j'ai appelé ce temps le temps du sommeil: mais qui m'a dit que je ne suis pas toujour endormi, et que toutes mes perceptions ne sont pas des songes?“ 1)

Transscribendi finem faciam, sed totum librum pervolve et legere perge! Unus hic locus mihi sufficit, quo demonstrem, *Fenelonem*, quantum ad dubitationem, plane Hermesianum esse, in ea ipsa re Hermesianum esse, in quam omnis gravitas et pondus Brevis Hermesium damnantis incumbit! Atque is ipse locus, quem modo dedi, in libro auctoris hoc titulo inscriptus est:

---

1) Oeuvres de Fénélon, Archévêque de Cambrai, à Versailles 1820. Tome premier. Traité de l'existence et des attributs de Dieu; Seconde partie, chapitre premier p. 145. *de la vérité.*

quo consistat generalis dubitatio *veri philosophi;* et hunc ipsum locum *Silbertus* Vindobonensis, quemadmodum totum opus Theodisce vertit, et totum hoc opus *Manzius* Ratisbonensis edendum suscepit, atque uterque, et *Manzius* et *Silbertus* hunc librum commendaverunt, *commendaverunt tanquam optime refutantem quoscunque errores personati pantheismi, quo nostra aetas laboret.* Sic eadem doctrina in Hermesio proscribitur, quae in Fenelone laudatur, sic *personato pantheismo* doctrinam et auctoritatem Fenelonis opponunt, dum eodem tempore Hermesius demovetur, eoque eundem pantheismum libere vagari permittunt; sic una manu vastatur quod altera modo seminatum erat [1]).

Sed tempus est ad „*Nonnullos*" redeundi, ne ii omnino relinquantur. „Nonnullos" illos a primo timore respiravisse, a Perronio quemadmodum vidimus relatum est. Sed quis cum Perronio communicavit, eos timore captos esse? Iam si a primo timore respiraverunt, nonne denuo timore corripi potuerunt? Quantopere vis et metus gravissimas hominum actiones moveant, hoc Perronio fortasse cognitum est. Item fuisse antiquos quosdam philosophos, *qui docerent*, sine *spe* non esse *metum*, itemque Ioannem Apostolum negare timorem esse in dilectione, itemque Tertullianum docere hunc timorem esse negationis auctorem [2]), itemque Senecam scribere „desines timere, si sperare desieris." Ac sane quemadmodum *vis* et *metus* ab una parte, ex altera *spes* efficere potest quae liberum iudicium turbent et probitatem actionis cuiusdam dissolvant. Evolve libros s. *Hieronymi* et s. *Chrysostomi* et audi, quae iam facta sint, quae homines a sese impetraverint, ut in infularum possessionem venirent. Quid? si Hermesianus aliquis hac spe duci se passus est, ac si idem timuit, ne Hermesianismus obicem adversus cathedram episcopalem obiiceret, et si idem sic nomen subscripsit? Quid tum, mi Perroni? Si idem scripsisset (non nisi per hypothesin loquimur): „adirent ipsum s. patrem, tristem ei rerum conditionem accurate

1) Pantheismum etiam in Belgarum regno radices agere, probatur hoc libello: Un dernier mot à M. Ahrens, ou *Examen* de la Morale philosophique du *Panthéisme* par *A. Tits* prêtre du dioecese de Liège et professeur à la faculté de Théologie de l'université de Louvain. Louvain 1841.

2) Tertull. contra Gnosticos Scorpiace.

et enixe exponerent, etiam atque etiam rogarent, ut, cum sibi ignotum esset, quae singulae doctrinae a Brevi tanquam falsae damnarentur, hae designarentur, quo fieri posset, ut ipse orthodoxiam suam catholicam coram populo probaret;“ si idem nullo nuntio hac de re accepto deinde *sine ulla restrictione plane* se subiecisset, quid tum, mi Perroni? Quid, si idem paulo ante scripsisset, declarationi, quae longe minus postularet, quam *plena* haec quam dicunt subiectio, nomen suum subscribere se non posse, propterea quod tum *simulationis* vituperationem subiturus esset? Ac si plane sese subiiciunt, qui Hermesium neque audiverunt unquam neque viderunt, quos nemo mortalium Hermesianos existimavit, si ii sine ulla adhortatione eorum qui eis proxime praepositi sunt subscribunt, quid tum, mi Perroni? Ac si ille — plures adeo esse possunt, — si igitur illi ut aliquam causam plenae subiectionis afferant, conscientiae vocem restinguant statuentes, fieri certe *posse*, ut errores in libris Hermesianis insint, quid tum, mi Perroni? Ac si iudicia in crimina inquirentia hac lege utantur, si ob hanc unam causam, fieri *posse*, ut tu hoc vel illud facinus patraveris, sententiam ferre velint, quid tum, mi Perroni? Nonne ipse hanc legem vereris, nonne iam caput tuum in humeris labare sentis? Si ob hanc unam causam, fieri *posse*, ut aliquis *erraverit*, statuere mihi liceat, eum errasse, quid me impediat, quominus testis dicam, ab aliquo delictum commissum esse, si fieri *potuit*, ut committeret?

Iam altera causa plenae huius subiectionis: „loci extra contextum operis falsam sententiam praebere et perperam accipi possunt, intra contextum quidem non possunt.“ Nonne haec causa altera prorsus digna est? Num quod apertius repugnet sanae menti humanae, primis legibus artis hermeneuticae, diserto praescripto Benedicti XIV et ipsius s. patris Gregorii XVI, inveniri potest, quam hoc: locum aliquem extra contextum operis perperam accipi posse, intra quidem contextum non posse; ac si ob hanc causam quis solemniter fateatur, iam re vera errores in quodam libro inesse? Sane statuas, mi Perroni, Nonnullos illos sive primo sive secundo metu plane sese subiecisse, haec certe interpretatio omnium est benignissima. Omnes episcopi in synodum Arelatensem a. 353 congregati damnationi s. *Athanasii* subscripserunt. Nihilominus iis persuasum erat, innocentem

esse virum illum sanctissimum. Sed fortes non erant animo, natura lapsi sunt et primo timore huic sententiae necessitate expressae subscripserunt. Ipse legatus papae, *Vincentius Capuae episcopus*, tremens subscripsit. Ita hoc metu lapsus est vir, de quo summus pontifex *Liberius* scripsit, sese huic egregie fidisse . . . et *credidisse, fore ut totum evangelium ab eo defenderetur* 1). Unus tantummodo metu frangi non potuit, *Paulinus* episcopus *Trevirensis;* non subscripsit ac potius in exsilio fame perire voluit. Rursus plures quam trecenti episcopi in synodo *Mediolanensi*, partim primo partim altero metu permoti, a munere depelli s. Athanasium nominibus subscriptis trepidi atque horrentes consenserunt! Nihilominus omnia falsa erant et veritate destituta quibus subscribebant! Rursus in synodo *Ariminensi* episcopi probe catholici usque adeo moti sunt, ut Hieronymus exclamet: „Ingemuit totus orbis et Arianum se esse miratus est!“ 2). Fere omnes episcopi Graecorum *Constantino Copronymo* imperante tyrannicis et acatholicis decretis huius imperatoris sese plane subiecerunt et hunc tanquam novum apostolum celebraverunt. Longa series episcoporum sententias iniustissimas adversus venerabilem patriarcham *Ignatium* nominibus subscriptis confirmavit. Iam quot Lapsi *metu* et *terrore* lapsi sunt, et quomodo apostoli a vi et metu se permoveri passi sunt, ita ut ipse s. Petrus, pro quo dominus rogavit, dum redemptor ad iudicem adductus est, se in locum calefactum reciperet et — dominum ter abnegaret, — dum gallus caneret! Ha, is gallus in pectore cuiusque hominis canit; licet tarda ancilla, illa sensuum cupido, huic gallo vocem recludere conetur, usque tamen vocem suam denuo attollit! Haud dubie etiam in illis usque denuo cantabit, donec, ut in Petro, lacrimas et poenitentiam ob veritatem abnegatam excitet; deus faxit, ut mox fiat 3).

> „Non sit pax tua in ore hominum. Sive enim bene sive male interpretati fuerint, non es ideo alter homo. Ubi est vera pax et vera gloria? Nonne in me? Et qui non appetit hominibus placere, nec timet displicere, multa

1) Epistola papae Liberii apud Hilarium frag. VI.

2) Hieronymi Dialog. adv. Luciferianos.

perfruetur pace. Ex inordinato amore et vano timore oritur omnis inquietudo cordis et distractio sensuum" [1]).

Cardinalis Bellarminus criminationibus petitur; — eius opera in Indicem deveniunt, — inde tolluntur.

Supra mentionem fecimus theologi celeberrimi, cardinalis *Bellarmini*, et librorum eius ex Indice sublatorum. Qua via et ratione in hac causa actum sit, id ad nostras rationes nimis pertinet, quam ut, quominus eius rei casum et eventum accuratius tradamus, supersedere possimus. Eius rei notitiam sumpsimus ex libro, qui auctore societatis Iesu praeposito generali, auctore *Vitelleschio* scriptus et editus et summo pontifici Urbano VIII dedicatus est, ex *Vita Roberti Bellarmini.* Liber lin-

3) Eos, qui id volunt, quod Perronio teste *ab illis aliquibus*, postquam primo metu liberati erant, factum est, doctrinae catholicae auctoritatem tantummodo praetendere, revera tamen longe alia moliri, eius rei novum idque gravissimum argumentum hisce diebus accepimus. Treviris quidam omnino quod aiunt se subiecerant, indeque inter eos qui harum rerum parum accurate erant periti, magna laetitia, magni clamores sunt orti. Sed quid nunc? Nunc ii ipsi publice lacerantur magis etiam iis, qui nunquam metu victi sunt. Vociferantur *diurna ecclesiastica Francofurtensia* [1]), eos nondum satis fecisse, eos nondum doctrinam Hermesianam libris editis refutasse, esse *igitur eorum fidem dubiam, esse igitur iis a muneribus suis recedendum!!* — Ut istis hominibus fiat satis, non sufficit si praestatur, quod legibus ecclesiae statutum est, sed *recedendum est a munere, recedendum est ab ipsa vita!!* Pecuniae, domus, agrorum, aurae etiam vitalis iis facienda est potestas; nam quum omnia victoris sint, si sepulchrum victis Hermesianis relinquant, pro munere habendum erit. Utinam aliquando sanctissimus pater eos cognoscat, qui hominum religiosissimorum nomen avaritiae et arrogantiae praetendunt, quemadmodum nuper alios cognovit, qui suavissimis nominibus res taeterrimas appetunt.

1) Thomae a Kempis, de Imitatione Christi. Lib. 3. 2.

1) V. N. 58, anni 1841.

gua Italica conscriptus est a *Fuligattio*, Latine conversus opera *Silvestris a Petra Sancta;* uterque societati Iesu adscriptus erat.

Eius libri caput VII inscriptum est:

Criminationes et calumniae, quas passus est diversis temporibus, occasione Controversiarum et id genus Librorum.

„Adeo celeriter extulerat se Bellarmini nomen, ne quidem in hostibus obscurum, ut cogitare quis posset hominem, qui ita supra exteros emineret, invidia maiorem esse. Sed huius afflatus tentat, afficitque indiscriminatim omnes. Imo semper invidia est, quae summa petit, tanquam ignis: ut sit hactenus concessum nemini, temporibus, quibus eminet, non eius aestum aliquem pati, et quod gravius est, interdum non adire periculum adaeque in magna fama, atque in mala.

Audita est itaque Bellarmini etiam detrectare laudes, et corrumpere honores, quos promeritus erat occasione Controversiarum; sed non ei diu interturbare sonum gloriae potuit, siluitque non ita multo post, cum se efferre veritas primum coepit, ut manifestum est in eruditis iuxta, et prolixis disputationibus, quas pro Bellarmini defensione scriptores varii, et laudatissimi composuerunt.“

Postquam plures calumnias enumeravit, quas Bellarminus ab exteris, ab acatholicis expertus erat, auctor narrare pergit:

„Dum his criminationibus Bellarmini vitam foris Adversarii eius, incertum dedecorant an illustrant, Romae, ubi esse securior debuisset, quippe in Arce prima defensae a se Religionis, invidia, quae virtuti semper extitit machinosa, ipsi struere insidias magis clandestinas coepit. Quidam in urbe aegre ferebant Bellarmini nomen, antequam etiam Purpura illustraretur, esse apud omnes dignationis tantae. Crevitque molestia, cum a Sixto V Pontifice missus in Gallias fuit, Theologus Henrici Caietani Cardinalis, postquam in Regnum illud ei Legatio obvenerat. Et quia, Legatione adulta, indoluit Pontifex, a Cardinali negotia transigi consiliis, quae data primitius fuerant; dum Romae ipse alia meditatus, propositam haberet novam viam agendi, quam ob causas graves indicare aliis, grande periculum; sicut contra eam ingredi pede inoffenso, res censebatur summae dexteritatis, ut ex historiis aliorum peti potest; idcirco animorum ea discessio inter Pontificem et Legatum vix intelligi Romae coepta est, cum

id e sententia fluere iudicarunt ii, qui Bellarmini obscurare nomen cupiebant, rati suae gloriae demi, quicquid cederet alienae. Itaque homines accendendis offensionibus callidi, Pontifici sensim adulari, temere dum spargerent (quae saepe inter Aulicos est libido fingendi) doctrina Bellarmini auctoritatem illam minui, quam Christus Dominus Vicario suo in Terris dedit ad Ecclesiae dignitatem firmitatemque; idque fieri in opinione ipsius circa Dominium temporarium, quod Pontifici cempetit item in res temporarias *Lib. 5. de Rom. Pont.* Et quoniam ea vox percrebuit tempore, quo iam caute ista iactari, si unquam alias, debuissent; ideo captata occasione, dum peregre aberat ipse, nonnulli, re non discussa, urgere, atque instare, quo eius opera inhiberentur, donec egeri, quae damnosa, et inseri Catalogo deberent Voluminum proscriptorum. Fraudem excepit eventus, et ii, quorum invidia in occulto, adulatio in aperto erat, facile impetrarunt, ut hoc pacto in Bellarmini libros saeviretur. Sed haec saevitia vocem veritatis, quae in libris iisdem loquebatur, non diu afflixit. Nam, excedente Pontifice, cum eo (ut Aulici sunt plerumque suorum Principum inferiae) cecidere Adversarii eius, et sacra Congregatio Cardinalium reputans iniurium esse, ita damnari eximium virum, praesertim, cum is Sedis Apostolicae causa abesset, sponte mandavit, *ex Indice probrosorum Scriptorum eximi Auctorem egregium, nullo in opinionibus eius deprehenso vitio. Quare ei criminatio intra gloriam fuit, nec minore fama in urbe deinceps Bellarminus viguit; cuius dicta solummodo ab invidis postulabantur, adeo factorum innocens erat.*“

Postquam Bellarminus in hunc modum tam egregie ab universo collegio cardinalium defensus et adversarii tam contumeliose repulsi erant, credere possis, invidos non iam ausos esse, ut denuo adversus illum molirentur, minus etiam ausos esse, ut in ipsa Urbe Christianismi in eum machinarentur. Sed auctor ille, postquam de controversiis adversus Bellarminum in Gallia ortis exposuit, narrare pergit:

„Eventum habuit parem alia secreta magis criminatio, quae serpere radicibus latentibus, et occulto damno in animis coepit Illustrium Virorum: sed quibus tamen studiorum eius generis peritia non admodum erat. Proseminarunt illam (quantum assequi coniectura licuit) quidam, qui crescendi occasionem pro se re-

bantur, si in invidia Bellarminus esset, cedebatque res e sententia vel ideo, quia scirent, Bellarminum (quae ipsius erat demissio, et lenitas) quieto animo ferre, lacerari existimationem suam. Hi ergo inflato ore tumentique iactare per Aulas Urbis omnes Controversias a Bellarmino editas, Ecclesiae Dei plus intulisse damni, quam dedissent commodi. Nam adversariorum, aiebant, contorquent argumenta valide, sed retorquent enerviter: quae res Haereticis audaciam, veritati Catholicae defectionem quandam virtutis creat, damno utique poenitendo. Verum hi, cum intelligerent haec adversus famam, rumoresque hominum afferri, nec satis felix mendacium fore, nisi testem haberent, cuius nominis obtentu res fingeretur; ut invidiae flammam sapientius foverent, tentarunt, si quomodo possent suadere, honorificam acclamationem Controversiis eius publice datam in Theatro Orbis Terrarum, populi esse vocem, et incogitantis vulgi sonum, non eorum, qui manus cum Haereticis cominus consererent, et periti rerum haberentur. Ite, aiebant, ad Cardinalem Perronium, Virum, qui tanta cum existimatione, gravitate, sapientia saepe ore tenus, saepe scripto communes hostes profligavit; ipsius super hoc sententiam rogate; intelligetis querimonias, quibus damnum luget, quod Ecclesiae inferunt Controversiae Bellarmini, iam hostium factae adversum nos arma prope, et non minae tantum.

Hae calumniae auditae primum inter paucos, dein propalam illatae in aulas Nobilium, celebrataeque sermonibus, (ut obtrectatio, et livor pronis auribus accipiuntur) processere adeo, ut foris etiam, ad Cardinalis Bellarmini aures, Capuam usque pervenerint.“

Fuligatti porro epistolas cardinalium *Ioyeusii, Bellarmini* et *Perronii* expromit, quae ostendunt, Bellarmino obtrectatum esse, atque his verbis finem facit: „Apparuit vero egregie, fuisse irritos conatus eorum, qui haud veriti sunt contra Bellarminum adgerere falsa, ut famam eius ex optima aut dubiam redderent aut malam. Apparuit vero egregie solere ab invidia saepe laborare virtutem, sed extingui nunquam.“

Haec quae ex vita Bellarmini proposuimus, eiusmodi sunt, ut multa consideranda et inter se conferenda offerant. Hoc tamen legentibus exsequendum relinquo. Multis quidem in rebus

sufficit pro *Bellarmino Hermesii* nomen posuisse, ut huius historiam in Bellarminiana agnoscamus.

Sed hoc a nobis impetrare non possumus, quominus in memoriam revocemus *diurna* illa *historica*, quae Leodii prodeunt quaeque nuper a nobis postulaverunt, ut unum certe exemplum afferremus, quo probaretur, libros semel in Indicem receptos inde rursus expunctos esse. Si *diurna historica*, quae tamen aliqua rerum notitia instructa esse debeant, cum ab historia nomen sibi fecerint, nesciunt, quid acciderit historiae ecclesiasticae *Alexandri Natalis*, quod fere unicuique compertum est, qui quodammodo litteras theologicas inspexit, mirum non est, eadem ignorare, quae libris Bellarmini evenerint. Excerptis modo transscriptis fecimus quod postulaverunt diurna historica Leodiensia, exemplum, quod desideraverunt, dedimus. Si diurna ultra edoceri se cupiant, conferant modo novissimam Indicis editionem cum prioribus. In prioribus libros invenient, quae ex nova tacite omissa sunt. Anquirant in nova verbi gratia hos libros:

Nicolaus Copernicus de revolutionibus orbium.

Galileo Galilei dialogo dove nei congressi di quattro Giornate se discorre sopra i due massimi Sistemi del Mondo Ptolemaico Copernico.

Hos frustra quaerent in nova quamvis posita in veteribus. Num igitur quidquam attinet, quantum quidem ad effectum, utrum liber tacite an disertim ex Indice expungatur?

Per haec etiam iis responsum est, qui non satis edocti ecclesiae institutiones experimentum eorum, qui Hermesii opera ex Indice tolli operam dederunt, cum aliqua misericordia deriserunt. Historia operum Macchiavelli alia etiam exempla suppeditare potest. Denique si *nunquam* liber aliquis ex Indice liberatus esset, ne tum quidem experimentum librorum Hermesii inde liberandorum eiusmodi fuisset, quod derideretur!

Testimonium domestici cuiusdam de Hermesio. I. M. Sailerus in memoriam revocatus.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: et plagis imposi-

bantur, si in invidia Bellarminus esset, cedebatque res e sententia vel ideo, quia scirent, Bellarminum (quae ipsius erat demissio, et lenitas) quieto animo ferre, lacerari existimationem suam. Hi ergo inflato ore tumentique iactare per Aulas Urbis omnes Controversias a Bellarmino editas, Ecclesiae Dei plus intulisse damni, quam dedissent commodi. Nam adversariorum, aiebant, contorquent argumenta valide, sed retorquent enerviter: quae res Haereticis audaciam, veritati Catholicae defectionem quandam virtutis creat, damno utique poenitendo. Verum hi, cum intelligerent haec adversus famam, rumoresque hominum afferri, nec satis felix mendacium fore, nisi testem haberent, cuius nominis obtentu res fingeretur; ut invidiae flammam sapientius foverent, tentarunt, si quomodo possent suadere, honorificam acclamationem Controversiis eius publice datam in Theatro Orbis Terrarum, populi esse vocem, et incogitantis vulgi sonum, non eorum, qui manus cum Haereticis cominus consererent, et periti rerum haberentur. Ite, aiebant, ad Cardinalem Perronium, Virum, qui tanta cum existimatione, gravitate, sapientia saepe ore tenus, saepe scripto communes hostes profligavit; ipsius super hoc sententiam rogate; intelligetis querimonias, quibus damnum luget, quod Ecclesiae inferunt Controversiae Bellarmini, iam hostium factae adversum nos arma prope, et non minae tantum.

Hae calumniae auditae primum inter paucos, dein propalam illatae in aulas Nobilium, celebrataeque sermonibus, (ut obtrectatio, et livor pronis auribus accipiuntur) processere adeo, ut foris etiam, ad Cardinalis Bellarmini aures, Capuam usque pervenerint."

Fuligatti porro epistolas cardinalium *Ioyeusii, Bellarmini* et *Perronii* expromit, quae ostendunt, Bellarmino obtrectatum esse, atque his verbis finem facit: „Apparuit vero egregie, fuisse irritos conatus eorum, qui haud veriti sunt contra Bellarminum adgerere falsa, ut famam eius ex optima aut dubiam redderent aut malam. Apparuit vero egregie solere ab invidia saepe laborare virtutem, sed extingui nunquam."

Haec quae ex vita Bellarmini proposuimus, eiusmodi sunt, ut multa consideranda et inter se conferenda offerant. Hoc tamen legentibus exsequendum relinquo. Multis quidem in rebus

sufficit pro *Bellarmino Hermesii* nomen posuisse, ut huius historiam in Bellarminiana agnoscamus.

Sed hoc a nobis impetrare non possumus, quominus in memoriam revocemus *diurna* illa *historica*, quae Leodii prodeunt quaeque nuper a nobis postulaverunt, ut unum certe exemplum afferremus, quo probaretur, libros semel in Indicem receptos inde rursus expunctos esse. Si *diurna historica*, quae tamen aliqua rerum notitia instructa esse debeant, cum ab historia nomen sibi fecerint, nesciunt, quid acciderit historiae ecclesiasticae *Alexandri Natalis*, quod fere unicuique compertum est, qui quodammodo litteras theologicas inspexit, mirum non est, eadem ignorare, quae libris Bellarmini evenerint. Excerptis modo transscriptis fecimus quod postulaverunt diurna historica Leodiensia, exemplum, quod desideraverunt, dedimus. Si diurna ultra edoceri se cupiant, conferant modo novissimam Indicis editionem cum prioribus. In prioribus libros invenient, quae ex nova tacite omissa sunt. Anquirant in nova verbi gratia hos libros:

Nicolaus Copernicus de revolutionibus orbium.
Galileo Galilei dialogo dove nei congressi di quattro Giornate se discorre sopra i due massimi Sistemi del Mondo Ptolemaico Copernico.

Hos frustra quaerent in nova quamvis posita in veteribus. Num igitur quidquam attinet, quantum quidem ad effectum, utrum liber tacite an disertim ex Indice expungatur?

Per haec etiam iis responsum est, qui non satis edocti ecclesiae institutiones experimentum eorum, qui Hermesii opera ex Indice tolli operam dederunt, cum aliqua misericordia deriserunt. Historia operum Macchiavelli alia etiam exempla suppeditare potest. Denique si *nunquam* liber aliquis ex Indice liberatus esset, ne tum quidem experimentum librorum Hermesii inde liberandorum eiusmodi fuisset, quod derideretur!

Testimonium domestici cuiusdam de Hermesio. I. M. Sailerus in memoriam revocatus.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: et plagis imposi-

tis abierunt semivivo relicto. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo praeterivit. Similiter et Levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit. Luc. 10, 30 sqq.

Idem quod huic infelici peregrinatori Hierosolymitano etiam Hermesio accidit. Incidit in manus inimicorum suorum: hi bonam famam ei eripuere, et eo usque progressi sunt, ut male tractatum et spoliatum magistratui tanquam maleficum traderent. Iam multi sacerdotes et Levitae surdi transeunt; ne accedere quidem audent, quod tamen Levita in evangelio facit, ne quis clamet: *Et tu cum Galilaeo eras!* „*Nonnulli*," ad quos circumsistentes accesserant et paulo altius clamaverant ita, ut audiri id posset, „sane tu quoque es unus ex his, lingua quippe te prodit," adeo exsecrationes susceperunt et iuramento affirmaverunt, sibi hunc hominem cognitum non esse! Ego vero in huius sermonis communionem ire nolim, praeter hunc locum praefestinare nolim, immo omni cura et labore enitar (atque hoc ipsum sine scelere praetermitti non potest), ut innocentia ignorata salva evadat, ut iniuria et contumelia non merita, quantum fieri possit, tollatur. Quis igitur non concedat, si ego exemplum imitor Samaritani, si eorum cardinalium eminentissimorum, qui nomen Bellarmini a contumelia haud merita vindicaverunt, si ego testem locupletissimum laudo eum virum, qui summa fide et omni virtute praeditus erat, qui probe scit cuius rei testis sit, quum Hermesii hospes fuerit et familiaris, cuius religio paene scrupulosa omnibus qui eum e propinquo cognoverunt satis nota fuit, quique vera aestimatione sacerdos optimus fuit, dico *Gerhardum Iosephum Hermesium*, fratris Hermesii filium, qui vicarius residens in vico Traiano dioecesis Coloniensis die 26 Maii 1837, eodem die quo patruus mortuus erat, morte eheu praematura, vita excessit. Epistolam quae sequitur ille paulo post Breve evulgatum composuit; infirma corporis valetudine impeditus est, quominus expoliret quae inchoaverat ipseque ederet. Sed vel sic luculentum et egregium innocentiae Hermesii testimonium illam epistolam habemus eamque ob causam cum lectoribus communicare voluimus.

Epistola ad delatores Hermesii.

Eo igitur iam ventum est, ut Hermesii doctrina condemnata, nomen eius proscriptum, opera et labores reprobati sint. Vestris studiis hoc perpetratum est, vestrum opus est. Beati sane vos dicendi estis, si Hermesius re vera tam obcoecatus, veritatis tam incuriosus, superbiae et vanitati tam obnoxius fuit, qualem Breve eum descripsit; si methodus eius in devia, errores et mendacia deducit iisque nititur, si eius systema eiusmodi placitis, quae Breve designat, turget et abundat. Si re vera causa Hermesii et doctrina sic se habet, vos egregie meriti estis. Vos enim homines hortati estis, vos denotavistis herbam perniciosam late serpentem atque in animis tot millium luxuriantem laeteque increscentem!

Porro hos ipsos pro virili parte excitavistis, ut errores exuant, insidias eis structas declinent ac salutis suae aeternae memores esse velint; vos noctem lumine illustravistis et inhibuistis quae improbus iste ageret! Laetamini et exsultate, propterea quod vestra vox audita est, quod gladius acutus Romanus vestra opera de vagina destrictus est. Multa millia mortalium vobis benedicent, multis millibus voraginem profundam monstravistis, ad quam festinarent. Sane ita intimo pectore sentio, itaque iudico, si doctrina Hermesii erronea erat, missa fiat; si Hermesii scopus suum ipsius fastigium erat et elatio, ne nomen quidem eius memoretur. Verum unice quaerimus et praeter verum nihil volumus: apud quemcunque hoc invenietur, grati accipimus, quicunque praebebit, benedicimus ei, quicunque erepturus est, hunc aversamur. Hoc nos sentimus, hoc praecipimus. Itaque, si Hermesii doctrina prava est, si eius methodus et ratio in errores inducit, si eius studia suam ipsius magnitudinem, non veritatem quaesiverunt, libenter illum mittimus; non in Hermesii, non in magistri verba iuramus, in veritatem unice iuramus, et heu miseram nostri conditionem, nisi veritatem ut summum bonorum veneramur. Vincat veritas, pereat error et mendacium: haec nostra tessera est, haec mens est Christi eiusque ecclesiae, in hoc iuramus, huic indulgemus, huic indulgere primum est

officium et summum. Itaque iterum dico, si Hermesii doctrina digna est quae reprobetur, si via et ratio eius in errores inducit, si res novas concupiscit, eam reprobabimus, reprobare debemus: summum nostrum officium est et stricta voluntas, ut eam reprobemus.

Sed num re vera Hermesium mittamus necesse est, num re vera eius doctrina tam prava est, eius ratio docendi tam falsa, eius studia tam vana? Sane Hermesius homo fuit; haud dubie vitiis naevisque affectus fuit, veritatem non semper vidit, saepius erravit; libenter id concedo. Sed num Hermesius veritatem nihil pensi habuit, num libido sensuum eum impulit, num oculos hominum in se advertere studuit? Hoc nemo dixit, qui aliquatenus Hermesium cognovit aut e longinquo observavit, nemo qui sine praeiudiciis ad eum accessit neque procul observavit, denique nemo qui sine praeiudicatis opinionibus libros eius legit et unquam similes conscribendi periculum fecit. Ubinam in eius operibus vel minimum vestigium est illius animi, qui pertinaciter propriae sententiae adhaerescit, ubinam adversarios suos irridet et non potius refellit, ubinam sibi placet ob meliorem intelligentiam, ubinam adversariis exprobrat, quod veritatem non agnoverint, dummodo ingenue eam quaesiverint, ubinam errores aliorum non humanissime praeterit, dummodo veritas id concedat, ubinam tandem profitetur, se magna praestitisse, nisi ut alios incitet ut ipsum imitentur, et vel in eiusmodi locis nonne multo magis de opera sua et laboribus loquitur, quos insumserit, quam de iis quae praestiterit? Num sic agit, qui oculos hominum in se vertere studet, quem vanae gloriolae cupiditas impellit? Iam vero quam circumspecte, quam accurate agit? Ubinam declamare incipit, et non potius inquirit et argumentis propositis demonstrat, ubinam verba dat pro rebus, ubinam negligentia in quaestione, adeo in verbis deprehenditur? Num haec eius scriptoris ratio est, qui rem a se tractatam nihil curat, qui in scribendo suum honorem, suam utilitatem respicit? Si unam animi tranquillitatem considero, circumspectum quaerendi genus, simplicitatem, qua ad quaestiones accedit easque ad finem perducit, quantam temperantiam, quantam veritatis et dignitatis hominum existimationem agnosco in eo viro, cui eloquentia minime desit, qui incitatus in argumento suo versetur, qui omnibus ho-

minibus eadem, de quibus sibi persuasum est, persuadere et pectori eorum ingerere cupiat [1])! Sane non semper inflammata oratio sanctum studium ostendit, sed multo magis tranquillitas et severa consideratio. Nisi perspexisset Hermesius, persuasionem probe firmatam et in necessitate fundatam unice homine dignam esse, si ob hanc causam sane graviorem animi sensus et motiones non cohibuisset et terminis modoque circumdedisset, tum eius libri non tam tranquille et moderate et simpliciter compositi essent, ut nunc sunt: pulcherrimae descriptiones in iis aliquoties obviae, vivida anmi sensa, teneri et validi affectus, quae, ubi hoc licet, in iis inveniuntur, insignis rerum introspiciendarum facultas, accurata cognitio, qua hominum mentes et linguam complexus est, satis spondent, eum, si voluisset, eodem splendore, eadem inflammatae orationis vi, eodem instinctu prodire potuisse, quo aequales nonnulli, qui hanc ob causam in coelum elati sunt, cum ipse veritatis amore id aspernatus ad inferos detrusus est! — — Quod si libros eius omitto et eundem considero, qualis in vita fuit, in consuetudine cum aliis, quis crediturus esset, fore unquam ut ei studium et amor veritatis abnegaretur, ut res sanctas nihil pensi ab eo haberi, ut cupidinem rerum novarum et splendoris sapientiae in eo fuisse autumarent. Per sex annos inde ab undevigesimo aetatis anno artissima et familiarissima eius consuetudine usus sum, sub uno cum eo tecto habitavi, ad eandem mensam sedi, cum eo conversatus sum die noctuque, vidi eum laetum tristemque, in variis vitae rationibus et vario statu, et per omne hoc tempus usque ad hodiernum diem, id quod coram deo et omnibus hominibus profiteor, non solum verissimum erga eum amorem, sed etiam

1) *Dogmatica* Hermesii, quae tribus tomis edita est, ex *schedis* eius scholis habendis destinatis expressa est. Sed multum interest, librumne componas an schedas conficias. Hermesius, si ipse opus suum edere potuisset, his schedis aliam et multo meliorem formam daturus erat. Praeterea in schedis editis omissae sunt contemplationes illae religiosae, quas Hermesius, ubi ad finem quaestionis cuiusdam venerat, saepius protulit iisque adeo animos audientium commovit, ut nihil quod simile esset unquam audiverim. Haec monere necessarium visum est, ut iniquo iudicio, quod de generis scribendi eius Dogmaticae pretio ferri possit, occurramus.

summam venerationem, qua ad eum accessi, semper tenui et adhuc cognovi neminem, quem magis ut venerarer impulsum me sensi. Hunc igitur hominem, qui nihil nisi veritatem quaesivit, qui veritati ecclesiaeque otium suum, vires suas, vitam denique ipsam gratificatus est, ei obiicitur, non studuisse eum veritati. Memor loci illius evangelici: „Si hoc faciunt in viridi ligno, quid arido fiet," primo statim mane, postquam Breve mihi innotuit, postquam lacrimas effudi, pro Hermesio deum precatus sum rogavique, ut ecclesiae suae propitius esse velit, et tum s. sacrificium peregi. Dē his omnibus nihil dicerem, nisi omnes, qui Hermesium artiore consuetudine attigerunt, consentirent, virum insignem fuisse, nisi omnes existimationem et venerationem palam testarentur, quam coram illo senserunt. Quis magis eo ingenuus fuit, quis animo submissiore, quis acrior vindex iusti, veri, virtutis, quis magis pius fuit quam ille? Respondebunt, me loqui partium studio motum. Minime vero, non loquor partium studio ductus, sed coram deo considero et reputo, dum haec scribo, quid dicere testarique liceat, quid non. Hermesius mihi patruus fuit, benefactor meus, summus meus benefactor, qui me vere et fortasse ardentius dilexit quam parens uterque; sine fine dolerem, si vera essent quae obiiciuntur, sed non vera sunt, nihil adversus veritatem testor, et memor illius ingratissimus essem, si ad eum defendendum dicerem quae ratione carerent. Non melior ille videri voluit, quam esset, nullius lucri causa ei probabantur quae vera non essent. Hoc ille et voce et exemplo docuit, hoc ille exposcebat; quomodo igitur aliter ac persuasum mihi esset illum laudare, magis eum laudare, quam dignus laude esset, possem? Sed ne quis hanc vocem prave accipiat, non laus haec est, immo nuda et pura veritas est. Haec laudat Hermesium et ab omni eum accusatione liberat. Sexcenti hoc praeter me testantur, iamque fama eius pervasit usque ad populum, qui eum ut virum praeceptoremque in primis venerabilem aestimavit honoravitque. Ad humilitatem eius quod attinet, plenissime agnovit, se, quidquid sit, id totum deo acceptum referre. Nos instrumenta sumus in manu dei, ita dicere solebat. Tantum vero aberat, ut nimium de se sentiret, ut etiam de diligentia, quam tamen prorsus singularem in eo fuisse omnes agnoverunt, non vacuus esse a reprehensione sibi vide-

retur. Nunquam cunctatus est aliorum merita agnoscere. Non sua in altera lance ponens, non iudicio suo maligne contrectans eo plausu bona aliorum prosecutus est, qui voce et habitu vultuque significaretur, sive amicorum sive inimicorum erant. Non facile inveneris, qui cum aliorum hominum secundam adversamve fortunam, tum virtutes eorum et merita intentius curaret, quam ille fecit. Hanc in eo virtutem saepe miratus sum: nihilominus nunc lego, superbiam ei ducem fuisse, proinde adversus alios frigide et sine cura eum egisse, aut iis saltem, qui eius studia impedirent, sese iustum iudicem haud praebuisse. Ac tamen vel erga eos, quorum contraria studia improbare debebat, cum quae ipse vellet vera esse sibi persuasum haberet et certo sciret, Hermesius ita se gessit, ut supra nos diximus, cuius rei plura exempla nobis in memoriam redeunt. Neminem, quoties adfui, maiore devotione sacrificium missae peragentem conspexi, quam hunc. Nunquam nisi diu praeparatus et domi et in ecclesia ad altare accessit. Pietas, qua breviarii preces exsequebatur, saepe adhuc me excitat salubriter, ubi cum deo agebat, intimo pectore movebatur, in omnibus providentiae digitum conspiciebat.

Sane si Breve damnatorium lego et ex adverso positam Hermesii imaginem considero, qualis fuit et qualem in agendo sese praestitit, tum nescio, quid de hominibus iudicare debeam, tum omnia mihi tanquam in somnia vertuntur, tum quaero, num ipse exsistam. Qui pro moribus suis et laboribus et operibus sui ipsius oblitus et unius veritatis, ecclesiae, rei catholicae causam amplexus est, qui quamvis amans conversationis hominum, illam ob causam conversationem omisit, qui tam integre vixit, tam sobrie, ut nulla indecora vox ex labiis venerit, ad eum summus ecclesiae praesul dicit: „Non novi te"! Num haec gratia rependitur pro omnibus vitae fructibus omissis, pro laboribus studiisque, num haec exhortatio est, ut pro causa Christi eiusque ecclesiae pugnemus, ut vires vitamque gratificemur?

O quam verum illud est: „Regnum meum non est de hoc mundo. Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: et tollat crucem suam, et sequatur me." —

Iam epistola ad delatores confecta est! Multumque gaudeo eam perscriptam esse: dicere enim vix possum, quam difficile hoc mihi acciderit. Quaecunque in ea dicta sunt, recte se ha-

bent, veramque Hermesii innocentissimi viri imaginem luculente in memoriam animumque revocant, dumque hanc imaginem inspicio, ante animum versatur, quam immane haec ab inimicis detorta sit, qui eam ita deformarunt, ut agnosci iam non possit! Sed hoc mihi proposui, ut animi tranquillitatem teneam, ut neminem vocis libertate perstringam, ut omnium obliviscar de quibus adversarii etiamnum tacent et quiescunt, ut pennam potius deponam, quam ut quidquam proloquar, quod ita comparatum sit, ut fervescente sanguine conscriptum esse appareat, ideoque cito oculos avertam ab hac imagine, dolore meo, advertam fatis *Langladii*, *Le-Bruni*, *Saileri* [1]), qui ignorati, persecutionibus petiti et partim iniustissimis persecutionibus occubuerunt. Cito me accingam, ut verba quae sequuntur ex lingua Anglica in Theodiscam convertam. Nam quo melius ac citius animi motus sedentur vix reperietur, quam eiusmodi interpretatio, praesertim cum ipse neque versus neque respondentes sibi versuum fines acere possis!

The looking up fatigues the sight:
And mortals, when they soar,
Should they once reach a certain height,
All wish to have them low'r,
And friends there are in this good town
Will lend a hand to help them down [2]).

Hinaufzuschau'n macht müd' den Blick. —
Den Sterblichen der steigt,
Wünscht Jedermann zurück
Wenn er die Höh' erreicht,
Und schnell ihn wieder herabzuzieh'n
Reicht mancher Freund die Hand ihm hin.

Alta aspiciendo fatigantur oculi:
Mortales si sublime efferuntur
Fastigiumque si assequuti sunt,

---

1) De insectationibus, heterodoxiae criminationibus et persecutionibus, quibus etiam *Sailerus* petitus est, conferatur vitae eius enarratio, quae inserta legitur in Horreo sacerdotum provinciae ecclesiasticae ad Rhenum superiorem vol. II. fascicul. 3. Friburgi 1840, et quae ibi laudatur *Memoria Saileri*. Monachii 1838.

2) Garrick.

Ut delabantur omnes expetunt,
Nec desunt in hac urbe optima
Qui ut descendant manus porrigant.

False relata a Perronio — de interpretatione librorum Hermesii — de Braunio et Elvenichio professoribus ad s. patrem admissis — de sermone ab his cum P. Perronio habito. — Elvenichius et Perronius — de distinctione iuris et facti. — Perronius aperte loquitur. — False relata a Perronio. — Is papam contemnit.

Supra iam constitueram reliquum iter, a me comite Perronio faciendum, quam fieri posset celerrime conficere. Nihilominus video me a Perronio in multos locos minime amoenos sermonis deversorio abductum, sentio tarde me progressum esse, et, si respicio viam peragratam, denuo tot praeiudicia, tot prave intellecta aut male detorta, tot in maius aucta aut parum plene relata, tot errores, tot crassos aut subtiles corruptiones denuo mihi occurrunt, ut apte ab initio incipere totamque viam denuo relegere possim. Equidem iteratae huius messis tam largi, opinor, quam primae proventus forent. Sed num rursus ab initio incipiam? Ha, molestiam huius operae tantopere sentio, ut nonnisi aegerrime vel tunc id consilii susciperem, si patientia lectoris confidere possem. Etenim in mea causa plane id sentio, quod scriptor Franco-Gallicus de libro aliquo dicit: „Entreprendre une refutation c'est s'embarquer dans une mer des sophismes. Les saisir, les exposer, seroit les refuter; mais ils nagent, dans un tel flux et reflux, ils en sont si fort inondé, qu'on se noie en voulant les mettre en sec.“ Eiusmodi periculum quidem non subibo, sed potius securus in via mea, licet et aspera et ardua et plena spinarum sit, progrediar et minora omnia praetermittens denuo nonnisi *graviora* respicere conabor.

Pagina 35 Perronius scribit, „ubique pro certo creditum fuisse, certe communi opinione divulgatum esse, fore ut a professoribus Braunio et Elvenichio Latina interpretatio operum Hermesii Romam afferretur.“ Si hoc ubique pro certo creditum esset, credi id non debuit, cum nulla credendi causa subesset; si communis opinio hoc dixisset, dicere non debuit, propterea quod

falsum erat. *Solet fama mentiri*, s. Augustinus dicit [1], et hoc etiam in hac causa communi opinioni accidisset. Sed Perronius communem opinionem hac de re male cognovit, aut eius praetextu rem posuit, quam aliunde firmare non potuit. *Sycophantem iactitat et ne probare cogatur, audisse se dicit* [2]. Ceterum id ipsum, utrum professores interpretationem illam ipsi afferrent an in ipsa Romae urbe conficerent, adeo leve, adeo futile est, ut Perronius prudentius facturus fuisset, si silentio hoc praeterisset [3].

Non verum est, quod Perronius dicit, professores Braunium et Elvenichium rogasse, ut ad s. patrem admitterentur. Scilicet sine opera sua per eminentissimum cardinalem Secretarium Status *Lambruschinium* benignissime admissi sunt factaque est eis de re controversa amplissima dicendi potestas. Verba s. patris: „Existimo, vos Romam venisse, non ut s. sedem doceatis, sed ut ab ea doceamini" ex vero suo nexu revulsa et ita collocata sunt, ut sententia ipsis subiecta corrumpatur [4].

Sermo, de quo Perronius p. 36 loquitur, neutiquam accurate relatus est. Pro certo affirmare possumus, Perronium in eo sermone longe aliter sese gessisse, quam nunc videri vult, aliis verbis multumque diversis usum esse, quam nunc usus esse gloriatur. Idem non minus certe dicere possumus de sermone, quem cum solo Elvenichio sibi fuisse narrat. Quod unus alterve professor Theodiscus cum Perronio Romae locutus est, id legentibus haud dubie aut parum aut nullius momenti videtur, ideoque omissa tota huius rei narratione id unum asseverare satis habemus, Elvenichium non omnia ea dixisse, quae Perronio referente locutus fertur, et hoc nulla alia causa fretus dico, quam quod ea dicere non *potuit*. Sed nonne haec nimia confidentia est, si dicas te scire, quae Elvenichius dicere possit, quae non possit? Non est. Elvenichius, ut unusquisque, cui cognitus is est, testabitur, ex eo genere hominum est, de quibus ante definiri possit, quid certis in rebus dicturi facturique sint, h. e. ex eo

---

1) Epist. 185.

2) Hieronym. adv. Ioannem Hierosolymitanum.

3) v. Variationes ad Acta Romana.

4) v. Acta Romana.

genere hominum, quorum verba et facta veri et iusti finibus determinantur, qui tantum absunt, ut hos fines perrumpant, ut ne periculum quidem faciant, audaci imaginationis saltu eos egrediendi, aut tergum flectendi, ut clam sese subtrahere iis possint. Eam ob causam Elvenichius Perronio quaerenti: „cur Romam venistis“ non respondit, „ut fidei professionem proponeremus eoque a criminationibus nos defenderemus, quae in nos motae sunt.“ Quodsi Elvenichius haec dixisset, ipse sibi repugnasset, cum verum propositum, quod itinere Romam suscepto secutus esset, saepius, ut *Acta Romana* testantur, declarasset. Sed Perronium mentiri, cum scribit, „a sese hanc fidei professionem iam visam esse, sed (in colloquio) sese non respexisse ad eam“, hoc manifestum est: Perronius enim hanc fidei professionem videre non potuit, quod professores Braunius et Elvenichius plane nullam composuerant. Hanc ipsam fidei professionem, quae nulla est, Perronius hic significat et posthac clare eloquutus est, non orthodoxam fuisse, eius rei se gnarum fuisse, sed hanc rem a sese silentio praeteritam esse. Quid iam de Perronio cogitemus, si gnarum ei esset, in fidei professione doctrinas erroneas esse, idque nihilominus professorem Elvenichium celaret, si eum non edoceret, cum occasio oblata esset? Num id humanum erat, num hominis Christiani erat? *Quae tanta stultitia est, volentibus occasionem dare nolle respondere*, dicit Hieronymus. Ac nihilominus Perronius affirmat, „sese libenter ea occasione usum esse, ut etiam *apertius* cum Elvenichio loqueretur“. Quam occultus in sermone suo Perronius sit necesse est, si hic sermo apertus erat! Sed Perronius ut re vera dixerit, quod dixisse vult, aut *non* dixerit, ipsi vel tunc non multum proderit, si forte legem scriptoris cuiusdam Franco-Gallici suam fecit, qui mores suos quam doctrinam prostitui maluit: „Arretés s'il vous plait! on peut attaquer mes moeurs, mais pour ma reputation d'auteur je ne le souffrirai jamais!“ Nam si Perronius ad professorem Elvenichium re vera non dixit: „Nonne videtis, vos vestra distinctione facti et iuris sequi Iansenistas“, mores eius male se habent, cum iam dicat, sese dixisse. Sin dixit, non minus male se habet cum Perronio: tum enim Elvenichio dixit, quod dicere non debuit. Si enim dicere voluit, hanc distinctionem a Iansenistis inventam esse, eamque reprobandam esse, uno spiritu duo maxima peccata

protulit. Omnino enim falsum est, hanc distinctionem a Iansenistis inventam esse. Cardinalis Bellarminus eam iam fecit, antequam Iansenius natus esset. Sed si Perronius id nescit, quod theologus tam clarus, ut Bellarminus, si nescit quae celeberrimi sui ordinis viri docuerunt, quomodo sciat, quae media aetate, quae usque ad tempora s. Augustini, quibus haec distinctio iam reperitur, exposita sint [1]). An haec distinctio reprobanda videbitur? Quid igitur inest, quod reprobetur? Cui dogmati fidei catholicae repugnat? Eiusmodi repugnantiam nemo dum demonstravit. Sed contrarium in *Actis Romanis* demonstratum est, ac nimium dicere nobis non videmur, si addamus, ita demonstratum esse, ut redargui non possit. Ad hanc demonstrationem nova etiam momenta dare in promptu esset, dare possemus praeter cardinalium illic laudatorum *Bellarmini*, *Baronii*, *Perronii*, aliorum etiam iudicium, in maximis causis usu comprobatum, seriem hominum gravissimorum atque celebratissimorum ex cunctis saeculis ecclesiae, qui hac distinctione usi sunt, enumerare possemus: sed hoc esset in causa aperta et lectorum patientia et otio et charta intemperanter abuti, hoc esset aquam in dolium Danaidarum ingerere! *Nam quia falli nolunt, nolunt convinci, quod falsi sint,* sententia est verissima s. Augustini [2]).

---

1) Acta Romana p. 234 sqq.

2) Fridericus *de Kerz*, qui egregium librum, quem comes Fridericus Leopoldus de Stollberg de *historia religionis Iesu* scribere coepit, exsequitur atque perficit, clarissimis verbis hanc doctrinam et non uno quidem loco sed plurimis pronuntiavit. Sume eius libri tomum XIX, partem II, et vide p. 251 scriptum: „Quod ad Origenis condemnationem attinet, ea non est dogma, ne minimum quidem fidem et dogmata sacrosanctae ecclesiae nostrae attingit, pertinet enim aperte ad *rem facti*, ad *res in facto positas*, quae testimoniis humanis tum voce tum scripto prolatis nituntur, nunquam vero aut rarissime documentis ex omni parte plenis. Sed constat inter omnes in eiusmodi rebus adeo summos pontifices atque proinde etiam concilia et quod inde sponte consequitur, etiam summos pontifices et concilia simul errare posse.“ Sume eiusdem libri tomum XXII, partem II, et lege p. 460 scriptum: „Etiam vera concilia legitime convocata et sub auspiciis summi gubernatoris ecclesiae procedentia non quidem *in rebus fidei*, sed tamen *in rebus facti* errare posse, id semper creditum

Sed tamen impetrare a nobis non possumus, quominus duas res adiiciamus. Una quae Perronium ipsum duplici nomine attingit, haec est: Möhlerus in Symbolica sua scribit[1]: *Theologi catholici unanimi consensu et prorsus sic, ut ex ipso ecclesiae ingenio consequitur, docent, ipsam biblicam demonstrationem* (ecclesiae) *in decreto, quod pro infallibili habetur, non esse infallibilem,* sed tantummodo ipsum dogma declaratum."

Secundum Möhlerum celebratissimum theologum igitur theologi catholici unanimi consensu tradunt, ecclesiam, cum biblicam demonstrationem exhiberet (si argumentum ex libris sacris depromptum proponat), in hac errare posse. Cur igitur ecclesia aut summus pontifex, cum agitur de intellectu libri alicuius non sacri, non biblici, verbi causa librorum Hermesianorum, errare non poterunt? Möhlerum h. l., ut quisque intelligit, distinctionem iuris et facti pronuntiare, id memorabile non est, neque ob eam rem hunc locum in medium protulimus, sed illud memorabile est, a Perronio eandem hanc *Symbolicam* Franco-Gallice ab *Achatio* conversam lectitatam, et in ipsa Urbe publicam praelectionem habitam ab ipso et typis evulgatam esse[2], in qua liber ille Moehleri egregie laudatur. Si igitur haec distinctio tam falsa, tam perniciosa, tam pestifera est, cur Perronius ibi tacuit, cur non etiam Möhlerum in Iansenistis retulit? Sed Perronius spreta laudat laudataque spernit, ius, aequitatem, leges, pudorem, omnia susque deque habet, ne pessimae causae victoria eripiatur.

His expositis ad alteram rem transeamus. Orta est ante annos fere ducentos et quinquaginta in ecclesia catholica controversia celeberrima, quae una re certe maximam cum Hermesiana similitudinem habet. Nam quibus artibus, quibus fraudibus in ea certatum sit, id omnem cogitationem superare videretur, nisi eadem omnia in causa Hermesiana ab adversariis adhibitas esse vidissemus. Actum est etiam de *distinctione iuris et facti*,

---

est." His adde *iudicium theologi Romani de statu quaestionis circa causam doctrinae Hermesianae* quod in actis Romanis p. 21 s. exstat et habes exempla ex scriptoribus etiamnum inter vivos versantibus et orthodoxiae fama florentibus.

1) Doctrina Catholicorum de ecclesia §. 36.

2) v. Annali delle Scienze religiose. Novembre e Decembre 1837.

ac tunc libellus Paulo V summo pontifici exhibitus est quem totum recitabimus [1].

„Si status quaestionis, inquiunt isti theologi, inspiciatur, non tam de modo rei, quam de B. Augustini et D. Thomae sententia videtur esse controversia. Utraque enim pars duorum illorum sanctorum doctrinam profitetur, ambos pro se stare contendit, eorum sententias et verba diligenter interpretatur; ut quae duorum theologorum mentem assequatur, contentioni finem imponat. Igitur, si verum dicendum sit, id explicandum restat unum, quid duo gravissimi autores, et catholicae ecclesiae columnae et ornamenta, de quaestionibus propositis senserint. *Quis autem dicat pertinere ad fidem, quid hic aut ille, quamvis insigni doctrina et sanctitate clarus, vel existimaverit, vel docuerit?* Res quidem ipsa, quam hi duo theologi tradiderunt, id fidei fortasse obiectum spectare utcunque potest; fuisse autem illos huius vel illius sententiae, nisi ex ipsorum scriptis, sive evidenter, sive probabiliter colligatur, ambiguum erit et obscurum, fide catholica definiri non poterit. Cum enim Romanus pontifex, ad quem potissimum spectat, tanquam ad supremum et infallibilem controversiarum fidei iudicem, dogmata definire, non possit novos libros canonicos scribere, et novos fidei articulos condere (quod olim faciebant Prophetae, Apostoli, caeterique Canonici scriptores), sequatur necesse est sacrarum litterarum, ac divinarum traditionum autoritatem, vel sanctorum patrum et theologorum consensionem, vel communem quendam totius ecclesiae sensum, et quasi gustum: quorum nihil spectari potest, cum de privati hominis sententia disputatur. Nam ut olim prophetis atque apostolis, reliquisque sacrorum librorum scriptoribus, et divinarum traditionum autoribus ita affuit spiritus sanctus, ut nihil illis excideret, quod non esset divinitus inspiratum: ita etsi idem spiritus sanctus Romano pontifici semper adest, ut in rebus fidei declarandis explicandisque sacris litteris, apostolicis traditionibus, superiorum pontificum responsis, conciliorum decretis, et ecclesiasticis sanctionibus, quibus principia fidei continentur, nunquam fallatur aut erret; *in privatorum vero dictis declarandis, quae*

1) Vid. *Historiam congregationum de auxiliis* divinae gratiae, authore Hyacintho Serry. Antverpiae 1709. p. 485—86.

humano studio ac diligentia deteguntur, vereor an possit hanc sibi infallibilem spiritus sancti assistentiam certo polliceri. Quemadmodum neque illi ipsi autores spiritus sancti ductum ita penitus sequuti sunt, ut humano more nonnunquam labi et errare non possent. Itaque antiqui pontifices, cum de privato aliquo autore agunt, hominis doctrinam, conditionem et sanctitatem laudant, nunquam tamen, ni fallor, cuiusquam sententiam explicandam suscipiunt, et hoc vel illud quempiam sensisse definiunt, idve tanquam fidei dogma proponunt. Atque in hac ipsa quaestione, dum Romani pontifices Innocentius et Caelestinus s. Augustinum eximium ecclesiae lumen, et catholicum sanae sententiae doctorem appellant, et de gratia ac praedestinatione recte sensisse et docuisse affirmant; quid autem potissimum docuerit, aut quomodo eius sententia accipienda sit, ne attingunt quidem. Certe de re gravissima disceptatur: de convenientia gratiae efficacis ac divini concursus cum libera voluntate, de natura divinae providentiae ac praedestinationis, de viribus liberi arbitrii, deque ipsius humanae libertatis conditione, denique de necessaria coniunctione secundarum causarum cum prima et universali causa: quae omnia sacrae litterae, ecclesiae, sanctiones, ss. patres, omnes denique philosophi, ipsaque adeo naturalis ratio apertissime docent. Si quis haec neget, aut in dubium revocet, hunc equidem proditae aut nullius potius fidei esse crediderim. Si autem quispiam fit, qui cum haec omnia salva esse velit, de modo quo ista defenduntur aut explicantur quaestionem moveat, quis iure reprehendat? Aut quis damnet eum qui ambigere se dicat, quid de propositis quaestionibus existimarit sive s. Augustinus, sive s. Thomas? At modus quo ista defenduntur, fidei vel aperte repugnat, vel periculum creat. Ex altera enim parte metuendus est Pelagianismus, ex altero vero Lutheranismus. Quis hoc docit? Viri docti et religiosi non pauci; sed aeque multi, atque adeo etiam plures similiter docti ac pii pernegant: qui cum se D. Thomae ac D. Augustini sententiis atque autoritate premi atque urgeri sentiunt, eorundem pro sua sententia dicta neque pauca neque levia proferunt; ut, velis nolis, eodem revolvi necesse sit, id unum ultimo quaeri, quae de proposita quaestione fuerit duorum hominum sententia. *Quamobrem facti, quod aiunt, humani quaestio iudicatur,*

quae sub fidei definitionem cadere nullo modo potest."

Iam a quibusnam tu putas hunc libellum summo pontifici fuisse exhibitum? Putasne a Iansenistis? Certe quidem Iansenistae hanc distinctionem accuratius explicare non potuissent, attamen non ab iis exhibitus est, sed ab eorum acerrimis adversariis, a societatis Iesu theologis, a collegis Perronii „theologi Romani", qui Hermesianos propter hanc distinctionem diris omnibus vovere conatur.

Ex quibus omnibus efficitur hanc distinctionem optimis rationibus niti, neque eo reprobari aut in suspicionem adduci posse, quod Iansenistae perperam ea usi sunt. Si ex abusu aut bonitas aut pravitas rei cuiusdam penderetur, omnia mox misceri manifestum est, cum etiam lumen et ignis abusui obnoxia esse possint. Marcion et multi alii pessime ipsis evangeliis abusi sunt: rosit arrosit perrosit Marcion sacrae scripturae locos, num igitur nos propter Marcionis insaniam evangelia reiiciamus? Ostendat Perronius si potest, iniuria Hermesianos provocare ad distinctionem iuris et facti, sed ipsam distinctionem reiicere, hoc est totum negotium corrumpere aut, quemadmodum in proverbio est, infantem cum balneo profundere.

Redeamus ex hoc sermonis deversorio ad ea quae Perronius dixisse se renuit. Nondum enim satis est, nondum elabi Perronium patimur, sed diutius apud hoc eius dictum moramur. Nam si revera dixit, quod dixisse vult, etiam aliam ob causam dicere non debuit, obedientia erga summum pontificem prohibere eum debuit. Nam Innocentius XII papa decreto die 6 Ianuarii 1694 emisso *sub praecepto obedientiae* vetuit, „ne quis Iansenista appellaretur, nisi si quis Iansenismi convictus aut a magistratu, cui id competeret, Iansenista declaratus esset."

„Sed Iansenismus hodie crimen est eorum qui nullum crimen commiserunt," universitas Lovaniensis a. 1690 ad papam Alexandrum VIII scripsit.

Dum professores in fossa, quam veteres theologi ecclesiae catholicae inter *ius* et *factum* apertam reliquerunt, tutos se esse credunt, dum sagittae heterodoxiae eos non tangentes praetervolant, Perronius novis cuniculis multumque diversis perniciem eis praeparat. Res est in facto posita, detestanda et horribilis,

quam in caput eorum devolvit, res, abs qua nulla distinctio defendere eos potest, quae haud dubie eorum existimationem et famam radicitus subvertat, quae eos in sceleratissimorum hominum consortium reiiciat necesse est. Quod ut videas, recita denuo:

„Declaratio (fidei professio), quam propondituri erant, *obscuris aequivocisque* verbis composita erat, in eaque, quamvis *tecte, multae ex falsis erroneisque doctrinis* inerant, *quae in auctore earum condemnatae sunt.*“

Etiam viro honesto, etiam religioso accidere potest, ut non semper vocem maxime dilucidam et nulli pravo intellectui obnoxiam eligat, etiam probo viro accidere potest, ut non omnes res suis certis ac propriis maximeque definitis vocabulis nominet, etiam viro veri amantissimo accidere potest, ut pronuntiatum quoddam verum habeat, quod accuratius examinatum falsum compareret: sed *erroneas*, iam condemnatas doctrinas *obscuris ambiguisque* vocibus *tegere*, hoc vir *probus* et *honestus* non committit, hoc non est nisi hominis meticulosi, profligati ac perditi, qui, quod summum esse debet, proiecit, hoc non est nisi monstri humanam prae se ferentis speciem. Immo non desunt viri celeberrimi, qui asseverarent, nunquam exstitisse adeo perditum hominem aut tantam hominis pestem, qui errorem ut errorem amplexus sit.

Quod igitur nonnisi homines perditissimi facere possunt, quod ne hi quidem semper posse dicuntur, id auctores fidei professionis fecisse accusantur, et hoc facinus, quo coram omnibus nota indelebili inusti comparent, palam in caput eorum Perronius devolvit? Quid te, Perroni, prohibuit, quominus *tectos* hos errores professori Elvenichio detegeres, cum magis *aperte* cum eo locutus es? An consulto sagittam hanc venenatam in pharetra tua reservasti, ut in ambos professores coniiceres, ambos uno iactu ea percuteres? Sed hoc quomodocunque se habet, haec res in facto posita horribilis, quam Perronius professoribus imponit, in ipsum revolvetur, sagitta ab eo emissa a veritate retundetur, ipsum Perronium defiget, in ipsius Perronii pulmonibus ac visceribus haerebit. *Professores enim illi eiusmodi fidei professionem non composuerunt, iidem fidei professionem, quam non conscripserunt,*

quae sub fidei definitionem cadere nullo modo potest.“

Iam a quibusnam tu putas hunc libellum summo pontifici fuisse exhibitum? Putasne a Iansenistis? Certe quidem Iansenistae hanc distinctionem accuratius explicare non potuissent, attamen non ab iis exhibitus est, sed ab eorum acerrimis adversariis, a societatis Iesu theologis, a collegis Perronii „theologi Romani“, qui Hermesianos propter hanc distinctionem diris omnibus vovere conatur.

Ex quibus omnibus efficitur hanc distinctionem optimis rationibus niti, neque eo reprobari aut in suspicionem adduci posse, quod Iansenistae perperam ea usi sunt. Si ex abusu aut bonitas aut pravitas rei cuiusdam penderetur, omnia mox misceri manifestum est, cum etiam lumen et ignis abusui obnoxia esse possint. Marcion et multi alii pessime ipsis evangeliis abusi sunt: rosit arrosit perrosit Marcion sacrae scripturae locos, num igitur nos propter Marcionis insaniam evangelia reiiciamus? Ostendat Perronius si potest, iniuria Hermesianos provocare ad distinctionem iuris et facti, sed ipsam distinctionem reiicere, hoc est totum negotium corrumpere aut, quemadmodum in proverbio est, infantem cum balneo profundere.

Redeamus ex hoc sermonis deversorio ad ea quae Perronius dixisse se renuit. Nondum enim satis est, nondum elabi Perronium patimur, sed diutius apud hoc eius dictum moramur. Nam si revera dixit, quod dixisse vult, etiam aliam ob causam dicere non debuit, obedientia erga summum pontificem prohibere eum debuit. Nam Innocentius XII papa decreto die 6 Ianuarii 1694 emisso *sub praecepto obedientiae* vetuit, „ne quis Iansenista appellaretur, nisi si quis Iansenismi convictus aut a magistratu, cui id competeret, Iansenista declaratus esset.“

„Sed Iansenismus hodie crimen est eorum qui nullum crimen commiserunt,“ universitas Lovaniensis a. 1690 ad papam Alexandrum VIII scripsit.

Dum professores in fossa, quam veteres theologi ecclesiae catholicae inter *ius* et *factum* apertam reliquerunt, tutos se esse credunt, dum sagittae heterodoxiae eos non tangentes praetervolant, Perronius novis cuniculis multumque diversis perniciem eis praeparat. Res est in facto posita, detestanda et horribilis,

quam in caput eorum devolvit, res, abs qua nulla distinctio defendere eos potest, quae haud dubie eorum existimationem et famam radicitus subvertat, quae eos in sceleratissimorum hominum consortium reiiciat necesse est. Quod ut videas, recita denuo:

> „Declaratio (fidei professio), quam propposituri erant, *obscuris aequivocisque* verbis composita erat, in eaque, quamvis *tecte, multae ex falsis erroneisque doctrinis* inerant, *quae in auctore earum condemnatae sunt.*“

Etiam viro honesto, etiam religioso accidere potest, ut non semper vocem maxime dilucidam et nulli pravo intellectui obnoxiam eligat, etiam probo viro accidere potest, ut non omnes res suis certis ac propriis maximeque definitis vocabulis nominet, etiam viro veri amantissimo accidere potest, ut pronuntiatum quoddam verum habeat, quod accuratius examinatum falsum comparet: sed *erroneas*, iam condemnatas doctrinas *obscuris ambiguisque* vocibus *tegere*, hoc vir *probus* et *honestus* non committit, hoc non est nisi hominis meticulosi, profligati ac perditi, qui, quod summum esse debet, proiecit, hoc non est nisi monstri humanam prae se ferentis speciem. Immo non desunt viri celeberrimi, qui asseverarent, nunquam exstitisse adeo perditum hominem aut tantam hominis pestem, qui errorem ut errorem amplexus sit.

Quod igitur nonnisi homines perditissimi facere possunt, quod ne hi quidem semper posse dicuntur, id auctores fidei professionis fecisse accusantur, et hoc facinus, quo coram omnibus nota indelebili inusti comparent, palam in caput eorum Perronius devolvit? Quid te, Perroni, prohibuit, quominus *tectos* hos errores professori Elvenichio detegeres, cum magis *aperte* cum eo locutus es? An consulto sagittam hanc venenatam in pharetra tua reservasti, ut in ambos professores coniiceres, ambos uno iactu ea percuteres? Sed hoc quomodocunque se habet, haec res in facto posita horribilis, quam Perronius professoribus imponit, in ipsum revolvetur, sagitta ab eo emissa a veritate retundetur, ipsum Perronium defiget, in ipsius Perronii pulmonibus ac visceribus haerebit. *Professores enim illi eiusmodi fidei professionem non composuerunt, iidem fidei professionem, quam non conscripserunt,*

nemini tradiderunt, nemo ab iis accipere potuit. Nihilominus hac falsa relatione, hoc procaci mendacio tam horribilem accusationem adversus professores superstruit? Post eiusmodi relationes Perronius tamen scribere a se impetravit: „sese nihil affirmasse, nisi quod certis fundamentis niteretur.“ Enimvero si Perronius nunquam nisi in hac sola re contra veritatem peccasset, hoc facinus unum sufficeret, ut is ab omnibus contemnendus designaretur.

Declaratio Elvenichii diurnis universalibus Augustanis inserta Nr. 66. 7 die Martii a. 1839.

„In libello nuper Ratisbonae evulgato et ex Italica lingua Theodisce converso, cui index „*Ad historiam Hermesianismi spectantia P. I. Perronii* e soc. Ies. part. 1. p. 37 sq. de fidei professione, a professore Braunio et me composita, refertur et ad eam accuratius denotandam haec adduntur: „declaratio, quam propposituri erant, obscuris aequivocisque verbis composita erat, in eaque, quamvis *tecte*, *multae ex falsis erroneisque doctrinis* inerant, quae in auctore earum condemnatae sunt.“ Haec relatio Perronii prorsus falsa est. Professor Braunius et ego eiusmodi fidei professionem s. declarationem non composuimus, eiusmodi documentum cognitum non habemus, ac ne minimum quidem eius a nobis profectum est. Habes novum exemplum praeter ea, quae diurnis universalibus aliisque diurnis innotuerunt, quantum fidei habendum sit iis, quae Perronius affirmat (p. 8): „sese omnia ex fidis fontibus hausisse, summa diligentia argumenta necessaria sibi acquisivisse, ut nihil asseveraret, nisi quod certis fundamentis niteretur.“ Multa alia hic omitto, quae in Perronii dissertationibus a veritate abhorrent, atque interim provoco ad primam partem defensionis meae, quae modo in lucem prodiit: ibi enim nonnulla a Perronio relata luce qua opus est illustrantur.“

Dr. Elvenich.

Archiepiscopus liber baro de Droste et professores Braunius atque Elvenichius. — Hermesianorum ratio ad Archiepiscopum. — Theses Colonienses. — Commentationes: de natura peccati originalis — de supremo fine, quem deus propositum habeat in mundi creatione.

Paginis 33 et 34 Perronius de ratione loquitur, quam archiepiscopus recens creatus, liber baro de Droste, adversus Hermesianos in archidioecesi Coloniensi iniverit. Subsequentibus foliis etiam aliquoties ad hanc rationem revertitur. Sed quaecunque Perronius de hac re promit, ea partim relationibus non veris nituntur, aut prave detorta sunt, ideoque plane non apta, ut rationem illam inde perspicias. Qui melius hac de re edoceri se cupiant, eos ablegamus ad libros typis expressos, qui eam rem enarrandam susceperunt, et quibus potissima momenta ex ipsis documentis enucleata sunt. Nonnisi singula a Perronio primum addita, nonnisi singulas assertiones, quas adiungit ad ea quae retulit, nonnullis nostris adnotationibus comitabimur, etiamsi ab illo verbo adiecta verbo negare aut tacuisse liceret. Refert:

> „Elvenichium et Braunium professores solita indulgentia et comitate a s. Patre acceptos esse, dein plures Cardinales invisisse et Archiepiscopum Coloniensem apud eos diffamare studuisse.“

Pauca quidem verba Perronii, sed ita posita, ut facile cognoscas Perronium sive *Perrodium* qui verum ubi invenit rodere, arrodere et perrodere solet. Verum est utique, professores a summo pontifice *indulgentia et comitate*, addo etiam *maxima*, fuisse acceptos; sed addit astutus Perrodius *solita*. De qua re ut iudicium ferri possit, haec ex Lamennaei libro „Affaires de Rome“ inscripto in medium proferre placet. „Un ami“, scribit Lamennaeius, „désira nous présenter au cardinal Zurla, vicaire du pape. Il consentit d'abord à nous recevoir, puis il refusa. Il nous importait d'obtenir une audience du pape même. Des intrigues se nouérent pour l'empêcher. Elle nous fut accordée cependant, mais à la condition qu'il n'y serait parlé en aucune manière de ce qui nous amenait à Rome. Le cardinal de Rohan, choisi pour être, temoin de ce silence convenu, nous presenta; le pape nous reçut avec bonté, et, quant

à notre affaire, nous demeurâmes au point précis où nous etions en arrivant. Le mécontentement etait manifeste“ [1]. Iam cum hoc Lamennaei commentario confer ea quae in actis Romanis narrata sunt, ut omnem rem intelligas, ut intelligas iniqui et ecclesiae et veritati *Perrodii* artes. Quod vero ad ea pertinet quae professores apud cardinales fecisse dicuntur ut recte aestimemus, monendum est, duobus modis posse famam alicuius afflictari: primum ita ut vera, dein ita ut falsa de eo proferantur. Alter modus semper illicitus est, a bonis moribus alienus; prior nonnisi certis conditionibus. Si professores altero illo modo diffamaverunt archiepiscopum Coloniensem, Perronius hoc demonstret. Ipse enim non is est, cui dicenti sive hoc sive aliud quidquam credere possimus. Designet quaeso vocem falsam, ambiguam, inverecundam, quam professores de archiepiscopo Coloniensi coram aliquo *cardinali* s. Romanae ecclesiae protulerunt! Hoc vere nunquam nisi periuriis facere poterit. Sin vero professores cum cardinalibus nonnisi *vera* de agendi ratione archiepiscopi Coloniensis communicaverunt, quid commiserunt quod reprehensionem mereret? An plane, quocunque rerum statu, vetitum est, conqueri de archiepiscopo quodam, conqueri coram eminentissimis cardinalibus, conqueri coram summo senatu ecclesiae, coram papae consiliariis? O, tunc s. Hieronymus summam iniuriam contraxit, cum ordinarium suum, episcopum Hierosolymitanum Ioannem tam graviter accusavit. Ut existimari possit de verbis, quibus Hieronymus adversus hunc episcopum usus est, sufficiat locos a nobis transscriptos legisse:

„Quae haec est tanta arrogantia, non respondere de fide interrogantibus? Tantam fratrum multitudinem et monachorum choros — — quasi hostes publicos aestimare: Dei filius propter unam morbidam ovem, nonaginta novem in montibus derelictis, alapas, crucem, flagella sustinuit — —. Tu beatissimus papa et fastidiosus antistes, solus dives, solus sapiens, solus nobilis ac disertus, conservos tuos, et redemptos sanguine domini tui, rugata fronte et obliquis oculis despicis? Hoc est illud, quod apostolo praecipiente didicisti: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis*

1) Affaires de Rome, par M. F. de la Mennais. Bruxelles 1836 p. 41.

est spe? — — — Nisi forte prudenti consilio, ideo de fide interrogatus taces, ne videaris haereticus esse, cum satisfeceris. — — Tibi soli licet ecclesiae iura calcare: tu quicquid feceris, norma doctrinae est — — [1]. Venisti ad nos, non in austeritate virgae, sed in spiritu benignitatis et lenitatis et mansuetudinis, ut humilitatem Christi primo statim sermone resonares: qui mortalium genus non fulminans et tonans, sed in praesepi vagiens et tacens salvavit in cruce. — Nihil enim grande est, pacem voce praetendere, et opere destruere. Aliud niti, aliud demonstrare, verbis sonare concordiam, re exigere servitutem. — Cito indignatur libertas, si opprimitur. — Nemo plus impetrat a libero, quam qui servire non cogit. Novimus canones ecclesiasticos" [2].

Si plane vetitum esset, ne quis adversus episcopum querelas moveret, sacerdos *Beatus* poenam meruisset, cum adversus archiepiscopum Toletanum *Elipandum* exoriretur eumque oppugnaret, Laurentius *Berti*, theologus Florentinus et Augustinianus crimen commisisset, cum adversus archiepiscopum Senonensem, a quo accusatus erat, prodiret eumque severe et acriter oppugnaret. Sed quantam poenam demum *Iesuitae*, socii Perronii, sic commeruisse videbuntur, qui adversus tot episcopos exorti sunt et famam eorum adflictaverunt? Si igitur professores ideo reprehendendi sunt, quod de archiepiscopo locuti sunt, hanc reprehensionem nulla alia de causa merere potuerunt, nisi quod cardinalibus verum professi sunt. Sed vae veritati, iterum vae veritati, si non licet, ut eam apud cardinalem profitearis!

Episcopis non esse parendum in omnibus rebus, esse etiam prorsus contra officium in quibusdam iis morem gerere, id et per se lucet et disertim a beatissimo patre Gregorio XVI expositum in eo loco quem ipsis quibus scriptus est verbis infra allaturi sumus. Si igitur archiepiscopus Coloniensis adversus Hermesianos eam stationem occupaverat, qualem Perronius refert, quis Hermesianos vituperare poterat, quod ea quae ad suam famam existimationemque, quae ad ecclesiae salutem quam maxime

---

1) Epistol. ad Pammachium adv. errores Io. Hieros. p. 111, 112, 124. (LXI.)

2) Epist. adv. Ioan. Hieros. ad Theophilum. (LXII) p. 125.

pertinere videbantur, prospicerent, quod adversus ea quae archiepiscopus moliretur quaeque ipsis honestati repugnare videbantur, superiores iudices appellarent aliamque iudiciorum rationem requirerent? Quis igitur aequo iure eis interdicere potuit quod rerum statu multo magis iniquo, quam is teste historia fuit, quo tum Hermesiani utebantur, nunquam interdictum erat? Evolvas quaeso opera *Baronii* et *Bellarmini*, *Christiani Lupi*, *Natalis Alexandri*, *Casteelii* et multorum virorum doctrina excellentium, exempla sat multa suppetent. Si igitur Hermesiani „duos ex suis“ Romam miserunt, nonne etiam hoc itineris propositum secuti sunt, ut adversus ea quae ageret archiepiscopus intercederent et iusta ea non esse monstrarent! Ubi autem intercedere aptius potuerunt quam coram cardinalibus? Sed Perronius cum *Eusebianis*, *Acacianis*, cum *patriarcha Photio* et sectatoribus eius, cum *Calvino* et *Febronio* in easdem partes secedere mavult, quam iustissimos Hermesianorum conatus comprobare.

Quae adhuc locuti sumus, in iis vera esse a Perronio relata posuimus. Sed num vera sunt? Minime. Rursus Perrodius ex fontibus male fidis hausit, parum curae adhibuit, ut probamenta, quibus opus esset, acquireret. Hoc enim verum est in illa causa, professores cito intellexisse, rei suae parum conducere, ut ipsi loquerentur in re, quae tunc omnium in ore erat, eosque propterea, nisi necessitas contrarium iuberet, consulto abstinuisse, quominus coram cardinalibus archiepiscopi mentionem iniicerent, Perroniumque rursus retulisse quod falsum est.

Sed nunc ad longe graviora accedamus videamusque, num illa, quae de *Thesibus* relata sunt a Perronio, ex fidis fontibus hausta et iuxta veritatem narrata sint. Audiamus Perronium narrantem:

> „Archiepiscopum omnibus clericis suis ad ordines adspirantibus praescripsisse, ut omnes et singulas theses a se propositas iureiurando interposito confiterentur in easque crederent. Idem fecisse apud sacerdotes, ut ad functiones ecclesiasticas suas aut ad doctrinas profitendas apti declararentur. Sed cum nonnulli professores Hermesiani obsequi recusavissent, clericis suis disertim interdixisse archiepiscopum, ne eorum praelectiones audirent.“

Eorum quae hoc loco narrata sunt, partim ea sunt quae a veritate discedant, partim ea quae lumine suo ut illustrentur flagitent. Primum quidem verum non est, archiepiscopum *omnibus* clericis ut eos ad functiones suas aptos declararet, has theses ad subscribendum proposuisse. Nam admodum paucis ad subscribendum eas proposuit, et his admodum paucis fere eo rerum statu proposuit, quo minime eas ad subscribendum proponi aequum fuit, h. e. tunc quum ipsis minime otium atque facultas erat videndi, num conscientia pateretur, his thesibus subscribi nec ne, tunc quum et ipse et qui ipsi erat ab epistolis quasi baculo armati praesentes adstarent, tunc cum in munus promoveri se cuperent. Si thesibus subscribebant, promotionem quam ambiebant nacti sunt, si recusabant nomen subscribere, in locis suis relicti aut ad peiora minusque fructuosa detrusi sunt. Itaque in nominis subscriptione non *de orthodoxia* agebatur: sic enim non licuisset, ut ii, qui recusarent, sacerdotales functiones omnino exercerent. Res admodum mira et incredibilis libro, cuius nomen infra scriptum est, innotuit, ex quo libro accuratissime perspicitur, quomodo archiepiscopus in hac re processerit [1]. Neque verum est, nonnullos professores Hermesianos *obsequi recusavisse*. Scilicet recusare non poterant, propterea quod nemo, neque archiepiscopus neque iuvenculus, qui ipsi ab epistolis fuit quemque iam abdicavit (utinam nunquam eum ascivisset) *Michelis* neque superior parochus Bonnensis *van Wahnem*, qui quas partes in hac causa acriter egerit, aliquando in lucem protrahetur, postulavit, ut ipsi thesibus subscriberent. Perronius eum professorem Hermesianum nomine appellare velit, abs quo archiepiscopus postulaverit, ut thesibus subscriberet! Sin id non potest, si hoc rursus falsum est, ut revera falsissimum est, qua iusta causa iam nititur, aut ut accuratius dicam, quae causa iam ad speciem praetendi poterat, cum archiepiscopus clericis suis interdixit, ne praelectionibus Hermesianorum interessent? Nonne hoc omnino contra omne ius et fas et aequum interdictum est?

Hi errores, quamvis graves sint in eo, qui asseveravit, sese

---

1) *Res admodum mira*, qua aestimari potest et diiudicari, quomodo archiepiscopus *Clemens Augustus* sacerdotes dioecesis Coloniensis tractaverit. Bonnae apud Weberum 1838.

nihil affirmasse, nisi quod certis fundamentis niteretur, tamen minores videntur prae iis quae de ipso thesium argumento professus est. Perronius enim hoc affirmare ausus est, *eas duodeviginti theses nihil esse nisi doctrinae catholicae in singulis rebus expositionem, quibus Hermesius ab ea discedat quaeque decreto Gregorii XVI proscriptae sint.* Nunc quam enormem sententiam perscripserit Perronius quaeso cognoscite. Legite Breve Gregorii XVI, legite theses archiepiscopi Coloniensis, et sane nesciatis stultitiamne an robustissimam audaciam Perronii magis miremini. Haud dubie id minimum est, quod de Perronio dici potest, accidisse ei idem quod illis, de quibus Clemens XI in simili causa dixit, cum emisit constitutionem pastoralem a. 1718: *supercecidit ignis contentionis et non viderunt solem lucidissimae veritatis.* Nonne enim is quamcunque veritatem ignoret aut prorsus occoecatus sit oportet, qui palam pronuntiare sustineat, theses archiepiscopi Coloniensis nihil esse quam doctrinae catholicae expositionem in iis rebus, adversus quas Breve papale emissum sit? Immo theses etiam continent, quorum nulla utique mentio in Brevi facta est, continent etiam, de quibus nihil in libris Hermesii scriptum est, theses etiam doctrinas continent, ob quas Hermesiani adhuc ne in levissimam quidem suspicionem incurrerant. Nihilominus hae theses nihil esse nisi accurata Brevis papalis expositio a Perronio asseruntur. In manus, lector, suscipe theses, Breve cum iis compara, et iam paucis momentis post tibi persuaseris, ei nihil esse veri, nihil sancti, nullum dei metum, nullam religionem, qui dicat quod a Perronio perscriptum esse legimus, et nullo negotio videbis, opus esse mentis oblivione vel occoecatione, qualem Pharaoni iniectam esse accepimus, ut quis ita scribat, quemadmodum scripsit Perronius. *Prima* thesis ex Brevi sumpta est. *Secunda nonnisi ex parte* sumpta est ex Brevi, altera autem eius pars, si ita intelligatur ut verba praecipiunt — hoc autem secundum voluntatem archiepiscopi in epilogo thesium severe significatam fieri debet — *haeresin ingentem continet! Tertia* thesis inde non desumpta est neque argumentum eius ullo modo Breve attingit. *Quarta* ex Brevi sumpta est, *quinta* non est, et insuper aperte nititur condemnatis Lamennaei placitis, cuius praecepta, cum pro fidei symbolo nondum aperte proponi potuissent, hic indirecte sanciuntur. Omnino hae

theses tum demum recte intelligi possunt, si placita Lamennaei et Bautaenii item a vero aberrantis consideraveris, si ex novissimo Lamennaei libro quo totam philosophiam suam exposuit intellexeris, eum prorsus cum ingenti caterva theologorum catholicorum Theodiscorum in eodem plane luto pantheistico haerere, si in mentem revocaveris, ab archiepiscopo Coloniensi *Muratorii librum de ingeniorum moderatione in religionis negotio* damnatum esse in eoque omnes locos in quibus vel vocabulum *ratio* occurrit nigro stigmate esse signatos, si consideraveris hunc immortalis gloriae virum Coloniae Agrippinae in taeterrimorum ecclesiae hostium numerum nuper esse relatum. Sed redeamus ad reliquas theses, quarum quae numero *sexta* est ex Brevi sumpta est, *septima* autem inde *non* desumpta est, *octava* inde *non* desumpta est, *nona* inde *non* desumpta est, *decima* inde *non* desumpta est, *undecima* inde *non* desumpta est, *duodecima* inde *non* desumpta est, *tertia decima* inde *non* desumpta est, *quarta decima* inde *non* desumpta est, *quinta decima* inde *non* desumpta est, *sexta decima* inde *non* desumpta est, *septima decima* inde *non* desumpta est, *duodevicesima* rursus inde *non* desumpta est. Sin haec re vera ex Brevi sumpta esset, omnes theologi probe scirent, quo res devenerint! Tum enim Gregorius XVI dogmatum numerum auxisset, cum Romano pontifici non solum *primatum iurisdictionis*, sed etiam *primatum ordinis* tribuisset, quod usque ad annum 1837 nemo ex theologis catholicis unquam fecit! Nihilominus hae theses *nihil nisi accurata doctrinae catholicae expositio in omnibus iis rebus esse* feruntur, *in quibus Hermesius ab ea discedat, et adversus quas ipsum decretum Gregorii XVI emissum sit!* Num quidquam nostram aetatem denotare iniquius potest, quam quod licuit professori theologiae in *collegio Romano* impudentissimum mendacium — si in hac causa haec vox concessa non est, nunquam concessa erit — typis evulgare? Ex hoc ipso ingenio thesium proprio intelligi potest, cur archiepiscopus in iis proponendis viam prorsus peculiarem iniverit, cur non aperte, non sibi constanter ageret, cur id tempus exspectaret, donec aliquis promotionem cuperet, et cur adversus eos, qui subscribere recusarent, nihil molitus sit, nisi ut promotionem quaesitam abnegaret aut eosdem ad loca minus optabilia amandaret. Quodsi integram causam tuitus es-

set, eiusmodi adminiculis uti non debuisset archiepiscopus, neque quominus eam perficeret prohiberi se eiusmodi rationibus concedere debuisset. Sed quod asseverat Perronius, hoc idem multo maioris etiam momenti est. Nam si verum est, theses nihil esse nisi accuratam expositionem Brevis a papa adversus Hermesium emissi, primum necessario consequitur, a sede Romana cum archiepiscopo communicatum esse, quibus in rebus errores doctrinae condemnatae constent, cum in ipso Brevi, duabus rebus exceptis, hoc declaratum non sit; deinde etiam consequitur, a Gregorio XVI in illo Brevi non Hermesium solum, sed theologos celeberrimos, viros sanctissimos, eminentissimos ecclesiae doctores, ipsum catechismum Romanum condemnatos esse. Iam devenimus ad locum, qui Perronium, si quidem honos ecclesiae eiusque capitis visibilis ipsi cordi esset, horrore complere deberet. Nam si Perronius vera dixit, si *distinctio iuris et facti* ab origine sua vere Iansenistica est, *haeretica, schismatica,* uno verbo si reprobanda est, tum ex Gregorio XVI alter Honorius procedit! Aliter res se habere poterit, si missa illa Perronii affirmatione distinctionem iuris et facti adhibeamus.

O, quam tremerent homines, si adspicerent omnia iniusta et nefaria, quae facto primo gradu ad hunc ipsum catenae instar sese annectunt. Verbum inconsideratum, affirmatio non circumspecta, in quas horrendas aberrationes hominem abripere possunt! Parvam iniuriam maiore obtecturi sunt, semper nova et illicita adiumenta adhibentur, ac postremo abripiuntur usque ad eas angustias, in quibus nihil reliquum est, quam contumacia et occoecatio adversus verum et iustum! — Sic ex Robespierrio Robespierrius, id est humanae naturae portentum, factus est, sic ex Perronio Perronius.

Iam in eo sumus, ut exemplis nonnullis ostendamus, quousque Perronius infelix ecclesiae, infelix aliorum famae iam devenerit. Si nunc quidem *dogma* aliquod non eligimus, ut quod nobis propositum est probemus sed eiusmodi doctrinas, de quibus ecclesia adhuc nihil decrevit, id certe non Perronii causa fit, sed alia et quidem bona ex causa fit, quam is, cui ecclesiae honor cordi est, facile augurabitur.

I.

De natura peccati originalis.

Notum est omnibus, Hermesium posuisse *naturam* peccati originalis in *concupiscentia*, quam Cicero appetitum diceret. Hoc vere ab Hermesio factum esse, id quidem certissime constat, neque enim defensores neque adversarii Hermesii de hac re ambigunt. Haec opinio ipsa est, quam adversarii reprobant, haec opinio est, quam theses abiurandam praecipiunt, et Perronio asseverante haec opinio est, quam summus pontifex in Brevi suo contra Hermesium emisso condemnavit. Si negari non potest, quod affirmat pater Perronius, tum nullo modo negari potest, a Gregorio XVI opinionem damnatam esse, quam etiam s. Augustinus professus est, una igitur cum Hermesio etiam s. Augustinum condemnatum esse. Augustini enim de peccato originali opinionem eandem fuisse, eamque non uno loco sed innumerabilibus pronuntiatam esse, hoc iure negari non magis potest, quam negari potest, hunc virum summum unquam exstitisse. Augustinus in summa re ea omnia concupiscentiae adscribit, quae omnes Christiani de uno peccato originali credunt. In cuius rei fidem paucos tantum locos ex operibus eius transscribemus. Scribit ille lib. II de peccat. merit. et remiss. cap. 4: „Concupiscentia, tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis huius, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur, parvulos non baptizatos reos innectit, et tanquam irae filios etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit.“

Idem pater ecclesiae scribit de pecc. orig. c. 39: „Obesset illa carnis concupiscentia etiam tantummodo quid inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset, ut quae in eis, et nato et renato, nato quidem inesse et obesse, renato autem inesse quidem, sed non obesse possit. In tantum enim obest natis, ut nisi renascantur, nihil possit prodesse, si nati sunt de renatis. Manet quippe in prole, ita ut reum faciat, vitium originis, etiamsi in parente reatus eiusdem vitii remissione ablatus est peccatorum, donec omne vitium, cui consentiendo peccatur, regeneratione novissima consumatur.“

Num magis definite, quam fit in utroque loco s. Augustini (eiusdemmodi multi alii in scriptis eius insunt), in summa re ea

omnia concupiscentiae adscribi possunt, quae alioqui omnes de uno peccato originali credunt? Nonne igitur s. illi doctor ecclesiae, si idem cum ceteris credit de peccato originis, in concupiscentia positum sit oportet hoc ipsum peccatum? Et nonne in loco illo altero concupiscentiam *diserte vitium originis* appellat? Si fieri posset, etiam distinctius et certius sententiam suam Augustinus promit, cum scribit lib. I de pecc. mer. et remiss. c. 19: „Bonum ergo coniugii non est fervor concupiscentiae sed quidam licitus et honestus illo fervore utendi modus, propagandae proli, non explendae libidini accommodatus. Quod igitur in membris corporis mortis huius inobedienter movetur totumque animum in se deiectum conatur attrahere, et, neque cum mens voluerit conquiescit, hoc est malum peccati in quo nascitur omnis homo.“

Num concupiscentia (quippe haud dubie *libido venerea* ut pars pro toto est) minus ambigue tanquam peccatum originale exhiberi potest? An quid est *malum peccati in quo nascitur omnis homo*? Quid est, nisi peccatum originale est?

Aliquot praeterea locos ex Augustino proferemus, in quibus peccatum originale disertim *malum originale* appellavit.

Lib. III contr. Iul. Pelag. c. 21 scribit: „Ex ista et cum ista (carnis concupiscentia) nascitur homo, bonum Dei opus non sine malo quod trahit origo generationis et sanat gratia regenerationis. Ac per hoc recte a me dictum est (lib. I de nupt. et conc. c. 1.): Ita nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur non potest accusari, sicut adulteriorum et fornicationum malum bono naturali quod inde nascitur non potest excusari. Bonum enim naturale dixi, quod mecum ipse collaudas, malum autem originale dixi cuius (scil. concupiscentiae) motibus mecum repugnas, et cuius contra me laudibus pugnas. Non est malum quod natus es, sed cum quo natus es, et contra quod spiritualiter dimicas, quia natus es.“ Et cap. 22: „Quid ergo a me quaeris, ubi sit originale malum, cum in te ipso verius tibi loquatur libido, contra quam pugnas quam tu ipse — quando eam laudas“ et cap. 26: „Hoc originali malo etiam parentes illorum rei nati sunt, etsi ab hoc reatu renascendo sunt liberati“ etc. etc.

Et quomodo fieri possit, ut peccatum originale ecclesiae do-.

ctori aliud sit quam concupiscentia, cum idem innumerabilibus locis opinionem profiteatur, peccatum originale a parentibus ad liberos propagari, et quidem summo fervore concupiscentiae parentum in liberis generandis. „Frustra itaque“, ille scribit lib. II de pecc. mer. et remiss. c. 9, „nonnulli etiam illud argumentantur, ut dicant: Si peccator genuit peccatorem ut parvulo eius reatus originalis peccati in baptismi acceptione solvatur; etiam iustus iustum gignere debuit. Quasi ex hoc quisque carnaliter gignat quod iustus est et non ex hoc quod in membris eius concupiscentialiter movetur, et ad usum propagandi lex peccati mentis lege convertitur. Ex hoc ergo gignit quod adhuc vetustum trahit inter filios saeculi, non ex hoc quod in novitatem promovit inter filios Dei. Filii enim saeculi huius generant et generantur. Inde et quod nascitur tale est, quia et quod nascitur de carne, caro est. In quantum autem sunt filii Dei, carne non gignunt, quia spiritu et ipsi, non carne nati sunt. Sed ex hoc carne gignunt quicunque eorum gignunt, ex quo nondum in novitatem perfectam totas vetustatis reliquias commutarunt. Unde quisquis filius de hoc patre nascitur vetusto et infirmo, necesse est ut etiam ipse vetustus sit et infirmus; idcirco oportet, ut etiam ipse in aliam generationem per remissionem peccatorum spiritu renovetur. Quod si in eo non fit, nihil ei proderit pater iustus; spiritu enim iustus est, quo eum non genuit. Si autem fit, nihil ei oberit etiam pater iniustus: iste enim gratia spirituali in spem novitatis aeternae transitum fecit, ille autem mente carnali totus in vetustate permansit.“

Haec igitur sententia atque opinio, quam s. Augustinus locis innumerabilibus profitetur, quae per omnes eius demonstrationes et confutationes contrariorum et falsorum placitorum porrigitur, haec opinio, quam admirante et adprobante ecclesia professus est, haec opinio in thesibus Coloniensibus reprobata est; iure iurando interposito ii, qui nomen subscripserunt, obstricti sunt, ut ab ea abhorreant; iamque, si credimus Perronio, etiam Gregorius XVI hanc sententiam opinionemque condemnavit tamquam eam quae a doctrina catholica aliena esset.

Plane conveniunt cum iis quae iam proposita sunt ea quae sanctus Augustinus innumeris locis docet. Sed si quis post haec omnia mihi credere nolit, Augustinum naturam peccati originalis

in concupiscentia positam existimasse, si quis etiam suo ipsius iudicio credere nolit, sed auctoritatem suspicioni non obnoxiam sequi malit, is certe hoc credat *Petro Lombardo*, *s. Bonaventurae* atque *confutatoribus confessionis Augustanae.*

Nempe opinio Augustini non solitaria est, non cum ipso mortua est, ad tempora subsequentia propagata est. *Petrus Lombardus, magister Sententiarum,* eam adoptavit, fretus auctoritate Augustini, et quanta commentatorum nubes eum secuta est! Libr. II sentent. dist. 32 ille scribit:

„Quoniam supra (dist. 30) dictum est, originale peccatum esse vitium concupiscentiae assignatumque quomodo a parentibus trahatur et originale dicatur, superest investigare quomodo in baptismo dimittatur cum etiam post baptismum remaneat concupiscentia, quae ante fuerat. Unde videtur vel peccatum originale non esse concupiscentiam, vel non remitti in baptismo. Manet quippe, ut ait Augustinus, in corpore mortis huius carnalis concupiscentia, cuius vitiosis desideriis non obedire praecipimur: quae tamen concupiscentia, quotidie minuitur in proficientibus et continentibus. Sed licet remaneat concupiscentia post baptismum, non tamen dominatur et regnat sicut ante: immo per gratiam baptismi mitigatur et minuitur ut post dominari non valeat, nisi quis reddat vires hosti eundo post concupiscentias. Nec post baptismum remanet ad reatum, quia non imputatur in peccatum, sed tantum poena peccati est, ante baptismum vero, poena est et culpa.“

Theses Colonienses postulant, ut haec doctrina *Petri Lombardi* abiuretur, postulant, ut ea doctrina tanquam acatholica condemnetur, quam vir ingentis auctoritatis auctoritatem Augustini secutus et paene iisdem quo ille verbis usus tradit, et Perronio affirmante haec doctrina in Brevi summi pontificis condemnata est.

Petrum Lombardum in definienda natura peccati originalis multi ex commentatoribus eius secuti sunt, veluti *Henricus Gandavensis*, *Gregorius Ariminensis*, *Ioannes Driedo*, alii, ex quibus unum s. Bonaventuram sagacissimum theologum hoc loco consulemus. Libro 2 Sentent. dist. 30 art. 2 conclusio ad Quaest. I.: An peccatum originale sit concupiscentia, haec exhibentur: „Peccatum originale est concupiscentia secundum quod in se claudit debitae iustitiae carentiam, quo concupiscentia se habet per modum habitus. — Dum quaeritur,

quid *sit originale peccatum recte respondetur, quod sit concupiscentia immoderata*, recte etiam respondetur quod sit debitae iustitiae carentia et in una istarum responsionum clauditur alia, licet una notificet ipsum *habituale* peccatum ratione eius, quod est in ipso habens modum conversionis altera vero modum privationis. Concedendum est igitur sicut rationes ostendunt, et magister dicit in littera, quod originale peccatum est concupiscentia, et haec non quaecunque, sed concupiscentia prout claudit in se debitae iustitiae carentiam: haec autem est concupiscentia immoderata et intensa adeo ut sit carnis ad spiritum dominantia; et talis semper est iuncta carentiae debitae iustitiae, et secundum quod nobis inest ab origine, dicitur peccatum originale. Et hoc est quod dicit Glossa super illud; Beati quorum remissae sunt iniquitates. Glossa iniquitatem dicit fomitem qui ante baptismum non tantum poena est sed culpa, post baptismum vero poena tantum est et non culpa.“

Idem doctor ecclesiae, qui totum aevum suum lumine suo collustravit, dist. 32 exposit. text. scribit: „Concupiscentia duo dicit. Dicit enim appetitum immoderatum boni commutabilis; et sic dico quod ista immoderantia circa appetitum potest esse dupliciter. Aut ita quod ratio captivetur, et anima pervertatur, ut necessitatem habeat praeponendi bonum commutabile bono incommutabili, et sic dicitur esse concupiscentia intensa et hoc modo tenet rationem culpae, ratione videlicet illius immoderantiae. Alio modo concupiscentia dicit immoderantiam, non quia ratio succumbat sensualitati, sed quia sensualitas non perfecte obtemperet rationi; et hoc modo tenet rationem poenae. Primo modo, quia tenet rationem culpae, directe opponitur ipsi gratiae; et ideo gratia superveniens aufert illam immoderantiam, pro eo quod talis immoderantia ponebat debitae iustitiae carentiam. Aliam autem immoderantiam, quae sicut dictum est, dicit rationem poenae non tollit gratia in suo adventu, propter hoc quod non opponitur formaliter ei; sed quoniam gratia et concupiscentia relicta respectu eius, ad quod inclinant, quandam habent oppositionem, hinc est, quod secundum quod homo plus exercitatur in gratia, magis et magis remittitur concupiscentia: nunquam tamen omnino tollitur concupiscentia, quia semper remanet radix eius in homine, nisi auferatur per donum gratiae speciale.“

Porro scribit s. Bonaventura l. c., daturus responsionem quaestionis, an peccatum originale redeat, si baptizatus gratia accepta non utatur:

„Respondetur quod concupiscentia augetur per consensum illicitum, sicut dicit Augustinus, et hoc duplici ex causa. Primo quia gratia expellitur, ex cuius praesentia ratio sensualitati praeerat et per consequens remittebatur concupiscentia. Alia est ratio quia potentia ex frequentia actus magis promta efficitur ad exeundum in actum consimilem et quia actus illicitus dicit actum concupiscendi; hinc est, quod concupiscentia augetur ab actu illicito quasi a simili. Ad illud ergo quod obiicitur quod tunc redit originale peccatum, (scil. cum revocatur concupiscentia in regnum proprium) dicendum, quod hoc non consequitur duplici ex causa. Primo quidem, quia concupiscentia regnans non dicitur peccatum originale nisi in quantum habet regnum et dominium ab ipsa hominis origine; cum autem illud habet per illicitum actum non habet rationem originalis peccati; sed potius actualis. Alia est etiam ratio quia aliter diminuitur concupiscentia per baptismum aliter augetur per illicitum consensum etc.“

Num s. Bonaventura, iuxta s. Thomam lumen clarissimum, quo ecclesia saeculo tertio decimo illustrata est, num insigne decus ordinis Fratrum minorum certius ac magis definite de natura peccati originalis sententiam promere potest! Sed doctrina *Doctoris Seraphici* in thesibus Coloniensibus reprobata est, theses Colonienses et ipsum et per ipsum totum ordinem fratrum minorum, qui placita confratris sui ingeniosissimi venerabantur, proscripserunt! Fuere clerici archidioecesis Coloniensis, qui iure iurando doctrinas summi huius viri tanquam haereticas designarent, et, si credimus Perronio, etiam Gregorius XVI doctorem Seraphicum condemnavit et in numero erroris magistrorum retulit, eum ipsum, quem papa Sixtus IV in numero Sanctorum reposuit, quemque Sixtus V nomine honorifico *Doctoris ecclesiae* decoravit!

Etiam confutatores confessionis Augustanae doctrinae Augustini de natura peccati originalis assensi sunt, certe concesserunt, nihil obstare quominus ea adoptaretur. „Quodsi“ — sic est in eorum confutatione — „iuxta divi Augustini senten-

tiam vitium originis dicerent concupiscentiam, quae in baptismo peccatum esse desinat, acceptandum esset.“ Sed secundum theses Colonienses confutatores falluntur, errorem errori opposuerunt, opinio eorum reprobanda est eaque a clericis archidioecesis Coloniensis ut talis designanda est. Si Perronius verum dixit, Gregorius XVI eandem hanc doctrinam in Brevi suo adversus Hermesium emisso damnavit.

Opinio s. Augustini, Petri Lombardi, s. Bonaventurae rei publicae catholicae incognita permanere non potuit. Per se ipsa nimium commendationis habebat, et nomina defensorum eius eo fulgore illam circumdederant, ut fere in omnibus scholis theologicis reciperetur. Sic propagata est usque ad tempora concilii Tridentini. In hoc concilio, ubi plurimi theologi tam eruditi, tam egregie docti aderant, ut nostris diebus eandem summam eruditionis theologicae congregare frustra circumspicias, in hoc igitur concilio opinio illa probe cognita erat. Sed patres eius concilii prudenter de natura peccati originalis nihil pronuntiaverunt [1]), et haud dubie opinionem s. *Augustini*, *Petri Lombardi*, s. *Bonaventurae* et tot aliorum excellentium theologorum condemnare non voluerunt. Immo concilium teste *Andradio*, qui ibi aderat et magnam eorum, quae agebantur, curam habuit, decretum de peccato originali ita concinnavit, *ut liberrima relinqueretur licentia quidvis opinandi de peccato originis*. Neque vero decretum illud quidquam continet, quod doctrinae s. *Augustini*, *Petri Lombardi*, s. *Bonaventurae* et tot

1) Nelle mentovate diffinizioni i Padri hebber guardia d'astenersi affato dagli articoli superflui, cioè da quelli che son dubbiosi frà le Scuole cattoliche, percioche il tenere o l'una o l'altra parte non inchiude miscredenza contra delle scritture, de' passati Concilii e delle perpetue Tradizioni: onde possono esse lasciarsi alla libertà degli intelletti senza irriverenza alla rivelazioni di Dio, e senza detrimento dell' anime. E perciò i Legati ripugnarono sempre a farsi decreto sopra la Concezion della Vergine: e ammonirono che non s'entrasse a statuir diffinizione sopra *la quidità del peccato originale*, di che gli Scolastici sono discordi: imperoche il Concilio non s'era adunato per decidere le opinioni, ma per recidere gli errori. Pallavicino Storia del Concilio di Trento lib. 7. cap. 10.

aliorum theologorum repugnet, immo multa continet, quae ei faveant. Ut brevitati consulam, in memoriam revoco unum illud decretum in canone 5, quo definitum est *Concupiscentiam in renatis non vere et proprie esse peccatum.* Etenim si concupiscentia in *renatis* non vere et proprie peccatum est, eam in *nondum renatis* vere et proprie peccatum esse oportet, et hoc ipsum iam ab *Estio* in libr. 2 Sentent. dist. 30 §. 9 animadversum est. Sed tale peccatum (inclinatio ad peccatum), quod, ut in hoc usu venit, ex peccato Adami oritur et omnibus eius posteris per originem inhaerescit, nonne peccatum est originale? . . . Ea igitur sententia, quam concilium Tridentinum non modo disertim concessit, sed etiam aperte canoni suo de peccato originali quinto subiecit, haec opinio in thesibus Coloniensibus condemnata est. Clerici archidioecesis Coloniensis iureiurando hanc opinionem tanquam a fide catholica abhorrentem abiurare iussi sunt, et nonnulli re vera eam abiuraverunt; ac, si Perronius verum dixit, Gregorius XVI eandem opinionem tanquam reprobandam in Brevi suo *Dum acerbissimas* proscripsit, quam patres Tridentini non solum non reprobaverunt, sed decretis suis subiecerunt.

Propositum, quod patres concilii Tridentini secuti sunt, diversum fuit ab eo, quod secuti sunt, qui catechismum concilii Tridentini confecerunt, h. e. eum catechismum, qui iussu huius concilii conscriptus et a Pio IV editus est. Quamvis magna sit eius catechismi, libri maxime egregii, auctoritas apud catholicos, idem tamen non est ex numero librorum symbolicorum, et auctores eius non iisdem rationibus adstricti tenebantur, atque ipsi patres concilii. Sed is catechismus de hac nostra quaestione consentiens s. *Augustino, Petro Lombardo,* s. *Bonaventurae* dilucide docet, sese peccatum originale in *concupiscentia* positum existimare. „Ac fateri quidem oportet, sicut eodem loco ipsius synodi auctoritate decretum est, in baptizatis concupiscentiam vel fomitem remanere, sed illa vere peccati rationem non habet, nam ex divi quoque Augustini sententia in parvulis baptizatis concupiscentiae reatus absolvitur, ad agonem relinquitur.“ Pars II, cap. 2, qu. 43. Haec igitur opinio, quae in *hoc* tantae auctoritatis libro traditur, secundum theses Colonienses dogmati catholico repugnat, eaedem postulant, ut iuramento affirmemus, in ca-

techismo Romano, quamvis a Pio IV adprobato et omnibus parochis catholicorum Christianorum ad usum publicum in tradenda religionis institutione commendato, doctrinas acatholicas inesse, et, si Perronio credimus, Gregorius XVI in Brevi suo contra Hermesium emisso hanc doctrinam catechismi Romani et ipse reprobavit atque condemnavit.

Non modo ante concilium Tridentinum, sed etiam post permulti theologi, veluti *Estius*, *Stattlerus*, *Zimmerus*, *Ildephonsus Schwarzius*, *Dobmayerus*, episcopus *Frintius*, canonicus *Geigerus*, *Hagelius*, *Oberthürius* peccatum originale in concupiscentia positum existimaverunt, idemque fecit *Onymus* in libro, qui ipsius papae Leonis XII adprobationem tulit! Hi omnes, si sequimur theses Colonienses, doctrinam acatholicam docuerunt, et clerici archidioecesis Coloniensis iureiurando hanc doctrinam tanquam condemnandam agnoverunt. Iam vero, si Perronio credimus, etiam Gregorius XVI hos viros condemnavit.

Sed quo tandem devenissemus, si verum esset, quod Perronius dicit, in thesibus Coloniensibus nihil inesse nisi accuratam expositionem doctrinarum a summo pontifice in Hermesio damnatarum? Quippe eo devenissemus, ut inimici ecclesiae catholicae gaudere et exsultare, ut amici eius summo dolore affici cogerentur! Sed quid s. pater dicturus est, si haec a Perronio asseverari audiverit? Num consensurus est, hanc opinionem bene fundatam s. *Augustini*, s. *Bonaventurae*, *catechismi Romani* a se condemnatam esse? Nunquam id consentiet. S. pater theologus est, doctior et eruditior, quam ut vel pro hac sua dignitate sententiam damnatoriam de his doctrinis proloquatur, quam ut non pugnet scientiae armis adversus eos, qui tam ignari aut tam arrogantes sint, ut eiusmodi doctrinas pro haereticis reprobent. Multo minus unquam committet, ut qua caput ecclesiae reprobationem proloquatur. Immo, nunquam, nunquam s. pater eiusmodi quid pronuntiaturus est, immo, ut maiora scandala evitentur, infelicem operam Perronii cohibiturus est. Sed nihilominus gratiam referre Perronio debemus, propterea quod tanta, tam manifesta, tam vasta mendacia cumulat. Eo ipso multo minus perniciosa sunt. Mendacium enim tunc periculosum fit, error tum validissimas radices agit, si mendacium et error ita cum veritate iuncta atque copulata sunt, ut verae et propriae illorum

species non satis discretae appareant. Sed eiusmodi homo, qui, ut Perronius, affirmet, in thesibus Coloniensibus nihil inesse nisi accuratam expositionem Brevis papalis, idem affirmare potest, in codice Iustinianeo nihil inesse nisi accuratam duodecim tabularum expositionem, in Muhamedis Korano nihil inesse nisi accuratam veteris testamenti expositionem, vel in Perronii Dogmatica, cuius iam sex volumina prodierunt, nihil inesse nisi accuratam expositionem *Institutionum* a *Wegscheidero* editarum.

Iam, iam, id tu cogitabis, ad exitum venit quaestio. Immo nondum absolvimus, unum etiam memoremus necesse est, idque multo memorabilius multoque in hac causa gravius est, quam quaecunque adhuc protulimus.

Opinio Hermesianorum, peccatum originale in concupiscentia inordinata positum esse, haec opinio, quam Perronius in praelectionibus suis in heterodoxiae suspicionem adducit, quam ipso asseverante Breve apostolicum adversus Hermesium emissum condemnat, ea opinio, quam theses Colonienses re vera ut haereticam condemnaverunt, ea ipsa adprobante sede apostolica Romana anno 1836, h. e. anno post condemnationem librorum Hermesii, palam tradita est. Evolve bibliam sacram ab *Alliolio* Bavariae theologo Theodisce conversam, ibique ad Ioann. III, 5 hanc adnotationem invenies:

„De his verbis ecclesia quoque explicationem suam infallibilem dedit (concil. Trident. Sess. 7, Can. 2), eo quod declaravit, ea intelligi debere de renascendo in s. lavacri sacramento. Itaque unusquisque, qui in regnum dei et hic et illic initurus est, lavacro renasci debet. Hoc renasci, haec immutatio efficitur aqua baptismatis et spiritu sancto. Per hunc ea efficitur, dum peccatum originale vel etiam peccata actualia, concupiscentiae in spiritum dominationem, quam in peccato originali a parentibus nostris haereditate accepimus, simulque iram dei cum illa dominatione coniunctam tollit, proinde recti ordinis turbationem, moralem dissolutionem, animae mortem amovet, atque animam *ordinat* secundum primitivam eius conditionem, ut corpus rationi, ratio deo subiecta sit, quo ipso animam sanctificat, deo gra-

tam reddit, et ad opera sanctitatis sponte perficienda disponit. Hac ratione anima pristinam conditionem suam, puram sanctamque naturam ex deo recuperavit et eam ipsam ob causam iterum ex deo nata est, et magis in dies hoc ei contingit, quo magis operam insumit, ut statum suum bene concinnatum et gratiarum donum a deo acceptum, iustitiam et sanctitatem, conservet, actionibus liberis et sponte initis se magis magisque sanctificet, et sensuum concupiscentiam, quae corpori iuncta resedit, nunquam posthac dominari in se patiatur."

En doctrina Hermesiana exposita in libro, quem sedes apostolica *anno post libros Hermesii damnatos proximo* solemniter adprobavit, in libro, quem archiepiscopi et episcopi *Augustanus, Bambergensis, Brixinus, Brunensis, Budvicensis, Agriensis, Varmiensis, Friburgensis, Gradiscanus, Gräziensis, Labacensis, Litomericensis, Linciensis, Moguntinus, Monacensis, Olomucensis, Paderbornensis, Passaviensis, St. Hyppoliti, Spirensis, Argentoratensis, Trevirensis, Vindobonensis, Herbipolitanus* publice commendaverunt! Nihilominus theses Colonienses hanc opinionem tanquam haereticam et reprobandam designaverunt!

Etherius et *Beatus* adversus *Elipandum* archiepiscopum Toletanum, qui hos viros, quamvis ipse erroribus obnoxius esset eosque tota vi auctoritatis suae archiepiscopalis pertinaciter defenderet, heterodoxiae postulaverat, scripserunt: „Fortes estote: *Plures enim sunt nobiscum quam cum illis!* [1]) Nobiscum est David ille manu fortis, qui parvo lapide Goliam blasphemum, qui exprobabat exercitum Dei Israel, in fronte percussit et uno ictu prostravit. Nobiscum est Moyses, qui Pharaonem cum suo exercitu in rubro mari demersit — Nobiscum est Iosue — Nobiscum est pater Abraham — Nobiscum est fortissimus Gedeon — Nobiscum est Samson", et quae sequuntur; idem nos dicere possumus: *Fortes estote: plures enim sunt nobiscum quam cum illis.* Nobiscum est s. *Augustinus*, nobiscum est *Petrus Lombardus*, nobiscum est s. *Bonaventura*, nobiscum sunt *confutatores confessionis Augustanae*, nobiscum sunt *patres concilii Tridentini* multique theologi nobilissimi, nobiscum est s. pater Leo XII,

---

1) Altero libro Reg. 6, 16.

nobiscum est s. pater Gregorius XVI, nobiscum sunt viginti quattuor episcopi vel archiepiscopi Theodisci!

„Scripsisti novam doctrinam; et illam, quae per totum mundum omnium baptizatorum voce depromitur, dimisisti. Et nos ignoti de tua doctrina noluimus ea recipere, et illa dimittere, quae per totum mundum tenet ecclesia. Ecce scandalum unde venit in ecclesia. Vae illi per quem venit. — — — Tu novum symbolum composuisti qui in scripturis sacris inventus non est (es)," et paulo ante scriptum est: „Haec verba tua sunt, Haec fides tua est. Haec doctrina tua est. Haec sapientia tua est. Et ad ipsa nos inclinare iubes. Et quia non inclinamus, clamas, quia haeretici sumus!" [1]).

Iam alterum exemplum proponemus. Elegimus autem quaestionem

De fine, quem Deus in mundi creatione secutus sit. [2])

Hanc sumpsimus quaestionem, propterea quod eam etiam nulla artium disciplina imbutus, etiam qui theologiam non profitetur sine multo labore intelligere potest.

Si adspectus rerum circa nos creatarum, si omnes illae vires animo nunquam satis complectendae, quae in profundis terrae agitant et procreant terramque spectaculum vitae quam maxime variae et commotae faciunt, si miracula coeli, quod in immensum supra capita terrae cultorum sese extendit, si continuus concentus in variatione perpetua omnium quae visuntur, si ortus et occasus rerum, si accedere et discedere, si vita et mors hominem miratione implent eumque impellunt, ut quaerat, *unde* ea omnia sint, ad hanc quaestionem vix responsionem dederit, cum altera quaestio comparebit, *quamobrem* haec omnia sint. Vix reperietur, qui quidem rationis usu gaudet, qui hanc quaestionem in se non exaudiverit ad eamque respondere non tentaverit.

---

1) *Etherii* et *Beati* adversus Elipandum lib. II in *Canisii* thesauro Tom. II, p. 312.

2) Conf. Commentatio *Rosenbaumii:* De supremo Dei fine in creatione et conservatione mundi. Diurna philosophiae et theologiae catholicae, fascicul. 20.

Etiam philosophia varie tentavit hanc quaestionem solvere, et theologia illam hac in re sectata est. Ecclesia autem eam quaestionem non solvit, sed opinionibus spatium aliquod reliquit, quo factum est, ut in Christianis duae illae opiniones invaluerint, quarum altera dicit, *a deo mundum factum esse propter gloriam suam*, altera autem, *sola benignitate*, *ob creaturas beatitudinis compotes factum esse.*

Quamcunque ex his opinionibus catholicus professus erit, cum dogmate ecclesiae suae non collidet, quippe quae de hac quaestione nihil decreverit. Concessum ei est, ut hanc impugnet, illam defendat, et hoc tamdiu facere ei licet, quamdiu argumentis tueri eam potest et eo consilio hoc ab illo agi apparet, ut sine partium studio ei tantum opinioni assentiatur, quae ex animi sui sententia proxime ad veritatem accedit. Sin autem non argumentis certare, sed unice in heterodoxiae suspicionem adducere velit, is non solum in veritatem et caritatem, sed etiam in diserta praescripta summorum pontificum peccabit [1]), simulque in periculum incurret, ne offendat ipsam ecclesiae doctrinam. Nam cum ecclesia neque hanc neque illam opinionem ut suam professa sit, nonne accidere potest, ut eam ipsam opinionem in heterodoxiae crimen adducat, quam ecclesia, simul atque causa oblata erit, ut suam adoptatura sit?

Nunc ad institutum proficisci pergamus. Quam ob causam igitur deus mundum creavit? Sibine, in suam gloriam, an sola benignitate, ob creaturas suas beatitudinis compotes creavit? Credibilene videtur, mundum a deo propter gloriam suam creatum esse? Num deus mundo creando sibi quidquam quaesivisse videbitur? Momentum temporis in hac cogitatione versemur. Nonne de supremo numine parum excelse sentire est, si opinamur illud sibi quidquam, suam ipsius gloriam quaesivisse? Nobis hoc videtur, deum, ens omnibus numeris perfectum et absolutum, hac cogitatione nimium detrudi in regionem eorum quae non sunt absoluta, dein plane anthropomorphistice cogitari et norma humana existimari. Atque apud quos eam gloriam quaesiverit? Apud hominesne? Deusne gloriam suam apud homines quaerat, quos adeo superat, ut cogitatione

1) Breve Innocent. XI de die 2 Mart. 1679.

comprehendere non possis? Quid vero omnes spiritus creati prae eo sunt, qui est a se ipso? Cherubim et Seraphim vultus suos obtegunt ante maiestatem eius qui supremus est, et is faciat quidquam eum in finem, ut gloriam sibi apud homines acquirat? *Quid est homo, quod memor es eius?* Parum honorifice de artifice iudicamus, cum dicimus, opus fecisse non puro ac simplici artis amore ductum, respexisse gloriam et famam, quam inde sibi pararet: num deus opus omnium summa admiratione dignum pro tali adminiculo habuisse censendus est? Et quomodo mente cogitari adeo potest, deum suam gloriam quaesivisse ex mundi creatione? Etenim deus secundum doctrinam revelationis Christianae infinitis virtutibus praeditus est. Quomodo igitur quidquam, quod extra est, influere in eum potest? Sin fieri id posset, nonne naturam eius mutari inde necesse esset? Nonne ad maiorem beatitudinis gradum provehi eum necesse esset, quam quem revera teneret? Immo beatitudo eius, qualis est deus Christianorum, eius, qui est a se ipso, nulla re externa augeri potest. Iam si verum est quod diximus, est autem verissimum, quomodo finis id esse etiam potest, quod est eiusmodi, ut in illud ipsum ens, cuius causa propositum sit, influere non possit? Finis enim, qui afficere me nequit, profecto is mihi finis non est!

Sed quid tum, si statuamus, a deo mundum sola benignitate propter creaturas beatitudinis compotes creatum esse? Hoc posito, notiones nostrae dei sibi non repugnant: absoluta dei benignitas postulat, ut beatitudinem eorum quos creavit tanquam finem velit, ut hunc finem nullo suae utilitatis respectu velit. Quam honorifice sic de deo sentimus! Num excellentius propositum cogitari potest, quam si statuamus, a deo, quicunque beatitudinis compotes sunt et ratione praediti, creatos esse nulla alia de causa, nisi ut beati forent? Num excelsius propositum cogitari potest, quam si statuamus, quaecunque praeter has creaturas ratione praeditas et beatitudinis compotes creaverit, ea creata esse, ut illis maiorem beatitudinis gradum conciliaret? *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera tua. Omnia subiecisti pedibus eius.* Num excelsius propositum est in parte creaturarum beatitudinis compotum? Quid tandem est, quod supra beatitudinem earum elatum sit? Num excelsius

propositum invenitur in parte dei? Quodnam excelsius esset? Sed si deo maius propositum esse non potuit, nonne iure statuendum nobis erit, revera hoc ei fuisse, cum omnium perfectissimus sit?

Quemadmodum vero notiones nostrae dei, ubi hoc statuerimus, sibi non repugnant, sic idem dicendum est de animi nostri affectibus. Si deus mundum pro nobis, pro creaturis suis beatitudinis compotibus creavit, admiror ac veneror eius benignitatem, animus meus naturaliter ad deum inclinat, ut ad benefactores meos inclino, accedere ad eum nitor, et benignitas eius maxime me hortatur, ut eum diligam, ut gratias ei agam. *Quid retribuam domino pro omnibus quae retribuit mihi?*

Sed si deus mundum non mea causa, immo sua causa, in suam ipsius gloriam creavit, ob potentiam eius obstupesco, immensam magnitudinem operum eius admiror: sentio, me nihil esse prae eo, qui infinitus est, sed illa animi affectio, qua ad eum trahar, non exoritur.

Iam vero si homo fortunae plagis adflictatur, si graviter tentatur, si omnia circa corruunt, si omnia eum deserunt, si adeo solum sub pedibus eius labare videtur, quomodo tum hac consideratione homo afficietur? Si deus sola benignitate eum creavit, unum huius commodum, hominis beatitudinem respiciens, nimirum hic etiam in vehementissimis procellis firmus perseverat et bene erectus perpetua fiducia dei omnipotentis et omnium benignissimi: quippe scit, omnia ad suam veram beatitudinem conferre. Contra si nihil est nisi instrumentum in manu dei ad eius gloriam augendam, quam facile tum est spem deponere, quam facile subit cogitatio, deum a se aversum esse, alios sibi praetulisse, in se nullum iam suae ipsius gloriae instrumentum agnoscere! Sic ingens hiatus oritur inter omnipotentiam dei et humilitatem hominis, inter creatorem et creaturam huius desperatio intercedit, qua veluti frigore corporis animique nervi franguntur. Hiatus vanescit, si deus hominem sola benignitate in huius ipsius beatitudinem creavit!

Breviter exposui, sed ut videtur satis dilucide, quid sola ratio de nostra quaestione statuat. Nunc vero inquirendum esset, quid de ea veteres philosophi docuerint. Verum quum de omnibus simul dici non possit, et ea quaestio longiorem orationem

desideret, ipsi alius locus servatus est. Id vero hoc loco dicere satis erit, praestantissimos philosophos celeberrimasque philosophorum scholas, *Socratem* et *Platonem* et *Asclepium* et *Aristotelem* et *Stoicos* et *Philonem Iudaeum* et *Hieroclem* cum ingenti discipulorum caterva stare pro nostra sententia. Quinam vero in opposita parte cum Perronio conspiciuntur? Epicuri sectatores, a cuius sectae principe, quum negaret omnia ex bonitate deorum creata esse, quum hac sententia diis immortalibus et operam et *gratiam* sustulerit auctore Cicerone, omnis religio radicitus ex animis hominum extracta est[1]. Extant veterum philosophorum loca quaedam, splendida testimonia, in doctissimo opere *Petavii*, cui index de *theologicis dogmatibus* [2] collecta, pertractata: tota vero quaestio veterumque sententiae excussae sunt in Ephemeridibus Bonnensibus. Nos igitur ad libros sacros pergemus. Nam sunt ii libri ad quos adversarii provocant, ex iis locos afferunt quibus suam opinionem firmari posse arbitrantur.

Esse in sacra scriptura et Veteris et Novi Testamenti multos locos, qui magnificentiam dei praedicent ex operibus eius apparentem, id dubitari nequit. Haec magnificentia tanta est, nos omnes adeo circumdat et oculos nostros ita perstringit, ut latere neminem mortalium possit, qui non ad extremum stuporem delapsus sit. — Quomodo igitur scriptores sacri, prophetae et apostoli eam silentio praeterire potuere? Sed videamus, quid respondendum sit ad hanc quaestionem: idne ultimus finis operis est, quod maxime inde elucet, quod artifici summam gloriam conciliat? Non diu res animo agitanda est, ut intelligamus, contrarium statuendum esse; neque vero iam ex omnibus illis locis, quamvis magnifice, quamvis pulchre gloriam et maiestatem dei depingant, consequitur, a deo suam gloriam tanquam finem, quod sequeretur in mundi creatione et conservatione, quaesitam esse.

Psalmo 18, 2 verbis quidem dilucidis scriptum est: „Coeli enarrant gloriam dei et opera manuum eius annuntiat firmamentum.“ Sed si res creatae dei gloriam luculente praedicant, si is, qui res creatas considerat, eo ad dei venerationem impelli-

---

1) Cicero de natura deorum I, 43.

2) Bonner Zeitschrift fascic. II et III.

tur, num inde consequitur, a deo suam ipsius gloriam ea via quaesitam esse? Meditationes eis similes, quae totum duodevicesimum psalmum occupant, magno numero etiam in operibus vetustissimorum patrum ecclesiae reperiuntur, et tamen his omnino aliena est opinio illa, quae statuit, a deo mundum ob suam gloriam creatum esse: immo disertim docent, a deo hominum causa mundum creatum esse.

Unus praecipue locus invenitur in sacra scriptura, qui opinionem adversariorum dilucide et manifesto commendare videatur. Idem est, qui in theses Colonienses receptus est. Legitur *Proverb.* 16, 4, et iuxta Vulgatam his verbis conscriptus est: *Universa propter semet ipsum operatus est dominus, impium quoque ad diem malum.* In ipsa versione Vulgatae sensus huius loci non tam dilucidus est, ut doctrina quam designavimus inde certe peti possit. Iure enim monitum est, per voculam *propter* saepe nihil denotari nisi respici ad rem aliquam vel dirigi aliquid ad scopum, ut in verbis *propter quod*, *propterea*. Si igitur *propter* scopum denotat, perbonus loci sensus emergit: „Deus omnia fecit, ut ad eum tendant,“ qui sensus ex ipsa natura hominis intelligitur. Itaque vel ex Vulgatae verborum contextu hic locus alium sensum praebere potest, quam quem adversarii statuunt. Manifestum igitur est, haec verba pro idoneo argumento opinionis, quam memoravimus, afferri non posse. Quid autem sibi volunt haec: *impium quoque ad diem malum?* Num is sensus subest, a deo impium factum esse, ut puniretur? In hunc modum *Calvinus* et *Beza* sane ea verba acceperunt. Sed qualis doctrina, quam horribilis!

Contextus originalis Hebraeus multo minus favet opinioni adversariorum. Haec verba habet:

כל פעל יהוה למענהו וגם רשע ליום רעה

Prout hic contextus punctis distinguitur, sensus eius mutatur. Sed haec punctatio textus Hebraici demum post saeculum a Christo nato septimum, ut satis constat, ab eruditis Iudaeis introducta est. Cuivis itaque licet, ut ab ea punctatione horum eruditorum Iudaeorum discedat, si iustae causae, cur id faciat, assint. Hac autem distinctione sive punctatione remota locus longe alium sensum praebere potest, quam Vulgata inde sumpsit; id verbi causa explicatio *Dereseri* qui egregie Hebraice scivit

ostendit, quique cum pluribus aliis vertit: *Omnia deus cultoribus suis conciliat, etiam impium quotidie alit,* atque haec interpretatio, ubi consideraverimus vitam humanam et aliorum animalium, magnopere confirmatur. „Si deus suam utilitatem respiceret, cum creaturis suis tot gratiae ergo donat, si gratiis retributis gaudere vellet, non ille animantibus ratione carentibus, quae benefactorem suum agnoscere eique gratias agere non possunt, tanta liberalitate voluptates largitus esset, minime autem ingratis hominibus beneficia sua frustra dedisset, iis hominibus, qui eo procacius exsistentiam dei abnegant, eius confessoribus illudunt et omni labore student, ut terrae incolae in deum credere desistant, idque eo magis consequi possunt, quo maioribus dei beneficiis et ipsi utuntur [1]).

Alium sensum is locus nactus est apud septuaginta interpretes, quorum interpretationis bona pars confecta est ab iis, qui linguam Hebraicam ex ore hominum eo sermone quo nati erant utentium acceperant. Haec est: *Πάντα τὰ ἔργα κυρίου μετὰ δικαιοσύνης· φυλάσσεται δὲ ὁ ἀσεβὴς εἰς ἡμέραν κακήν.* *David Michaelis* qui litteris Hebraicis doctissime eruditus erat vertit: *Omnia deus supremi sui propositi gratia fecit, etiam nocentem in diem malorum,* additque explicationis causa: „Quaecunque per mundum fiunt, pars est optimi universi, quod deus infinita sapientia fecit; adeo quod malum in eo est, id instrumentum est maioris boni; alioqui deus id non permissurus erat. Nocens, quem deus ob peccata punire debet, neque inutilis mundi pars est neque a proposito aliena: eius studiis alii a peccando averti debent, ac nisi is adesset, nisi puniretur, alii peccarent, propterea quod exemplis nullis deterrerentur. Quae consideratio philosophica eiusmodi est, ut ea benignitas dei, non modo quod attinet ad poenas huius vitae sed etiam futurae, vindicari possit, si quis hoc opponat: Nonne deus, quominus hic homo, quem ante sciebat malum futurum esse, nasceretur prohibere potuit? Sane potuit, sed tum pro eo alii mali futuri erant, et sic porro.“

Etiam catholici, qui insignis orthodoxiae fama gaudent, velut *Cornelius a Lapide* et *Alliolius*, ut multos alios mittam, locum de

---

1) v. Hermesii Introductio philosophica p. 466.

quo loquimur ita interpretati sunt, ut ratiocinatio adversariorum excludatur. Alter eorum explicationis gratia haec addidit: „Etiam impios, quos sponte peccaturos esse deus praevidit, quamvis bona peragere potuissent, deus creavit, ut in iis iustitia eius manifesta fiat. Textus Hebraicus revera eundem sensum exhibet: Dominus omnia creavit suum propositum secutus, etiam impium in diem malum.“

Quamvis huius interpretationis sensus mihi quidem non satis definitus videatur, id tamen liquet, minime dici, a deo mundum sua causa, in suum honorem creatum esse. Simul hoc scimus, versionem sacrorum librorum ab *Alliolio* factam a sede apostolica adprobatam atque a multis episcopis commendatam esse.

Has explicationes attulimus, ut ostenderemus, quot modis intelligi possit locus, quo doctrinam tam gravem superstruere conantur. Plurimas alias easque a propositis diversas proferre in promptu est, sed quia allatis id quod volumus satis efficitur, cum laborem mittimus. Ac si aliis locis sacrae scripturae, veluti in libro Sapientiae I, 13—15 scriptum est: „Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent, omnia: et sanabiles fecit nationes orbis terrarum: et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est, et immortalis.“ Quomodo hi loci cum illo conciliari poterunt?

Ac quomodo sensus, quem adversarii loco illi delegant, mirus videri non possit, si alia, quae docet s. scriptura, respexerimus? Deum esse *caritatem*, id disertim s. scriptura docet, novi testamenti tota adeo scriptura ex hac sententia veluti e radice proficiscitur. Caritas et benignitas fontes sunt unde humani generis redemptio profluxit. Sed quomodo deus caritas, pura putaque caritas et benignitas esse permaneret, si deus tamen in suam gloriam, si sibi mundum creavisset? Num caritas et benignitas esse perseverat, si potentissimus rex me potestate et honore ornat, non tamen mea causa, sed ut fulgor ex me in ipsum emanet? Nonne igitur, si hanc doctrinam proponamus, sacram scripturam sibimet repugnantem facimus, et quidem ita sibimet repugnantem, ut ea ex his angustiis nonnisi extremis artificiis liberari possit? Lectorem, qui copiosiorem eius rei ex-

positionem quaerit, ad dissertationem *Rosenbaumii* supra laudatam remittimus. Est etiam tota quaestio copiosius in volumine secundo pertractata.

Nunc expositis iis quae sacra scriptura de nostra quaestione doceat, refutatoque capitali adversariorum argumento, ad consulendam traditionem pergamus. Est autem in animo uberius proponere quam adhuc unquam factum est, quid sacra antiquitas de hac nostra quaestione crediderit atque exposuerit, quo facto illud certe sperare licet, fore ut *unanimis consensus patrum* saltem publice aestimetur. A temporibus apostolorum inde usque ad illud tempus, quo *concilium Tridentinum* celebratum est, testimonia longe *gravissima* nostram *sententiam opinionemque* tuentur. Hoc eo maioris est momenti, si reputaverimus, adversariis ut catholicos suae opinionis testes invenirent, usque ad tempora concilium Tridentinum subsequuta non contigisse, harumque rerum inter eos eruditissimum, Kleeium scilicet, locis aut non satis intellectis aut male detortis acquiescere debuisse [1].

Hermas, unde series patrum apostolicorum inchoatur, etiam in testum serie nostrae opinioni faventium primus erit. Scribit in Pastore libro suo olim aestimatissimo et ad finem vergente saeculo primo edito, *Mandat.* XII, 3 et 4: „Et dixit (Hermas) illi: Domine, haec mandata magna et praeclara sunt: et exhilarare cor hominis possunt, qui potuerit custodire mandata haec: sed nescio Domine, an possint mandata haec ab homine custodiri. Ait mihi: Haec mandata facile custodies, et non erunt dura:

---

1) v. *Ianseni* Signatura modernae dogmaticae, fascicul. prior p. 120. Muretus in Commentario Ethicorum Aristotelis scribit: „Neque dubium est, quin homo longe multumque ceteris animalibus antecellat. *Nam et cetera propter hominem condidit Deus. Quod non tantum e sacris libris cognovimus* (*quanquam ex eis maxime ac certissime*), verum etiam ex Aristotele ipso cuius haec sunt e primo Politicorum: *τά τε φυτὰ τῶν ζώων* etc. statimque addit: *εἰ οὖν ἡ φύσις μηδὲν μήτε ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν.* In eandem sententiam multa e Stoicorum hausta libris apud Ciceronem in secundo de natura deorum disputantur.“

sed si tamen in cor tuum posueris non posse ab homine custodiri, non custodies ea. Nunc autem dico tibi, si non custodieris haec mandata et omiseris, non eris salvus, neque filii tui, neque domus tua: quia ipsa iudicaveris, quod non possint haec mandata ab homine custodiri. Haec mihi vehementer iracunde locutus est, ita ut conterreret me valde: vultum enim suum mutaverat, ita ut non posset homo sustinere iram eius. Et cum vidisset me conturbatum totum et confusum: coepit loqui moderatius et hilarius dicens: Stulte et insensate, inconstans et ignorans maiestatem Dei, quam magnus quamque mirabilis sit qui orbem creavit propter hominem, et omnem creaturam subiecit homini, et omnem potestatem dedit illi, ut dominetur horum mandatorum".

Haec sancti Hermae doctrina, quem antiquitas Christiana in apostolicis patribus numerat, cuius liber publice in ecclesiis recitatus, et in erudiendis catechumenis adeo pro duce adhibitus est, haec doctrina in thesibus Coloniensibus reprobatur, atque a clericis dioecesis Coloniensis postulatum est, ut eam tanquam acatholicam abiurarent.

S. *Iustinus philosophus*, qui Romae martyrium passus est, in patribus ecclesiae maximi nominis vir, scribit: „Neque etiam materialibus hominum donis Deum indigere accepimus. Sed eos solos illi probari didicimus et persuasum habemus et credimus, qui insita illi bona imitantur, temperantiam, iustitiam et humanitatem, et quaecunque Dei, qui nullo imposito nomine vocatur, propria sunt. Et cum bonus sit, *omnia* illum ab initio ex informi materia *propter homines condidisse* accepimus" [1]).

Non solum hoc loco, sed duobus insuper aliis s. martyr hanc opinionem proposuit. In altera sua Apologia §. 4 luculentis verbis scribit: „*Non frustra mundum a Deo conditum esse didicimus, sed propter humanum genus*" [2]). Hanc autem doctrinam non tanquam placitum philosophicum aut suam singularem opinionem praebet, sed ut doctrinam traditam, ut doctri-

---

1) Apol. I, §. 10.

2) Apol. II, §. 4. Conferatur cum hoc loco §. 5 eiusdem libri et de resurrect. §. 7.

nam Christianam ponit: δεδιδάγμεθα, „nos Christiani docti sumus," quod verbo illo probatur quo usus est hoc loco. Nihilominus haec doctrina, quam s. Iustinus plus semel ut *traditam* doctrinam Christianam proponit, haec doctrina, ob quam per 17 saecula sanctus martyr non impugnatus est, haec thesibus Coloniensibus tanquam ecclesiae haud probata proscripta est, eademque a nonnullis clericis tanquam talis condemnata atque abiurata iam est.

Tatianus Syrus, quamvis post a via, in quam a magistro suo *Iustino martyre* ductus erat, declinavit, hac tamen in re doctrinam praeceptoris tenuit. In opere adversus Graecos scribit: „Hunc (deum) ex his, quae creavit cognoscimus, et potentiam invisibilem ex operibus apprehendimus. Opus ab eo nostra causa conditum adorare nolo. Sol et luna propter nos creata sunt: quomodo ergo ministros meos adorem! Quomodo ligna et lapides pronuntiem deos? Est enim spiritu divino inferior ille spiritus, qui materiam pervadit: qui quidem cum animae assimulatus sit, non eodem ac perfectus deus honore colendus est. Neque etiam illum non enarrabilem deum memorare debemus. Nam qui nullius rei indigus est, is ut indigere existimetur minime a nobis committendum est" [1]).

S. *Irenaeus*, episcopus Lugdunensis et Polycarpi qui ipsum s. Ioannem audiverat discipulus, verbis planissimis scribit, ad deum ex creatione mundi hominumque nihil redundare, sed omnia hominum causa esse effecta.

„Igitur initio non quasi indigens deus hominis, plasmavit Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia. — — — Nec nostro ministerio indigens iussit ut eum sequeremur; *sed ut nobis ipsis attribueret salutem.* Sequi enim salvatorem, participare est salutem: et sequi lumen, participare est lumen. — Sic et servitus erga deum, deo quidem nihil praestat, nec opus est deo humano obsequio; ipse autem sequentibus et servientibus ei, vitam et incorruptelam, et gloriam aeternam attribuit, beneficium praestans servientibus sibi ob id quod serviunt, et sequentibus ob id quod sequuntur, sed non beneficium

---

1) In editione Graecorum Apologetarum Marani p. 247.

ab eis percipiens: est enim dives, perfectus, et sine indigentia. Propter hoc autem exquirit deus ab hominibus servitutem, ut quoniam est bonus et misericors benefaciat eis, qui perseverant in servitute eius. In quantum enim deus nullius indiget, in tantum homo indiget dei communione" [1]).

„Quibus (Haereticis) religiosior Plato ostenditur, qui eundem deum et iustum et bonum confessus est, habentem potestatem omnium. — — Et iterum factorem et fabricatorem huius universitatis bonum ostendit. *Bono autem*, inquit, nulla unquam de quoquam nascitur invidia, hoc initium et causam fabricationis mundi constituens bonitatem dei" [2]).

„Neque iniquus, ut aliena concupiscat neque indigens, ut non per sua propria suis propriis efficiat vitam sua utens conditione ad hominis salutem" [3]).

Athenagoras:

„Ratio ex causa deducitur, si consideremus, utrum temere et frustra factus homo fuerit, an aliquam ob causam. Si quam ob causam; utrum ad hoc ipsum ut vivat et in qua factus est natura perseveret, an ad usum alterius. Si ad usum alterius; vel ad ipsius creatoris, vel ad alterius cuiuspiam eorum, qui ad deum pertinent, et maiori cura ab eo dignantur. Quod quidem etiam dum latius consideramus; reperimus quicumque mentis compos sit, et rationis iudicio ad aliquid faciendum moveatur, nihil eum ex illis quae ex animi proposito facit, frustra facere, sed aut ad suos usus, aut ad eorum, quorum curam gerit, vel propter ipsum opus, cuius ad affectionem naturali quadam propensione et amore impellitur. Veluti (utamur enim quadam similitudine, ut perspicuum fiat id quod proponimus) facit quidem homo ad proprios usus domum; facit autem bobus et camelis, caeterisque animalibus, quibus opus habet, conveniens cuique rectum, non ad proprium suum usum si species attendatur; sin autem finis, ob hanc quidem causam, sed proxime ob eorum studium, quorum cura tangitur. Procreat autem liberos non ad suos aut suorum usus; sed ut sint et, quamdiu fieri poterit, per-

1) Adv. Haeres. lib. IV cap. XXVIII.

2) Idem l. III c. 25 p. 224 edit. Massuet.

3) Ibid. l. V c. 18 p. 315.

severent homines ex ipso geniti, liberorum et nepotum successione solatium mortis suae adhibens, atque hoc modo quod mortale est immortale effecturum se sperans. Atque haec quidem ab hominibus. Deus autem nec frustra hominem fecit; est enim sapiens, nullum autem sapientiae opus inutile: nec ad proprium suum usum; *nulla enim re indiget: qui autem nulla omnino re indiget, sua ei opera nihil ad proprium usum attulerint.* Sed nec ob aliquam rerum a se creatarum hominem condidit. Nihil enim ex eis quae ratione et iudicio utuntur, ad alterius sive superioris sive inferioris usum creatum est aut creatur, sed ad propriam eorum, qui creantur, vitam et perpetuitatem. Neque etiam ratio usum ullum reperit, qui causa sit hominum generationis; quippe cum ii qui immortales sunt extra indigentiam omnem positi sint, nec ullo egeant hominum subsidio ut existant, belluae autem naturae subiectae sint, et ad quos quaeque usus institutae sunt, eos hominibus exhibeant, nequaquam autem ita comparatae sint, ut hominibus utantur. Neque enim fas est aut fuit, id quod imperat et principatum tenet, ad usum inferiorum deiicere, et quod ratione utitur, rebus rationis expertibus, minime aptis ad imperandum, summittere. Quamobrem si nec sine causa nec frustra creatus est homo (nihil enim inter divina opera inutile, quantum ad auctoris consilium spectat) *nec ad ipsius creatoris usum, nec ad alterius cuiuspiam rei ab ipso conditae;* liquet deum, si prima et latius patens consideratur ratio, propter seipsum et *elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem* et sapientiam adductum fuisse, ut hominem faceret; si vero proprior et ipsis hominibus creatis *interior ratio spectetur, propter ipsorum vitam,* quae quidem non ad breve aliquod tempus succendenda, ac postea omnino extinguenda sit". De resurrect. mort. §. 12.

Clemens Alexandrinus:

„Alia quidem solo iussu fecit deus, hominem autem per se manu fabricatus est, et quidquid ei proprium, inspiravit. Quod igitur ab ipso et ad eius imaginem factum est, vel tanquam propter se deo eligendum (ἢ ὡς δι᾽ αὐτὸ αἱρετὸν τῷ θεῷ) ab ipso deo fabricatum est, vel tanquam propter aliud eligendum effictum est. Si ergo homo est propter se res eligenda, cum bonus sit, bonum amavit. — Si autem homo res propter

alias eligenda factus est, *non alia fuit deo causa, cur hunc faceret, quam quod absque eo neque deus poterat esse bonus opifex, neque homo pervenire ad dei cognitionem*" [1]).

„Deus non fecit mundum, desiderii causa (χρείας ἕνεκεν), ut honores scilicet ab hominibus et ab aliis diis et daemonibus, inquit Plato, perciperet, veluti quoddam vectigal accipiens a generatione (γενήσεως). Appositissime ergo et efficacissime *Paulus* in Actis Apostolorum (17, 1) *deus*, inquit, *qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, non in manu factis templis habitat, neque ab humanis manibus colitur, aliquo indigens, cum ipse det omnibus spiritum et vitam et omnia*" [2]).

Deum non sua causa, ut volunt theses Colonienses, sed hominum causa mundum fabricasse, hoc etiam *Origenes*, cuius ingenium et doctrinam omnes admirantur, aperte docet. In Commentario in Genesin (I, 26) egregie describit quibus homo omnibus aliis creaturis praestet, et tum addit *propter hominem universus creatus est mundus*. Sed quod iam in Iustino vidimus, haec opinio non eius propria est, immo communis omnium Christianorum erat persuasio. Id colligimus ex libris *contra Celsum* (IV. §. 74), ubi refert, Celsum Epicureum, Christianorum taeterrimum hostem, id potissimum Christianis vitio vertere, quod docerent, „*deum propter hominem omnia creavisse*"; ubi autem Celsum, quem tota haec disputatio Epicuri fuisse sectatorem argumento non spernendo prodit, copiose redarguit §. 99, in haec desinit [3]) : „Supra probatum arbitror omnia propter hominem et propter omnes naturas rationis participes esse facta".

Haec igitur, quae testibus *Iustino* et *Origene* Christianorum communis erat persuasio, haec iam sententia haeretica, ecclesiae adversa esse fertur et publice abiuranda designatur.

S. Athanasius: „Namque si omnium consensu constat deum nulla re indigere, sed solum sibi satis esse seque ipso plenum esse, omniaque in illo consistere, immo ipsum omnibus dare ut consistant: qua quaeso cett." [4])

---

1) Clemens Alexandrinus Paedagog. l. I c. 3.
2) Eiusd. Strom. lib. V.
3) Orig. Op. Tom. II p. 55 ed. de la Rue.
4) Oratio contra Gentes §. 28.

S. Epiphanius scribit: „Postquam artifex rerum omnium deus totam hanc universitatis machinam, velut ingentem aliquam civitatem, praeclaro ordine condidit, ac vocis imperio constituit, in eoque elementa singula aptissime composuit, ac variis animantium generibus complevit omnia, ut hic mundus perfecte ad omnem pulcritudinem adolesceret, cum in eo omnimodas naturae formas vivas animatasque procreasset, atque et in coelo sidera et in aere volucres, et in terra quadrupedes, et in aquis natantia collocasset: postremum omnium hominem, cui totum hunc mundum velut egregium quoddam praetorium paraverat, sic tanquam simulacrum quoddam ad sui effigiem expressum in orbem introduxit: ac velut exquisitum signum manibus suis elaboratum praeclaro in templo constituit“ 1).

Idem in libro, quo scriptionem hominis acutissimi ingenii, sed erroribus implicati, Aëtii redarguit, docet:

„Etenim unus ille conditor omnium, atque artifex omni creatura opificioque praestantior, non propterea quod productis a se omnibus antecellit, non eadem ista molitur ac procreat. Neque enim, quae illius est bonitas, invidia tangitur: quandoquidem ipsam in se bonitatem complectitur, quae res una caeteris praestat omnibus. Neque perturbationibus obnoxius est, velut invidiae, livori etc. Quare quaecunque demum existunt, e nihilo perfecit. Nam quae ab ipso condita sunt, quaeque incomparabili eius divinitate longe inferiora sunt, non adversus ipsum excogitata fuerunt, sed ad eius honorem ac gloriam; ut magnificam et invidiae expertem illius divinitatem indicent. Quae quidem ipsamet est bonitas, et substantia, quae cum iis rebus, quas e nihilo creavit, sua communicat, easdemque et esse vult, et unamquamque pro naturae suae conditione suorum beneficiorum esse participem. Unde et sideribus lucem impertitus est et coelo descriptionis ordinisque pulcritudinem, et terrae caeterisque, pro eo ac voluit, partem aliquam virtutis attribuit: et angelis ac reliquis sanctis mentibus immortalitatem concessit et hominem denique imaginis dignitate, vita, scientia ac rationis proprio munere donavit. Quod quidem ipsum non illius in sola voluntate positum fuit, quasi cunctando et in futurum deliberando, ut ita

1) Epiphanius adversus Haeres. l. II tom. I p. 540.

dicam, apud se tractaret; sed pro ipsamet, quae in illo est, bonitate perfecit: cuius hoc proprium est, ut congruenter sibi contineat, efficiat ac moliatur omnia. Quemadmodum igitur quod dictum est, nihil indignum, aut indecens bonitati eius adspersit, sed gloriam, ac cum praedicatione coniunctam largitatis suae notitiam peperit, ubi ad eorum, quos condidit, cognitionem sensumque pervenit: ita et summa in eo divinitatio gloria est, non illa quidem extrinsecus adscita; nec enim divinum numen accessionem ullam requirit; quippe cum ipsamet gloria est, virtus ipsa, admirabilitas ipsa, ipsa praedicatio: hoc inquam in illius gloriam cedit, quod pater ipse generet a nullo genitus“ [1].

S. Cyrillus Hierosolymitanus: „Ac primum quidem quaeratur qua de causa descenderit Iesus. — — — Si igitur Christi adventus causam quaeris, recurre ad primum scripturarum librum. Sex diebus deus creavit mundum, sed mundus propter hominem. Sol quidem splendidus radiisque relucens, sed et hic propterea ut homo videat, factus est“ [2].

Contra quam *thesis* illa, manifesto docent antiquissimi patres ecclesiae, deum propter hominem creavisse mundum; unanimi consensu docent, deum esse *ἀνενδεῆ, αὐταρκέστατον.*

S. Chrysostomus. In Homilia XIX in epistol. ad Ephes. §. 3 scribit: „Haeccine (scilicet omnia creata) sunt providentiae an sine providentia? Si dixerit, non sunt providentiae: rursus eum rogabo: Quomodo ergo facta sunt? Sed non poterit aliquam dicere rationem. Multo magis ergo non debes quaerere nec curiose indagare de rebus humanis. Quare? quoniam homo est his omnibus praestantior: *et haec propter illum facta sunt, non ille propter haec*“.

In Homilia octava in epistol. ad Rom. §. 6 idem pater ecclesiae rursus scribit: „Et nos illum glorificemus et per fidem et per opera ut et in mercedem ab illo glorificemur. Nam ait: *eos qui me glorificant, glorificabo.* — — — Quanquam *ille in nostri gratiam vult glorificari*: *ille quippe* glorificatione non eget. — — *Attamen etsi illa non egeat, se dicit illam propter te cupere*“.

---

1) Epiph. adv. Haer. l. III p. 957.

2) S. Cyrill. Hierosolym. Cateches. XII de Christo incarnato IV.

His locis plane consentiens Chrysostomus in Homilia I in epistol. ad Ephesios §. 3 docet:

„*Ad laudem gloriae*, quid sibi vult illud? Ut quis ipsum laudet? Ut quis ipsum glorificet? Ut nos, angeli, archangeli? Sed et omnis creatura? Et quid hoc? Nihil. Deus enim nullo eget. *Cur ergo vult a nobis laudari et glorificari?* Ut in ipsum *caritas sit in nobis ferventior. Ex nostris enim nihil aliud cupit, quam nostram salutem: non ministerium, non gloriam, non aliquid aliud, et propter hoc facit omnia.* Nam qui laudat et admiratur eam quae in se facta est gratiam, attentior erit et diligentior“.

Neque hic consistit s. Chrysostomus, sed oppositam doctrinam amentem atque impiam vocat. Scribit enim in Homilia VII in epistolam ad Philipp. c. II, quae sequuntur: „Haec, dic mihi, gloria est? Ergo antequam homines facti essent, antequam angeli, antequam archangeli, non erat in gloria. Etenim si haec ea gloria est, quae superat omnem gloriam, hoc enim significant illa verba, *quod est super omne nomen;* certe tametsi in gloria erat, at saltem in minore, quam nunc sit. *Huc igitur spectans, et ob hanc causam, ut gloriam assequeretur, omnia condidit, non autem bonitate adductus, sed indigus gloriae, quae a nobis proficisceretur? Videtis amentiam? videtis impietatem?*“ 1)

Damnata est igitur doctrina in thesibus Coloniensibus quae communis omnium Christianorum fuit, quam *traditam* esse testes fide dignissimi spondent, quam doctissimi et sanctissimi patres defendunt; approbata est doctrina quam caeteris patribus consentientibus s. Chrysostomus *amentem* et *impiam* vocat, atque si Perronio credimus, hanc ipsam doctrinam summus etiam pontifex approbavit, illam reiecit!

Gregorius Nazianzenus:

„Enimvero mens iam et sensus, sic inter se discreta, finibus suis se continebant, effectorisque verbi maiestatem in se ipsis ferebant, taciti laudatores insignis opificii, et celebres praecones. Nondum autem utriusque temperatio ulla erat, aut contrariorum mixtura, quae sublimioris sapientiae ac circa naturarum creatio-

1) Chrysost. Homil. VII in epist. ad Philipp. C. II tom. XI p. 150 ed. Maur.

nem varietatis et excellentiae specimen exhiberet, nec *omnes bonitatis divitiae* notae atque spectatae erant. *Hoc igitur cum artifici verbo ostendere placuisset*, animal unum ex invisibili ac visibili natura hominem fabricatur" [1]).

„Deus enim per nativitatem hominibus apparuit, alterum quidem iam existens, et quidem sempiterne ex sempiterno, supra causam omnem ac rationem — alterum nostrae salutis causa postea factus, ut qui vitam dederat idem beatam quoque vitam largiretur" [2]).

Theodoretus:

„Nec enim aliquo cogente mundi opificium aggressus est, *nec quasi rerum indigus* (ὡς δεόμενος) mundum introduxit, sed *quia bonus est et bonitatem* omni mensura maiorem possidet, iis quae non erant ipsum *Esse dare voluit*" [3]).

Ioannes Damascenus:

„Quoniam igitur bonus omnique bonitate praestantior deus, non satis habuit sua ipsius contemplatione frui; sed pro *nimia bonitate* (ὑπερβολῇ ἀγαθότητος) quaedam esse voluit quae ipsius afficerentur beneficiis, eiusque *bonitatis participes* forent; *eam ob causam* ex nihilo producit conditque universa, tam invisibilia" etc. [4])

„Homo quia ratione pollet, brutae omnis creaturae rex creatus fuit" [5]). — „Universa haec naturalia sunt et inculpata, ab opifice beneficii loco humanae naturae concessa. Ille siquidem cum esse tum sic esse donavit" [6]).

Nunc, quoniam exemplis luculentissimis demonstratum est, quid Graeci patres atque scriptores de nostra quaestione statuerint, (nam *Ephraem Syrum*, licet nostram sententiam persequatur, brevitatis causa praetereo) reliquum est ut, quid Latini docuerint, consideretur. Agmen ducat Tertullianus. Is in libro suo Apologetico, quo admirabili dicendi vi et animi fortitudine res Christianorum maxime afflictatas defendit, haec scribit: „Quod colimus, deus unus est, qui totam molem istam —

1) Gregor. Nazianz. Orat. XXXIX p. 618 ed. Colon.

2) Ibid. p. 614.

3) Theodoret. de providentia orat. II tom. IV p. 507 ed. Schulzii.

4) De fide orthod. lib. II c. 2 edit. Lequien tom. I p. 154.

5) Idem de duabus voluntatibus c. XVIII.

6) Ibid. c. XIX.

— — de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suae, unde et Graeci nomen mundo *κόσμον* accommodaverunt" [1]).

Vix solvimus et disputatio iam haerere videtur, nam hic locus duobus aliis, quos statim transscribemus, videtur repugnare. Sed advertere velis, Tertullianum hoc capite id agere ut ostendat, qui deus sit, quem Christiani venerentur, eumque ex operibus eius cognosci. De fine vero, ob quem mundus creatus sit, hoc loco ipsi sermo non est. Iam secundum notissimas artis hermeneuticae leges non licet, ut, quamdiu fieri potest, scriptorem sibi ipsum repugnare patiamur, sed quousque fieri potest, obscuri loci ex planis illustrandi sunt. Loci autem duo qui subsequuntur, quod attinet ad intellectum eorum, nulli dubitationi obnoxii sunt.

In libro suo *de Patientia* scribit: „Igitur natales impatientiae in ipso diabolo deprehendo, iam tunc cum dominum deum universa opera quae fecisset, imagini suae, id est homini subiecisse impatienter tulit" [2]). Et alibi:

„Nimirum, inquiunt (Marcionitae), grande opus et dignum deo, mundus. Numquid ergo creator minime deus? Plane deus. Ergo nec mundus deo indignus; nihil etenim deus indignum se fecit: etsi mundum homini, non sibi fecit, etsi omne opus inferius est suo artifice" [3]).

A r n o b i u s in libris suis adversus gentes (VII, 14) scribit: „Atqui ego contumeliae proximum, quinimo esse plenam contumeliam iudico, cum honorari ab homine deus dicitur, et muneris alicuius oblatione mactari. Etenim si honos auget eiusque accumulat dignitatem, cui fuerit attributus, sequitur, ut auctior deus fiat ab homine."

L a c t a n t i u s de fine ob quem mundus creatus sit, haec habet de Ira c. 13: „Si consideret aliquis universam mundi administrationem, intelliget profecto, quam vera sit sententia Stoicorum, qui aiunt, nostra causa mundum esse constructum." Et rursum *divinar. Institut. VII, 4*: „Videamus ergo, quae ratio fuerit fingendi generis humani: quoniam constat id quod Stoici dicunt, hominum causa mundum esse fabricatum." Ib. 7: „Hominum

1) Apologeticus c. XVII.
2) De Patientia c. V.
3) Contra Marcionem lib. I c. 13.

causa mundum et omnia quae in eo sunt esse facta Stoici loquuntur", *idem nos divinae literae* docent. Porro haec Stoici: „Sic et mundum deus ad aliquem usum fecerit necesse est. Stoici aiunt causa hominum factum esse, et *recte*." Epit. div. Inst. c. 68: „Fecit ergo deus mundum propter hominem. Hoc qui non videt, non multum distat a pecude. — — — Cuncta igitur propter hominem deus fecit: quia usui hominum cuncta cessere" [1]).

Vides Lactantium cum Iustino Martyre, cum Origene admodum consentientem docere, nostram sententiam esse Christianam, *litteris divinis* eam contineri; sed ea ipsa doctrina in thesibus Coloniensibus et, si Perronio fides, etiam a Romano pontifice proscripta est.

In Commentario ad *Proverbia*, qui in operibus s. Hieronymi reperitur, ad locum supra citatum, *universa propter semet ipsum operatus est dominus*, haec scripta legimus: „Nulla fuit domino causa creaturam invisibilem vel visibilem faciendi, nisi voluntas sua, ut suam videlicet bonitatem rationabili creaturae, quam perpetuo beatam faceret, ostenderet" [2]).

S. Augustinus. Tertium caput libri tertii decimi Confessionum haec in fronte scripta exhibet: *Ex dei gratia omnia*; quartum: *Deus non eget rebus conditis*. In hoc legimus:

„Quid ergo tibi (o deus!) deesset ad bonum, quod tu tibi es, etiam si ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quae non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuae, cohibens atque convertens ad formam, non ut tamquam tuum gaudium compleatur ex eis? Perfecto enim tibi displicet eorum imperfectio, ut ex te perficiantur et tibi placeant, non autem imperfecto, tamquam et tu eorum perfectione perficiendus sis".

„Si ergo quaerimus, quis fecerit (lucem), deus est. Si per quid fecerit; dixit, fiat et facta est. Si quare fecerit, quia bona est. Nec auctor est excellentior deo, nec ars efficacior dei verbo, nec causa melior quam ut bonum crearetur a bono deo. Hanc etiam Plato causam condendi mundum iustissimam dicit, ut a bono deo bona opera fierent" [3]).

---

1) Lactantius divinarum Institutionum Epit. c. X.

2) S. Hieronymi Opera. Tom. VII p. 26. Edit. Francof.

3) Augustinus de civitate dei l. IX c. 22. Locus Platonis a Cicerone translatus hic est. „Quaeramus igitur causam quae eum impulerit qui haec machinatus sit, ut originem rerum et molitionem

„Hanc tamen causam, id est ad bona creanda bonitatem dei, hanc inquam causam tam iustam atque idoneam, quae diligenter considerata et pie cogitata omnes controversias quaerentium mundi originem terminat, quidam haeretici non viderunt“ 1).

„Et Plato quidem plus ausus est dicere: elatum esse scilicet deum gaudio, mundi universitate perfecta. Ubi et ipse non usque adeo desipiebat ut putaret deum operis novitate factum beatiorem“ 2).

S. Hilarius Pictaviensis: „At priusquam, quis iste irae sermo et quae haec indignationis perturbatio sit, ostendamus: admoneri legentes atque audientes oportet, ne aliquas demutationes passionum, perturbationesque motuum cadere in deum credant. Neque enim in aeternam illam et perfectam naturam novum incidit: neque qui ita est, ut qualis est, talis et semper sit, ne aliquando non idem sit, potest effici aliquid aliud esse, quam semper est. Terrenae istud imperfectaeque causae habent generis, ut demutabiles fiant conversione naturae, cum laetitiam moeror, placabilitatem ira, benevolentiam offensa, aequanimitatem invidia et securitatem solicitudo perturbat. Sumusque per haec aliud aliquando, quam fuimus, cum eam, quae praesens sit, mentis affectionem subrepens per inconstantiam infirmitatemque nostram motus appetitionis alterius inquietet, et ex eo, quod fuimus, in id, quod sumus, conversio nos repentina demutet. Deus autem beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest: demutatione non novus est, qui origine caret. Ipse est, qui, quod est non aliunde, est, in sese est, secum est, ad se est, suus sibi est, et ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis: qui nihil aliud, quod in se posset incidere, per id, quod ipse sibi totum totus est, reliquit. Ex huius igitur optima ac benevola beatitudine, per dominum nostrum Iesum Christum perfectae omnes sunt coelestium et invisibilium creationes, spiritualium et corporalium constitutiones: non ut profectum sibi aliquem ex

---

novam quaereret: probitate videlicet praestabat. Probus autem invidet nemini. Itaque omnia sibi similia generavit: haec nimirum gignendi mundi causa iustissima.“

1) Augustinus de civitate dei l. IX c. 22.

2) Ibid. c. 21.

his, quibus originem impertiebat, acquireret. Neque enim quisquam eo indiget, quod ex se tribuit, aut per id proficit, cui ad id quod est, author est. Exteriora autem sunt, quae afferunt profectum, quia ea, quae inopiae medentur, aliena sunt. Deus igitur, ex quo omnia sunt, nullo eorum indiget, quibus id, quod sunt, esse largitus est: omnia vero ad profectum eorum, quae gignerentur, creavit. Et quia longus erit sermo, si etiam de coelestibus et invisibilibus inchoetur: ex nobis ipsis, ad quos prophetia psalmi est, tractemus. Hominem, non quod officio eius in aliquo eguerit, instituit, sed quia bonus est, participem beatitudinis suae condidit, et rationale animal in usum largiendae suae aeternitatis vita sensuque perfecit: et hoc ex ipsius dictis absolute intelligitur. Ait enim: „Et nunc Israel quid dominus deus tuus a te poscit, nisi ut timeas dominum deum tuum et ambules in omnibus viis eius et diligas eum et servias domino deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute, et custodias praecepta domini dei, et iustificationes eius quae ego praecipio tibi, ut bene sit tibi“. Nullum a nobis nisi innocentiae et religionis et fidei obsequium deus postulat. Amari se a nobis exigit: non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa sibi percipiens, sed amore ipso nobis potius qui eum amabimus profuturo. Nam amari se, sibique nos obsequi idcirco ut nobis bene sit, expetit, ut digni beatitudinis suae et bonitatis suae munere per meritum amoris sui et obsequii iudicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non praebenti proficit, sed utenti. Quod ergo sumus, profectus noster est potius, quam eius, qui nos in id quod sumus instituit: quia deus bonorum eorum, quae in se sunt aeterna, non invidens in sensum nos atque usum beatae suae bonitatis assumit“ — [1]).

S. Anselmus:

„Domine, deus meus es, et dominus meus es, et nunquam te vidi. Tu me fecisti et refecisti; et omnia bona, quae habeo, tu mihi contulisti, et nondum novi te. Denique ad videndum te factus sum, et nondum feci propter quod factus sum. O misera

---

1) S. Hilarii tract. in II Ps. p. 31 ed. Benedict.

sors hominis, cum hoc perdidit homo, ad quod factus est! [1]) — Dei honori nequit aliquid, quantum ad illum pertinet, addi vel minui. Idem namque ipse sibi honor est incorruptibilis, et nullo modo mutabilis" [2]).

Hildebertus Venerabilis:

„Cum Plato dixerit tria esse principia, materiam, formam, et opificem, fides catholica unum principium omnium credit esse deum, cuius scilicet bonitas omnium rerum causa fuit. Cum enim summe bonus et perfecte beatus aeternaliter esset, voluit alios participes esse suae beatitudinis; et quia non potest eius beatitudo participari nisi per intellectum, et quanto magis intelligitur, tanto magis habetur, fecit rationalem creaturam, ut intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur" [3]).

S. Bernardus:

„Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid constitutus. — Si vero ad quid factus sit mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quae etiam ingratissimos quosque multitudine et magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissime siquidem ex nihilo omnia, sapientissime pulcra, benignissime utilia sunt creata. — Successerunt viri prudentiores, qui nimirum et quae facta sunt et quomodo facta sunt transilientes, intenderunt aciem mentis ut ad quid facta sunt viderent. Nec latuit eos, quoniam omnia propter semetipsum fecit deus, omnia propter suos. Aliter tamen propter se, aliter propter suos. In eo quippe quod dicitur, *omnia propter se*, praeveniens commendatur origo; in eo autem quod dicitur, *omnia propter suos* magis exprimitur fructus sequens. *Omnia fecit propter semet ipsum*, *gratuita videlicet bonitate*, *omnia propter electos suos*, *pro eorum scilicet utilitate: ut illa quidem efficiens causa sit*, *haec finis*" [4]).

---

1) Anselmi Meditatio XXI.

2) Eiusd. Cur Deus Homo lib. I c. XV. Cf. eiusdem Carmen pro contemptu mundi.

3) Venerabilis Hildeberti tractatus theologicus cap. XVII. v. Opera cura Beaugendrii p. 1054.

4) In festo Pentecostes sermo III, 3. 4.

Hugo a s. Victore:

„Deus omnipotens, cuius beatitudo nec augeri potest omnino, quoniam perfecta est, nec minui, quoniam aeterna est: sola caritate, nulla sui necessitate rationalem spiritum creavit, ut eum illius boni, quod ipse erat, et quo ipse beatus erat, participem faceret“ 1).

„Deus qui summum et verum perfectumque bonum est, ita ab aeterno in se et per se beatus fuit, ut eius gloria et beatitudo, quoniam aeterna et incommutabilis erat, non posset minui: et quoniam plena et perfecta fuerat, non posset augeri. Nullo igitur indigens, sed bonum quod ipse erat et quo beatus erat, cum aliis participare et alios in illo et per illud beatificare volens, *nulla necessitate*, *sed sola caritate creavit* rationalem creaturam, id est spiritus rationales, iussitque ut ipsi partim in sua puritate persisterent, partim ut carne vestiti corpus humanum ad vitam et ad sensum animarent“ 2).

„Quare ergo fecit deus creaturam, si bonum eius auctum non est per creaturam? R. Caritate non necessitate fecit deus opera sua: non ut ab eis bonum suum augeret, sed ut eis bonum suum impenderet. Fecit enim rationalem creaturam, ut eam in se beatificaret: cui quidem ad obsequium cetera omnia subiecit, se ipsum ei praemium ad gloriam proponens“ 3).

Petrus Lombardus sententiarum magister.

Quod catholicum est, docet.

„Horum ergo et similium errorem spiritus sanctus evacuans, veritatisque disciplinam tradens, deum in principio temporum mundum creasse, et ante tempora aeternaliter extitisse significat, ipsius aeternitatem et omnipotentiam commendans. Cui voluisse facere est: quia (ut praediximus) ex eius voluntate et bonitate res novae existunt. Credamus ergo rerum creatarum caelestium, terrestrium, visibilium vel invisibilium *causam non esse nisi bonitatem creatoris*, qui est deus unus et verus. *Huius tanta est*

---

1) Eruditionis theologicae de sacramentis fidei lib. I p. VI c. 1. Edit. Par. a. 1526 fol. 326 litt. c.

2) Eruditionis theolog. Dialogus de sacramentis legis naturalis et scriptae l. c. fol. 243 litt. N.

3) Instit. monast. de vanitate mundi lib. III.

bonitas, ut summae beatitudinis suae qua aeternaliter beatus est, alios velit esse participes: quam videt et communicari posse, et minui omnino non posse. Illud ergo bonum quod ipse erat, et quo beatus erat, sola bonitate non necessitate aliis communicari voluit: quia summo boni erat prodesse velle, et omnipotentissimi nocere non posse“.

Quare rationalis creatura facta sit.

„Et quia non valet eius beatitudinis particeps existere aliquis nisi per intelligentiam, quae quanto magis intelligitur, tanto plenius habetur, fecit deus rationalem creaturam, quae summum bonum intelligeret, et intelligendo amaret, et amando possideret, *ac possidendo frueretur.* Eamque hoc modo distinxit, ut pars in sui puritate permaneret, nec corpori uniretur, scilicet angeli, pars corpori iungeretur, scilicet animae. Distincta est utique rationalis creatura in incorpoream et corpoream, et incorporea quidem angelus, corporea vero homo vocatur ex anima rationali et carne subsistens. Conditio ergo rationalis creaturae *primam causam habuit dei bonitatem*“.

Quare creatus sit homo vel angelus.

„Ideoque si quaeratur quare creatus sit homo vel angelus: brevi sermone responderi potest, *propter bonitatem eius.* Unde Aug. in lib. de doctrina Christiana, quia bonus est deus, sumus: et in quantum sumus, boni sumus“.

Ad quid creata sit rationalis creatura

„Et si quaeratur ad quid creata sit rationalis creatura: respondetur: ad laudandum deum, ad serviendum ei, *ad fruendum eo: in quibus proficit ipsa, non deus.* Deus enim perfectus et summa bonitate plenus, nec augeri potest nec minui. *Quod ergo rationalis creatura facta est a deo, referendum est ad creatoris bonitatem, ad creaturae utilitatem*“.

Brevissima responsio cum quaeritur, quare vel ad quid facta sit rationalis creatura.

„Cum ergo quaeritur, quare vel ad quid facta sit rationalis creatura, brevissime responderi potest: propter dei bonitatem, et suam utilitatem. Utile nempe ipsi est servire deo et frui eo. Factus ergo angelus sive homo propter deum dicitur esse: non quia creator deus et summe beatus, alterutrius indiguerit officio, qui bonorum nostrorum non eget: sed ut serviret ei, ac fruere-

tur eo, cui servire regnare est: in hoc ergo proficit serviens, non ille cui servitur".

Sicut factus est homo ut serviret deo, sic mundus ut serviret homini.

„Et sicut factus est homo propter deum, id est, ut ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, scilicet ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio ut et ei serviretur, et ipse serviret, ut acciperet utrumque, et reflueret totum ad bonum hominis, et quod accipit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit deus sibi ab homine serviri, ut ea servitute non deus, sed homo serviens iuvaretur, et voluit ut mundus serviret homini, et exinde similiter iuvaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat, et quod factum est propter ipsum, et propter quod ipse factus est. Omnia enim (ut ait apostolus) nostra sunt, scilicet superiora et aequalia et inferiora. Superiora quidem nostra sunt, ad perfruendum: ut deus, trinitas. Aequalia, ad convivendum, scilicet angeli. Qui etsi nobis modo superiores sint, in futuro erunt aequales, qui et modo nostri sunt: quia ad usum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non domini, sed quia sunt ad usum eorum ipsique angeli in quibusdam scripturae locis nobis servire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur" [1]). Hucusque Petrus Lombardus.

Iam quanti momenti in nostra causa sit haec *Magistri sententiarum* amplissima ac sagacissima disputatio videamus. Primum quidem per se lucet a Petro Lombardo subtilissimi ingenii viro totam quaestionem nostram tam accurate esse pertractatam, ut vix quidquam addere potuisset, si hoc ipsi propositum fuisset Perronianam sententiam omnino evertendi. Accedit ad rationum pondus tum ab antiquitate tum a posteris temporibus incredibilis auctoritas. Nam inter eos, qui in hoc litterarum genere studia sua posuerunt, constat sententiarum librum non ex ingenio Petri Lombardi profluxisse, sed ex sanctorum patrum scriptis totum fere esse depromptum. Locus autem insignis supra a nobis recitatus ad verbum ex ea dissertatione descriptus est, quae de diligendo inscribitur atque s. Augustino addicitur. Libri vero

1) Magistri sententiarum libri IV. Lugd. 1594. Lib. II, distinct. I p. 121 s.

isti sententiarum qui auctori summam auctoritatem atque nominis immortalitatem conciliaverunt, per saecula in ecclesia occidentali pro compendio theologiae tradendae adhibiti doctissimisque commentariis et innumerabilibus illustrati sunt. Et quales et quanti viri fuerunt horum commentariorum scriptores: Alexander Halesius, Albertus Magnus, Bonaventura, Thomas Aquinas, Duns Scotus, Wilhelmus Occam, alii! Accessit libro nova atque ingens auctoritas, quum is quandoque iussu atque commendatione sedis apostolicae publice tanquam approbaretur atque, ut dicunt, pro authentico declararetur. His potissimum causis factum est, ut inde a saeculo XII doctrina Petri Lombardi paucis exceptis capitibus latissime flueret. Quid ab inde eo tempore de nostra quaestione in scholis definitum fuerit, id facile divinari potest. Locorum flumen ita dilatatur, ita crescit, ut intra fines huius scriptionis coarctari nequeat. Vestigia commonstravi, digitum ad fontem intendi; cursum flumen retinet, quo longius a fonte recedit, eo incitatius progreditur. Quare reliquos omnes locos praetermittam, duobus exceptis. Unus est Thomae Aquinatis, quem quo magis cognosco eo magis admiror, alter Ioannis de Ragusio, quo patet sententiam atque opinionem nostram ad saeculum XV ita obtinuisse, ut in amplissimo consessu patrum in concilio Basileensi conscriptorum publice, nemine reluctante, proponeretur.

S. Thomae Aquinatis, angeli scholae sententia.

In prooemio in evangelium secundum Matthaeum scribit: „Divinam sapientiam *ad sui fruitionem* hominem fecisse“ [1]), in opere autem admirabili quod contra gentiles scripsit legimus: „Deus non vult alicui suam bonitatem communicare ad hoc, ut *sibi* exinde aliquid accrescat; sed quia ipsum *communicare est sibi conveniens*, sicut fonti bonitatis. Dare autem non propter aliquod commodum ex datione exspectatum, sed *propter ipsam bonitatem* et convenientiam dationis est actus liberalitatis, ut patet per philosophum in IV Ethic. c. 6. Deus igitur est maxime liberalis, et, ut Avicenna dicit (lib. II c. 28—29) ipse solus liberalis proprie dici potest. Nam omne aliud agens praeter ipsum ex sua

1) v. Divi Thomae Aquinatis enarrationes, quas *Catenam auream* dicunt, ed. Paris 1540. fol. 1.

actione aliquod bonum appetit vel acquirit, quod est finis intentus. Hanc autem eius liberalitatem scriptura ostendit, dicens in Ps. 103, 28: Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate; et Iacob. I, 5: Qui dat omnibus affluenter et non improperat".

Iam transeamus a divo Thoma ad Ioannem de Ragusio, qui in illa longissima oratione huiuscemodi verba locutus est:

„*Tertia suppositio.* Sacram scripturam a Deo dari hominibus, divinae bonitati fuit congruum et humanae saluti necessarium, patet, quia cum bonum de ratione sua sit communicativum, et Deus sit non solum quoddam, sed et omne, summe ac per essentiam bonum, ubique congruum fuit et est ut se communicet liberalissime omnibus creaturis secundum unius cuiusque naturae exigentiam, a quo, ut Plato ait, porro invidia hominis longe relegata est. Neque enim divinum invidum esse convenit, ut Aristoteles ponit. — — — Cum igitur rationalis creatura, homo scilicet, capax sit secundum intellectum et voluntatem aeternae felicitatis, quia ad hoc ipsum idem Deus et Dominus produxit et creavit propter bonitatem suam, dicente Augustino in libro de doctrina Christiana et allegatur a Magistro sententiarum l. 2 dis. 1: quia, inquit, bonus est Deus summus, et in quantum summus, bonus summus: ut si quaeritur ad quid creata sit rationalis creatura, respondetur, ad laudandum Deum et serviendum ei, et ad fruendum eo: in quibus proficit ipsa, non Deus. Deus enim perfectus et summa bonitate plenus, nec augeri potest nec minui. Quod ergo rationalis creatura facta est, ad Deum referendum est, ad creatoris bonitatem et ad creaturae utilitatem" [1]).

Haec autem testimonia, licet per se gravissima, graviora comparent, si consideraverimus, recentissimum aliquem contrariae opinionis patronum, professorem Kleeium, cuius dogmatica locis ex patribus laudatis scatet, ne unum quidem locum ex antiquitate Christiana indagare potuisse, qui eam defendat. Pauci enim, quos attulit, hanc suam opinionem aut plane non attingunt aut contra

---

1) Ioan. de Ragusio oratio de communione sub utraque specie in concilio Basileensi habita. v. Canisii — Basnagii Thesaur. Monument. Tom. IV p. 477.

cum faciunt, quemadmodum a Ianseno in *signatura dogmaticae modernae*, 1 fascicul. p. 120 sq. demonstratum est.

Ex his omnibus patet, eam opinionem, mundum a deo non in suam gloriam, sed sola benignitate creatum esse, ante Lutherum natum inter theologos catholicos ubique divulgatam fuisse. Immo adeo ea sese probaverat, ut ipse *catechismus Romanus*, qui ex mandato concilii Tridentini et summa diligentia et rara sermonis puritate atque elegantia conscriptus atque a Pio IV papa publice adprobatus est, ut suam adoptaret, eoque omnibus parochis rei Christianae catholicae commendaret, ut hanc sententiam in tradenda religionis doctrina docerent. In hoc igitur tantaeque auctoritatis libro legitur: *Cuius rei* (aeternae salutis comparandae) *imprimis causa* homo *conditus*, atque ad *imaginem* et *similitudinem dei creatus est*" ! [1])

Ibidem praecipitur: „Sed iam, quod omnium maxime faciendum est, docebunt parochi, ac sine ulla dubitatione fidelibus tradent, hoc sacramentum (poenitentiae) a Christo domino, qui bene omnia et unius salutis nostrae causa fecit, ob eius summam bonitatem et misericordiam institutum esse". [2])

Idem docet: „Deum testari, hominis causa omnia, quaecunque procreata sunt, se fecisse". [3])

Idem etiam certius et manifestius docet: „Neque vero ulla alia fuit causa, quae illum (deum) ad opus creationis impelleret, nisi ut rebus, quae ab ipso effectae essent, bonitatem suam impertiretur. Nam dei natura, ipsa per se beatissima, nullius rei indigens est." [4])

Temporibus demum concilium Tridentinum secutis opinio, ex qua deus mundum in suam gloriam creavit, placere coepit, cum aliis, tum theologis multis, qui Calvini ac Lutheri placita sequebantur. Narrat Lactantius, idem hoc placuisse *Epicureis*, atque Celsus ille, quemadmodum supra vidimus, ex acerrimis quos aetas unquam vidit doctrinae Christianae adversariis, quem Origenes sectae Epicureorum alumnum designat, multum operae impen-

---

1) Catech. Rom. Prooem. quaest. I.
2) Ibidem. Pars II, cap. V, quaest. 39.
3) Ibidem. Pars III, cap. VI, quaest. 15.
4) Ibidem. Pars I, cap. I, quaest. 15.

dit, ut contrariam opinionem, quam Christiani teste Origene amplectebantur, oppugnaret. Sed non difficile est ad intelligendum, quo vinculo haec doctrina cum ceteris placitis Epicureorum contineatur. Ex principiis enim philosophiae Epicuri necessario consequitur. Neque rursus difficile est ad intelligendum, quomodo theologi reformati stricte tenentes Calvini placita ad hanc sententiam venirent, si reputaverimus, a *Calvino* horrendam istam doctrinam propositam esse, a deo aliquot homines consulto in aeternam condemnationem praedestinatos esse, ut haberet, in quibus iram suam et severitatem declararet! Nam quomodo credi potest, a deo mundum et homines sola benignitate creatos esse, si idem aliquot homines in aeternam condemnationem praedestinavit? Itaque opinio, deum propter se, in suam gloriam mundum fecisse, in theologis Lutheranis et reformatis fere unice dominata est et perduravit usque ad initium saeculi praecedentis: ibi enim episcopus Anglicanus *Wilhelmus Kingius*, homo acutus in cogitando et diligens, libro *de origine mali* 1) edito eam oppugnavit eiusque auctoritatem multum infirmavit. Argumenta Kingii huc transscripsi. Scribit ille de *origine mali*:

„Cum Deus in se perfectus sit, cumque omnia eius providentia constent, ipsoque indigeant, ille vero nullius sit indigus, cumque nec laedi nec iuvari ab operibus possit, nec eorum bonis aut malis affici, sequitur ipsum ea fecisse, nullo suo commodo, nec ab iis emolumenti aliquid recipere aut exspectare. Aut enim earum utilitatem, aut suam, res extra se efficiendo, quaesivisse eum necesse est. At Deus bona omnia possidens, quam sibi utilitatem quaerat? Eam certe quae ipsi defuit, et deesse necesse est enti etiam absolute perfecto, donec aliquid creaverit, velut exercitium facultatum *ad extra*, communicationem potentiae et bonitatis; ea ergo sola quaesivisse censendus est in creatione et ordinatione opificii sui. Non quod *externa* aliquid *Deo* addere possunt, nullam enim cum potentia eius aut natura proportionem habent, ipse vero

1) De origine mali, authore Guilielmo King, S. T. D. Episcopi Derensi, iuxta exemplar Londinense, Bremae 1704. 8°.

in se adaequatum potentiarum exercitium habet; scilicet se contemplando et amando: externa ergo neque addunt potentiarum eius exercitio neque demunt, utpote ante infinitae. Indifferenter igitur se habet ad ea Deus, nec placet illi hoc exercitium *ad extra*, nisi ipse se ita exercere elegerit, ut dicetur infra. Atque hinc manifeste sequitur, mundum tam bene se habere, quam ab infinita potentia et bonitate fieri potuit. Cum enim exercitium potentiae divinae, communicatio bonitatis, fines sunt, quorum gratia mundus fabrifactus est, dubium non est, quin fines eos assecutus sit."

„Novi communiter dici mundum conditum esse ad gloriam *Dei*, sed hoc *ἀνθρωποπαθῶς*; eodem enim modo cupido gloriae tribuitur *Deo*, quo ira, amor, vindicta, oculi et manus. Cum igitur scriptura nos docet mundum ad gloriam Dei creatum fuisse; intelligendum est, quod attributa divina, scilicet potentia, bonitas et sapientia, tam clare elucescunt in operibus eius, ac si nihil in animo habuisset ea condendo praeter ostentationem harum, nec potuissent ei fini aptius inservire, si ad gloriam destinata fuissent, sed stricte loquendo potentia divina est infinita, et cum agit in commodum creaturarum, limites non novit, nec habet bonitas *Dei* limites alios praeter sapientiam suam et potentiam quae etiam infinitae sunt. Et revera hoc maxime ad gloriam *Dei* facit, mundum scilicet cum bonitate summa creasse."

Hactenus episcopus Anglicanus *Kingius*.

Horum argumentorum vis et auctoritas satis graves erant, ut multos theologos protestantes impellerent ad eam opinionem mittendam. Catholici, si minus omnes, at plurimi certe, traditionem ecclesiae sequebantur. Atque hoc quomodo aliter apud eos fieri potuit, cum *catechismum concilii Tridentini sive Romanum* manibus suis tenerent atque versarent, in quo haec doctrina, ut vidimus, verbis manifestissimis proponitur? Praeter ceteros igitur videmus favere huic opinioni eamque profiteri *Fenelonem*, s. *Franciscum de Sales*, *Estium*, *Antonium Genuensem*, theologum minus ac meretur apud nos cognitum, *Stattlerum* in *Ethica* eius *Christiana universali*, multosque alios quos nominare non attinet.

Testimonium theologi, quem ultimo loco nominavimus, eo non infirmatur, quod nonnulla eius scripta in Indicem recepta sunt. Immo eo gravius illud est, propterea quod is liber, quo hanc opinionem copiose exposuit, in Indice *non* relatus est. Recentiores theologi, veluti *Ildephonsus Schwarzius*, *Dobmayerus, Maurus Hagelius*, alii eandem opinionem suam fecerunt.

Postremo proposita est eadem sententia etiam in libris precum et ad pios sensus excitandos et alendos scriptis. Vide verbi causa *Silberti* Vindobonensis librum qui inscribitur *Sanctificetur nomen tuum* [1]). Quid quod tota ecclesia quotidie profitetur filium Dei *propter nos homines et propter nostram salutem* (non propter suam *gloriam*) descendisse de coelis!

Recentissima autem aetate contraria opinio etiam inter catholicos theologos latissime serpere coepit ab iisque incredibili studio defenditur. Hanc rerum conversionem facile intelligemus, si nobiscum reputaverimus, quantopere nostra tempestate Pantheismi doctrina theologiam catholicam per Germaniam inficiat atque commaculet [2]). Pantheista autem, si quidem sibi constare vult, non magis quam Epicurei, non magis quam *Calvinus* doctrinam profiteri potis est, a deo mundum sola benignitate in beatitudinem eorum quos creavit effectum esse, atque hinc satis liquet, cur theologi illi qui soli catholici videri volunt quosque modo designavimus, item opinionem veteris disciplinae et ecclesiae oppugnent eamque ausu plane nefario in haeresis suspicionem adducant.

Iam tecum reputes, doctrinam, quam optimi quique inter veteres philosophos defenderunt, quae rationi egregie commendatur, quae a s. *Iustino* martyre, ab *Origene*, a *Lactantio* tanquam tradita et omnibus Christianis communis designata est, quae omnibus saeculis antiquitatis Christianae a summis theologis proposita est, quae, si ulla alia *consensu patrum* defenditur, quae in catechismo Romano, summo pontifice disertim adprobante, in omnibus ecclesiis Christiano-catholicis tradenda perscripta est, —

---

1) Vide: „Geheiliget werde dein Name!“ Ein katholisches Gebeth- und Andachtsbuch von I. P. Silbert. Augsburg 1825.

2) Conf. *Silberti* interpretatio operum Fenelonis l. c. et Baltzeri liber recentissimus: *Symbolae* cet.

reputes, hanc doctrinam tanquam condemnatione dignam in thesibus Coloniensibus reprobari, atque a clericis archidioecesis Coloniensis postulatum esse, ut hanc doctrinam solemniter abiurarent! Reputes in iisdem thesibus doctrinam esse sancitam, pro doctrina catholica venditatam, quam *absurdam*, quam *impiam* vocat s. Chrysostomus, quae nullam aliam commendationem ex antiquitate habet, quam Epicureorum! Reputes etiam, Romae esse publicum theologiae professorem, *Ioannem Perronium*, tam inscium aut officii sui ita prorsus oblitum, ut palam affirmare non detrectet:

> „Has duodeviginti theses nihil esse nisi accuratam doctrinae catholicae expositionem in omnibus iis, quibus Hermesius ab ea discedat.“ —

Reputes, quae consequentiae in s. sedem redundaturae sint, si verum est quod *Perronius* publice affirmavit! Tum enim sedes apostolica eam doctrinam condemnavit, quam antiquissimi Christiani crediderunt, patres testati sunt, theologi docuerunt, summi pontifices adprobaverunt, quamque omnes parochi catholici, siquidem faciunt quod a summo pontifice iis praeceptum est, ex catechismo concilii Tridentini ubique tanquam doctrinam Christiano-catholicam docuerunt docentque. Itaque inimicis sedis s. Petri exsultare et laetari licet et a laboribus suis requiescere, cum quae ipsi intenderint a *Perronio*, *eheu theologo Romano*, in ipsa urbe perficiantur!

Theses Colonienses — Responsa de iis lata — Archiepiscopus Coloniensis papae se aequat — Idem se super papam effert — Schisma Coloniense.

Globi formam nonnulli pulchri aestimatores dicunt omnium formarum pulcherrimam esse, ac, ni fallor, Cicero quoque hanc sententiam amplexus est. Nam quacunque de parte adspiciatur, eandem semper permanere. Idem de Perronio dici potest. Sive hunc sinistra, sive dextra, infra suprave adspexeris, sive theologum, sive philosophum, sive concertatorem, sive rerum scriptorem respexeris, semper idem Perronius comparet! Hanc sui indolem denuo ille totam absolutamque promit in annotationibus, quas thesibus Coloniensibus adiunxit. Iam supra nonnullas ex

his annotationibus aestimavimus et praeter alia hoc ostendimus, nihil fuisse, cur Perronius scriberet p. 34, propterea quod nonnulli professores thesibus subscribere recusassent, archiepiscopum clericis suis praecepisse, ut ne praelectionibus eorum interessent. Denuo ad hoc revertimur. Si nemo has theses cum Hermesianis ad subscribendum communicavit, quid illi facere debuerunt, ut notam contumaciae effugerent? Scilicet ad subscribendum ipsi irrumpere debuerunt! Num ad eam subscriptionem irrupturi erant, quam praestare nulli theologo catholico licet? Etiamsi vero theses orthodoxae essent, quod longe secus est, etiamsi archiepiscopo iuxta politiam ecclesiae licuisset, eiusmodi theses proponere, quod profecto non licuit, vel sic professores contumaciter non egissent. „Nulla in re", eruditus quidam Iesuita scribit, „innocens obligatur, ut condemnationem sui quaerat, eam adiuvet, ac minime omnium obligatur, iudicium in se ipso exsequi, antequam iudicis sententia legitime secum communicata cogatur." Hoc ille Iesuita scribit, ut ostendat, patres ex societate Iesu Bullae Clementis XIV, qua societas sublata erat, obsequi non debere, donec legitime divulgata esset. Quippe ipse Sultanus magnus filum bombycinum *mittit,* neque exspectat, ut ultro petatur.

Iam rursus accipe specimen insignis mendacitatis Perronianae.

Nam ut ille refert, lector credere inducitur, professores Hermesianos plerosque thesibus subscripsisse, atque nonnullos tantum recusavisse, quominus subscriberent. Adversus hos nonnullos praeiudicium iniquissimum excitatur: quippe facere recusant, quod plerique facere haud cunctati sunt. Illi contumaces sunt, illi poena digni. Nihilominus veritas eius rei haec est: ne unus quidem professor Hermesianus thesibus subscripsit, et ne cum uno quidem ad subscribendum communicatae sunt. Unus tantum theologiae *Repetens* thesibus subscripsit, et eo quidem temporis momento, ubi praesens coram archiepiscopo aliud munus ambiebat, — quod pro nominis subscriptione accepit.

Sciunt lectores ex iis quae iam supra memorata sunt, archiepiscopum Coloniensem, Clementem Augustum de Droste, theses de doctrina catholica publice proposuisse. De his thesibus plura iudicia theologica prodierunt, in quibus luculente monstratum est, has theses non una re et doctrinae et disciplinae

catholicae esse contrarias. Tota haec res tanti momenti est, ut Perronius eam commemorare omnino debuerit. Qua ratione id fecerit, videamus:

> „Brevi tempore sex septemve ex Germania ad me pervenerunt, quorum alterum alterum repeteret, ut qui unum legisset dicere posset, sese omnia legisse.“

Itaque *responsa* de thesibus Coloniensibus lata accurate consentiunt, atque hoc ipso ea commendari putes, mi lector! Nam quantopere consensio ecclesiae catholicae in doctrinis suis prae aliis confessionibus in iisdem rebus non consentientibus laudatur! Sed nihilominus haec consensio responsorum Perronii plausum non tulit. Num tulissent, si non consentirent? Ah quos clamores Perronius tum ederet? En habetis, ille voce Orlandi furiosi in saltibus Roncevallensibus resultante vociferaturus esset, haeresin Hermesianam! Ea erroris natura est, ut ipse sibi repugnet! Quid aliis etiam argumentis opus est? Crucifigatur!

Novus is foret equus Troianus medios in Hermesianos illatus, in hunc licet altissimum Perronius summa vi enisurus esset, ac nulla iuris, nulla aequitatis, nulla pudoris ratio eum inde depellere posset, donec equum suum Troianum usque ad mortem in gyrum egisset. Nunc vero non ita est, ac miser Perronius equo isto non vehitur, sed pedibus suis currit et laqueis sese irretit, quos ipse disposuit. Nonne enim hic ipse denuo sese irretivit, cum p. 44 tam contemptim, tanta cavillatione de consensione responsorum de thesibus latorum loquitur, idemque consensionem responsorum de Hermesio, quae Romam missa sunt, tanquam argumentum veritatis eorum supra p. 26 proponit? O serve nequam, ex ore tuo te iudico.

> „Argumentum maxime speciosum, quo adversarii nituntur, ut subscriptionem duodeviginti thesium recusent, hinc sumptum est, quod non licere particulari episcopo dicunt, ut fidei formulam is proponat, qua conscientia obligetur“.

Hoc idem Perronius scripsit, qui supra nobis narravit, qui unum ex responsis de thesibus Coloniensibus legisset, omnia legisse.

Haec confessio Perroniana facit, ut facilius locum modo communicatum corrigere possimus. Nam si causas exponimus, cur *unum* responsum subscriptionem thesibus denegatam velit, omnium causas exposuimus. Iam responsum Darmstadii La-

tine editum has causas affert, cur subscriptio concedi thesibus non possit.

„An et cur dubitent theses nomine subscripto confirmare."

„Iam quae praegressa est disputatio explicat satis causae adesse, cur dubitent huius responsi auctores thesibus nomen suum subscribere, his causis inde abstinendum existimantes:

1) quia theses illae, ut ipsis videtur, non in omnibus accurate cum doctrinis ecclesiae catholicae consentiunt;

2) quia saepius in iis quae pronuntiant modum excedunt, privatas opiniones et assertiones, de quibus ab ecclesiae nihildum decretum est, tanquam fidei dogmata proponunt, postulantes, ut ea accipiantur et iureiurando sanciantur;

3) quia quid velint non ubique clare pronuntiant, adeoque

4) effata ecclesiae, quatenus ea continent, non semper integra, immo deformata expromunt [1]).

Ad has causas, quae ex thesium contextu sponte consequuntur et haud dubie satis graves sunt, ut non modo dubitet aliquis iis subscribere, sed id ne licere quidem censeat, accedunt quae sequuntur."

Hactenus responsum.

Iam verba Perronii iterum legas et mireris hominem ea referentem, quae ille hac in re retulit. Nam quod Perronius tanquam argumentum maxime speciosum aut primarium exhibet, adeo secundarium est, ut sententia de subscriptione deneganda penitus certa et firma sit, sive hoc in censum recipitur, sive inde

---

1) „Respicienda hic videtur, praecipue quod attinet ad concilium Tridentinum, Bulla P. M. Pii IV „Benedictus Deus", emissa anno 1564, qua disertim et gravibus poenis propositis omnibus, tam ecclesiasticis personis cuiuscunque ordinis, conditionis et gradus, quam laicis quocunque honore ac potestate praeditis praecipitur, ne quis sine auctoritate apostolica audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quocunque modo edere aut quidquam quocunque nomine etiam sub praetextu maioris decretorum corroborationis aut executionis, aliove quaesito colore statuere."

excluditur. Cum hoc responsum etiam Latine conversum prodierit et Latina interpretatio, quod vix dubitari potest, in manibus innocentissimi viri versata sit, hac in re ne „natus quidem Theodiscus“ veritati sese obiicere eamque oculis Perronii subtrahere potuit!

Archiepiscopum Coloniensem in thesibus suis longe ultra Breve progressum esse, supra iam indicavimus. Sed tum quod archiepiscopus subscriptionem harum thesium postulavit, tum ratione qua postulavit, longe ea iura excessit, quae ei ut singulari episcopo competunt. Nam si liceret singulari episcopo, quod is in hac re sibi sumpsit, antequam duae hominis aetates effluxissent, idem illud, quo peculiaris ecclesiae catholicae virtus continetur, unitas eius, rumperetur et dilaberetur. Hoc adeo ex ipsa rei natura liquet, ut dubitari non possit, etiamsi nullum exemplum historia suppeditaret. Sed haec quoque proferemus, ut quod volumus citius efficiatur. Non unus, sed grandis episcoporum numerus in concilio Remensi a. 1148 sibi sumpserant, ut fidei professionem adversus placita *Gilberti Porretani*, episcopi Pictaviensis et theologi subtilissimi proponerent. Quid factum est? „*Hoc Gallicanae ecclesiae factum tam graviter sacer cardinalium senatus accepit, ut cum magna mentis indignatione curiam intraret ac tanquam unum corpus effecti, una omnes voce* pontifici suo dicerent: Scire debes quod a nobis, per quos tanquam cardinales unisersalis ecclesiae volvitur axis, ad regimen totius ecclesiae promotus, a privato universalis pater effectus, iam deinceps te non tuum sed nostrum esse potius oportere — — — Romanaeque curiae culmen ex officii tui necessitudine curare et observare debere. Sed quid fecit *Abbas tuus* (s. Bernardus) *et cum eo Gallicana ecclesia? Qua fronte, quo ausu cervicem contra Romanae sedis primatum et apicem erexit! Quomodo ergo isti in nostra praesentia usurpare audent, quod etiam remotioribus et maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariae novitati celeriter assurgas, ipsorum contumaciam punire non differas.*“ Verba Ottonis Frisingensis ap. Natal. Alexandr. in Hist. Ecclesiast. Tom. VII p. 429.

Num igitur quod cunctis fere Franco-Galliae episcopis haud licuit, id soli archiepiscopo Coloniensi licebit, ei licebit illud, quod ipse summus pontifex Romanus concedere ei non posset,

etiamsi vellet? Alia exempla afferre supersedebimus, sed potius ad disertum Pii IV praeceptum in Bulla *Iniunctum* a. 1564 propositum provocabimus, quo unicuique episcopo interdicitur, quominus fidei professionem proponat. Huic omnino consentit doctrina *Roncagliae* in editione historiae ecclesiasticae *Natalis Alexandri* exposita, ad quam in hac re lectores omnino remittimus. Huiuscemodi ille verbis disseruit: „Non esse privatarum ecclesiarum symbolum condere, quamvis non proponendum omnibus fidelibus, illa s. Thomae ratio demonstrat, qua id uni Romano pontifici assignat, ut nempe eadem sit totius ecclesiae fides. Sane si daretur unicuique ecclesiae particulare symbolum suis fidelibus proponere, facillime eveniret unius ecclesiae symbolum ab altero in verbis saltem et explicatione discriminari; atque ita schismatum occasio possit oriri, ob quae vitanda vult s. Thomas unum Romanum pontificem posse symbolum edere. Id praevidisse videntur et ipsi apostoli, quapropter ut unum idemque symbolum esset in ecclesia, et ita eodem modo ubique fidelibus proponeretur, de symbolo ubique promulgando convenere antequam dividerentur. Qui ecclesiae historiam perscrutantur sciunt, quas turbas inter fideles excitaverit additio facta symbolo illius vocis: *Filioque;* quid ergo non pertimescendum, ubi singulis ecclesiis fas esset particulare symbolum indicere?" [1]). Haec *Roncaglia* scribit in opere, quod adprobantibus censoribus Romanis editum est. Perronius vero haec omnia minime curat, omnia flocci facit, „temerariam novitatem" archiepiscopi Coloniensis laudat ipsumque summo pontifici adaequat, dum illi ius concedit, quod huic et conciliis oecumenicis unis competit, eoque recta via in schisma incurrit!

Nihil hic noster Perronius habet, quod in thesibus reprehendat, unum quod aliqua vituperatione dignum videtur, super id transilit, ut gallus super carbones candentes. „Summum", ille scribit, „summum quod dici possit hoc est, archiepiscopum melius *forsitan* facturum fuisse, si theses suas forma *negativa* potius quam *positiva* exhibuisset." Iam alterum nobis offertur, quod illustrandum est.

Archiepiscopus Coloniensis igitur ipso Perronio confitente

1) Natal. Alex. Histor. ecclesiast. ed Roncaglia, Tom. VII p. 443.

theses suas non forma *negativa*, sed *positiva* exhibuit. Quod is suas theses vel suam fidei professionem concinnavit, id ostendit, illum hac in re sese papae adaequavisse; sed quod theses forma *positiva* concinnavit, id argumento est, illum hac in re super ipsum papam sese extulisse, atque hoc est, quod iam demonstraturus sum.

Fidei formulas *positivas* nonnisi ab auctoritate infallibili proficisci licet; a fallibili hac forma eas unquam proficisci non licet. Sed cum episcopus singularis auctoritas sit quae falli possit, cum multi episcopi fuerint, qui in haeresin et schisma inciderent vel adeo ut principes sectarum agerent, plane non licet, ut forma *positiva* unquam fidei praecepta exhibeant. Haec ea forma ne ab ipso quidem papa proficisci possunt. Hoc nonnisi tunc liceret, si infallibilitas papae *dogma* esset. Sed infallibilitatem papae *non* esse dogma, omnes theologi consentiunt, etiam ii qui eius infallibilitatem docent [1]).

Secundum haec *interdicere* summo pontifici licet, ne certa quaedam doctrina credatur doceaturve, sed eidem non licet, ut *positive* praecipiat, quid credendum vel docendum sit, nisi si ante ab auctoritate infallibili, a concilio oecumenico, de ea re decretum sit. Hoc enim in aperto est, auctoritati *non infallibili* neque potestatem neque ius competere, dogmata fidei *divinae* et catholicae proponendi. Ac qui tandem catholicus quidquam in *Credo* suum recipere possit, h. e. qui credere is quidquam fide *divina* et catholica possit, quod auctoritas fallibilis credendum

---

1) „Error calumniatoris poena iam dignus est, si verba eius iniuriam faciunt, vel si vituperatio falsa ab eo proficiscitur, qui pro munere suo meliora scire possit. Miratus sum, cum nuper comperi, sacerdotem Lutheranum spectabilem et eruditum catholicis vitio vertere, ab iis agnosci caput visibile, quod dogmata praescribat."

„Minus miror, quod iste N. N. etiam de infallibilitate papae tanquam dogmate catholicorum loquitur. Cognitos ille habet, quibus scribat, et melius fortasse quam ullus alius scit, quantum utilitatis suae rei haec audacter pronuntiata afferre possint" Verba sunt comitis *Friderici Leopoldi de Stolberg:* Duo scripta s. Augustini p. 349. Conf. Dogmatica *Kléeii* et Dissertatio *Hefelii* inserta ephemeridibus Tubingensibus (Tübinger Quartalschrift): de terminis, quibus docendi licentia apud catholicos contineatur.

ei proponat? Quomodo, ut aliis verbis idem dicam, fide divina credere id possit, quod ad postremum de fide divina non est?

„Plusieurs des nôtres theologiens“, doctus Abbas *Baston* scribit, „vont jusqu'à croire qu'il leurs (aux papes) a tacitement assuré l'*inerrance:* c'est-à-dire, qu'il a, si j'ose m'exprimer de la sorte, résolu avec lui-même, fallût-il un acte de sa toute puissance, de les sauver tous d'une chute complète en ce genre. Mais cette résolution divine, ce ferme propos immuable, n'est pas connu par une révélation formelle. On le soupçonne, on le conjecture: dix-huit siècles de sagesse et de fidelité sont un motif de penser ainsi. Cela suffit à la tranquillité. Quant à la foi, cela ne suffit pas. Elle a besoin d'un appui reconnu pour *infaillible*, ce terme pris à la plus grande rigueur. Un million de probabilités lui attesteraient que le chef, le premier juge, ne s'est pas trompé, qu'elle ne serait pas satisfaite. Des probabilités ne formeront jamais la certitude, et il la lui faut. Il la lui faut telle qu'elle embrasse tous les cas dans sa généralité: ce qui écarte, par conséquent, la simple possibilité de l'erreur“ [1]).

Iam si ad agendi rationem summorum pontificum mentem advertimus, statim videbimus decreta Romanorum pontificum, nominatim *propositiones damnatas*, modo negativo exhibitas esse, ut ante diximus, h. e. summi pontifices certas doctrinas et opiniones ut *haereticas*, *erroneas*, *haeresin sapientes*, *scandalosas*, *pias aures offendentes*, *temerarias*, *schismaticas*, *seditiosas*, *calumniatorias* [2]) reiiciunt, nec tamen simul definiunt, quae positive credenda sint. Haec agendi ratio est, quam papae, cum condemnarunt *Iansenium*, *Baium*, *Quesnellium*, quam etiam Gregorius XVI, nobilissimus theologus, cum condemnavit scripta Hermesiana, observaverunt. Adeo concilia oecumenica hac agendi ratione saepe utendum sibi esse putaverunt!

Iam verba Perronii mihi expende: „Summum quod dici possit, hoc esse, archiepiscopum *melius forsitan* facturum fuisse, si theses forma *negativa* potius quam *positiva* concinnasset“.

Haec infallibilitatis persuasio archiepiscopi re vera singulis

1) Abbé Baston, Reclamations t. I p. 268

2) v. Instructio Clementis VIII pro iis qui libris prohibendis etc. operam sunt daturi §. II.

thesibus subiecta est. Considera duodevicesimam sive extremam. Hac postulatur, ut clerici archidioecesis Coloniensis iure iurando se obstringant, in omnibus quae ad doctrinam et disciplinam spectant, *sine ulla conditione*, *absolute* et *sine ulla restrictione* sese subiicere. Ex lege morali licet, ut praeviam et ab omni conditione remotam subiectionem alicui spondeas, si is, cui hoc modo te subieceris, infallibili auctoritate pollet. Sed per legem moralem utique nunquam licet, ut alicui sine ulla restrictione nos subiiciamus, nisi nobis persuasum sit, eum, cui nos subiicimus, et in intelligendo ab omni errore immunem, et in eo quod vult omnino sanctum esse. Homo catholicus *infallibili magisterio* ecclesiae se subiicit, eam ipsam ob causam, quod ei persuasum est, illud esse *infallibile*, hoc est in omnibus quae pertineant ad fidei morumque doctrinam falli minime posse. Sed singularem episcopum sive archiepiscopum infallibilem esse, nemo adhuc theologus catholicus affirmavit, et historia testis est, contrarium saepissime accidisse. Nam certissimo historiae ecclesiasticae testimonio non pauci fuere episcopi et archiepiscopi, qui a veritate doctrinae et disciplinae aberraverunt, qui adeo sectarum principes exstiterunt. Igitur hoc est in aperto, veram conscientiam non pati, ut eiusmodi promissum nullis terminis cohibitum a quoquam quisquis demum est detur. Nam si exempli gratia *Nestorius* eiusmodi sponsionem a clericis sibi subiectis postulavisset iique dedissent vel dare eis licuisset, *obstricti* fuissent eius *errores* sequi et doctrinam catholicam abiicere. Si *Lucifer Calaritanus* eiusmodi sponsionem iuramento sancitam a clericis suis postulasset, iique hanc dedissent vel dare eis licuisset, iuramento sese obstrinxissent episcopum eiusque schisma sectari. Si *Elipandus archiepiscopus Toletanus* talem sponsionem a clericis suis postulasset iique hanc dedissent vel dare iis licuisset, sese illi obstrinxissent, errores Adoptianos accipere; sese obstrinxissent, subscribere professioni fidei ab *Elipando* concinnatae, quamvis doctrinae ecclesiae repugnet. Sed fuere tunc clerici, qui ab archiepiscopo *Elipando* sibi, tanquam non obedientibus et degeneratis sacerdotibus maledici mallent quam eiusmodi professioni fidei subscribere. *„Qui non fuerit confessus Iesum Christum adoptivum humanitate, et nequaquam adoptivum divinitate, is haereticus est et extermine-*

tur. Auferte malum de terra vestra. Non me interrogant, sed docere quaerunt, quia servi sunt Antichristi". Huiuscemodi verba loquitur archiepiscopus *Elipandus*, vir incredibilis pertinaciae, qui tamen ipse haereticis doctrinis implicatus erat, quique adversus quascunque hortationes, adversus quemcunque meliora docturum aures suas occludebat. Si ante tria fere saecula clerici archidioecesis Coloniensis *Hermanno* archiepiscopo id promisissent, quod archiepiscopus *Clemens Augustus* postulavit, ac si iis licuisset, ut hoc sponderent, capitulum Metropolitanum Coloniense nullo suo iure resistere potuisset novis rebus ab archiepiscopo *Hermanno* tentatis, neque dubium esset, quin iam exularent sacra catholica et doctrina Lutheri Coloniae dominaretur.

Non aliam obedientiam episcopus vel archiepiscopus poscere potest, nisi quam leges ecclesiasticae concedunt. Quantum eae leges permittunt, tantum ius archiepiscopi valet, et ubi illae desinunt, ibi obedientia erga episcopum vel archiepiscopum terminis suis circumscripta est. Ultra hos fines archiepiscopum obedientiam postulare, non licitum est, neque clericis officium est, ut eam praestent: immo horum officium est, ut in eiusmodi causis, quas enumeravimus, omnes utilitates terrenas contemnentes et vitae adeo dispendio eam obedientiam denegent. Haec quum per se pateant, possunt etiam luculentissime probari tum ex s. Thomae tum ex beatissimi patris Gregorii XVI scriptis.

„Praelati possent", celeberrimus Ioannes Gersonius dicit, „inducere quamcunque vellent super illos servitutem, si suis sententiis iniquis et erroneis semper esset obediendum."

Infallibilitatem, quam theses archiepiscopo ipso facto et tacite tribuebant, ipse persentiscens, supra leges ecclesiae elatum sese credidit. Novum eius rei argumentum theses illae ipsae praebent, quas clericis iureiurando interposito adoptandas concinnaverat. Etenim ius canonicum interdicit, ne archiepiscopus a clericis suis iusiurandum postulet, nisi pars administrationis ecclesiasticae eis demandetur. „Nullus episcopus", ita est in C. 5, X *de iureiurando* (2, 4), „clericos suos, nisi forte quibus ecclesiasticarum rerum commissa fuerit dispensatio, sibi iurare compellat".

Auctoritas quidem papae in thesi illa duodevicesima memoratur. Sed velim consideres, ea res quo tandem usu evasura sit, et facile intelligas, clericos singulos omnino archiepiscopi arbi-

trio expositos esse. Si clericus sedem Romanam appellaret, eam viam ingredi debebat, quam leges terrae suae praescribebant: sed sic contra faciebat atque iureiurando promiserat; si has leges perrupisset, a potestate civili poenam tulit. Itaque sacerdotes archidioecesis Coloniensis veluti septo continebantur, absque ullo legum praesidio, cum archiepiscopo semper pro lege ac ratione stetit voluntas. Ceterum neminem fugit, etiam a Lamennaeo auctoritatem papae vehementer elatam fuisse, adeo ut episcopi Franco-Gallici per aliquod tempus Lamennaeum Romae deferre cunctarentur, ne animo parum catholico affecti viderentur. „Est etiam aliud", scribunt isti episcopi, „quod praesulum animos permovit; videlicet scriptorem supra memoratum (Lamennaeum) eiusque discipulos *affectata diligentia* defendisse doctrinam quae maxime favet auctoritati sedis apostolicae: quorum scripta si damnavissemus, metus erat ne infirmius videretur obsequium nostrum erga illam auctoritatem" [1]). Sed haec quamvis omittamus, nihilominus thesis ita conscripta est, ut omnia concidere necesse sit, quae summo pontifici per eam deferuntur. Scilicet thesis ipsa *rem novam et inauditam*, quae doctrinam spectat, continet, dum dogmati catholico apertissime repugnans summo pontifici *primatum ordinis* tribuit, h. e. papae eum principatum tribuit, quem profecto et repudiat et repudiare debet.

Nova in religionis negotio studia eo tendere, ut ecclesia a principatu civili seiungatur, id iis, quae quotidie evenire videmus, satis confirmatur. Qui nunc sceptra tenet Gregorius XVI, cum in sedem apostolicam evectus esset, in encyclica sua hanc contentionem ipse designavit eamque coram catholicis omnibus tanquam ecclesiae et imperio civili perniciosam denotavit: „Neque laetiora et religioni et principatui ominari possumus ex eorum votis, qui ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei sacrae et civili fausta extitit ac salutaris" [2]). Per illam thesin quaecunque fila vinculi, et imperium civile et ecclesiam continentis laxata esse, idemque rerum statu

---

1) Censure de M. de la Mennais par l'Archévêque de Toulouse p. 44.

2) Gregorii XVI epistola Encyclica a. 1832.

qui nunc est iuvante omnino dissolvi oportuisse, simulatque huic thesi obtemperatum esset, hoc ut quis perspiciat, magna sagacitate non indiget.

Sed quamvis rerum status admodum coeptis illis faveret, tamen praeviderant, fore ut thesium exsecutio in difficultates incurreret. Inde magna cautio in proponendis iis subscriptionis impetrandae causa; inde singulas theses profitendas immixtas ceteris receperunt, quas Hermesius et Hermesiani re vera docent; scilicet hae ceteris adiumento esse debebant. — Hermesius, praeceptis ecclesiae religiosissime observatis de *immaculata conceptione* cautissime scripserat. Breve papale hac in re ne minimum quidem reprehendendum habet, sed nihilominus thesis de hac re recepta est. Hic agendi modus non vulgarem prudentiam astutiamque auctorum prodit. Sic vulgus in rei societatem inducebatur, atque sic, quae occulte tentata erant si male evenissent, in pugna et certamine vix evitandis populi concitati multitudine inniti poterant isti novarum rerum cupidi, superantes hoc modo argumenta quae obiici possent, omnemque vocem veri et iusti facile restinguentes. In Hispania aliquando Dominicanos castigare, apud populum in suspicionem adducere volebant. Quid faciebant? Per infimam plebeculam famam dispergebant, filios s. Dominici negare *immaculatam conceptionem.* Alumni notissimae societatis et Dominicanis invidentis imaginem s. *Thomae* Aquinatis, illustrissimi filii s. Dominici, philosophi omnium aetatum acutissimi, asino impositam per urbem duxerunt eamque verberarunt continuo clamantes: *sin peccado original! sin peccado original!* h. e. *sine peccato originali! sine peccato originali!* In civitate Complutensi pompas fecerunt, quique his interessent, eis vexilla imagine beatissimae virginis ornata gestanda porrigebantur. Sic urbem peragrabant ad aedes Dominicanorum, et continuo boni patres contumeliosissimis conviciis et exsecrationibus fanaticae multitudinis petiti sunt [1]. Quid ab Arianis molitum fuerit ut plebem in partes suas traherent, sciunt sacrarum historiarum gnari.

Eadem plane ratione et multo atrocius in civitate Coloni-

---

1) Lucer. Tractatus de Concept. c. 4. Salazar c. 2 §. 3. et Theatrum Iesuiticum p. 7.

ensi operam dederunt, ut vulgus ad turbas semper paratum in partes traheretur. In recenti memoria est pompa honori s. Ursulae ducta, et quidem ita ducta, ut catholici, quibus fides et salus ecclesiae vere cordi est, non sine acerbo animi dolore eius recordentur; nimis notum est, ex ecclesia s. Ursulae multitudinem, o pudor! prorupisse, quae fidem suam expugnata domo parochi[1] ecclesiae cathedralis sacrae civitatis Coloniensis testata est, quae, nisi furor armorum vi repressus esset, ad atrocissima facinora proruptura fuisset! Eiusmodi consiliis nefariis scripta destinata erant, quae iam in notitiam hominum venerunt: epistola a *Micheli* scripta et deinceps ad omnes parochos mittenda; eiusdem dissertatio *ambo peregrinatores Hermesiani*[2]. Eiusmodi libelli ignominiosissimi erant pro *Magna Charta* novi illius Catholicismi Coloniensis; per totam provinciam, usque in infima rusticorum tuguria delati sunt, explicationes ac variationes addebantur, et vulgari confabulatione memorabantur. — — „*Nonne ad sacra Heimbachiensia tu peregrinaberis*“ apostolus quidam novae huius ecclesiae quaerit. Si respondeas, „*non peregrinabor, negotia mea haud concedunt*“, statim apostolus iste pergit, „*tu igitur non credis in matrem dei*,“ atque paucis diebus tota civitas crepat, te non credere in matrem dei! —

Haec amplius persequi, ab huius scriptionis proposito alienum est. Id tamen vel ex his paucis liquet, schisma Coloniense plane praeparatum, atque ea, quorum ope in usum traduceretur, circumspecte ac sagacissime disposita fuisse. Tempus defuit, quominus erumperet et indolem suam ex omni parte ostenderet[3].

---

1) Parochum ecclesiae cathedralis Hermesium non audisse neque ipsi familiarem fuisse satis notum est. Ut vero intelligatur quid Coloniae actum sit, haec habeto. Qui studiis hisce favebant quibus saeva multitudo Coloniae indulsit, nuntio de tumultu Coloniensi accepto vehementer laetati sunt, primumque, num sanguis profusus sit, interrogarunt. Quo negato *contristari* coeperunt! O egregiam religionem quae sanguinem sitit, cuius cultores martyres faciunt non fiunt!

2) Conf. liber ab imperio Borussorum nomine *Expositio* cet. publice editus p. 37. ac *Personae et Status* p. 10.

3) Non continuit archiepiscopus novam suam fidei formulam intra

Quid leges ecclesiasticae de quaestione in capite proximo superiori pertractata definiant. S. Thomae Aquinatis sententia. Praecepta Benedicti XIV. Sanctissimi Patris Gregorii XVI sententia in libro ab ipso conscripto proposita.

Quanquam argumentum capitis proxime superioris et per se et in causa archiepiscopi Coloniensis longe est gravissimum, tamen hoc loco pro rei gravitate pertractari et perfici non potest. Ut autem inchoata quaestio auctoritate confirmetur, atque ut appareat nihil superiori capite sine causa a nobis dictum esse, placet locos quosdam proferre quorum vim gravitatemque nemo catholicorum non sentiet. Primum quaeramus quid in iure canonico de hac re sit definitum. Iam vide mihi quid Innocentius III summus pontifex summusque vir doceat. „Maiores ecclesiae causas, praesertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem esse referendas" [1]. Deinde in eodem corpore iuris canonici sancitum est: „quoties fidei ratio ventilatur, omnes episcopos nonnisi ad Petrum, id est summi pontificis nominis et honoris auctorem, referre debere" [2]. Cum his quae legis vim habent, convenit sancti Thomae Aquinatis sententia quae hisce expressa est verbis. „Nova editio symboli necessaria est ad evitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi pontificis, ad quem maiores et difficiliores ecclesiae quaestiones referuntur" [3]. Progredimur ad Benedictum XIV. Is autem in praestantissimo libro quem de *synodo dioecesana* scripsit, toties hoc caput attigit, toties episcopos adhortatus est, ne in eiusmodi causa quid definirent, ut omnes eius disputationes huc transscribi non

fines archidioeceseos suae, sed cum aliis viris permultis, quos placitis suis favere compertum habuit, perque totam Germaniam dispersis communicavit.

1) C. 3. X. de bapt. et eius effectu (3, 42).

2) Can. 12. C. 24. q. 1.

3) Secunda Secundae Quaest. I. art. X.

possint. Quare ut rem paucis absolvam, recitabo quae in rerum indice leguntur. Sunt autem haec: „Quaestiones fidem aut disciplinam spectantes ad apostolicam sedem deferendae. 7. 4. 9. Quaestiones ad Fidei doctrinam pertinentes nequit episcopus definire. 6. 3. 7. Nondum definitae aut inter theologos controversae in synodis haud decidendae. 7. 1. 1. etc. l. 7. 2. 13. l. 7. 4. 9. l. 7. 4. 5. 6. et 10. l. 7. 9. 5. l. 7. 10. 9. l. 7. 15. 13. l. 8. 2. 2. l. 8. 3. 5. l. 8. 7. 4. l. 8. 9. 12. l. 8. 10. 1. l. 8. 12. 1. l. 8. 13. 9. l. 10. 4. 1. l. 10. 5. 6. l. 10. 7. 6. l. 11. 5. 12.“

A Benedicto XIV ad beatissimum patrem Gregorium XVI transgrediamur. Is in eo libro, quem iam saepius laudavimus quique est de *Triumpho sanctae Sedis*, haec docet: „**Quantunque sia l'autorità vescovile di diritto divino, e così pure l'ubbidienza che le debbono i respettivi diocesani, secondo il detto di Cristo, *qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit*; non segue da ciò, che in ogni caso debba il diocesano praticamente ubbidire, potendo darsi il caso, che anzi sia egli obligato a non farlo. Quindi l'obligo della ubbidienza attuale dei diocesani ai loro Vescovi non è di sua natura perpetuo**“ [1]).

„**I Vescovi nemmeno coi proprii sinodi particolari decidono definitivamente i punti di fede, e con animo d'imporre un' assoluta necessità a' diocesani di crederli con ferma adesion d'intelletto: e, se lo facessero, non isfuggirebbero la nota di eretici, si definissero l'errore; in quella poi di scismatici incorrebbero assolutamente come da se stessi sottrattisi all' autorità della Chiesa, di cui avrebbero prevenuto il giudizio**“ [2]).

Iam si mentem ad ea advertamus, quae ab archiepiscopo Coloniensi Clemente Augusto de Droste acta esse inter omnes constat, eaque cum his praeceptis doctrinisque conferantur: sequitur archiepiscopum in certissimas ecclesiae leges peccasse, sequitur, quum in aperto sit in thesibus ipsius propositiones contineri doctrinae catholicae contrarias, eum ex ipsius, qui nunc

1) Il Trionfo della Santa Sede e della chiesa opera di D. Mauro Cappellari, Monaco Camaldolese ora Gregorio XVI, Sommo Pontifice. In Venezia nella casa del Tipografo editore Giuseppe Battaggia 1832. Edit. in fol. capo VI. p. 131.

2) Ibidem p. 138.

est summus ecclesiae gubernator, definitione non modo a *disciplina* sed etiam *a fide* defecisse, sequitur Perronium fautorem esse atque defensorem et schismaticae et haereticae pravitatis, sequitur ex ipsius sanctissimi patris sententia male egisse eos, qui archiepiscopo paruerunt et thesibus subscripserunt, eos autem recte egisse qui archiepiscopo non paruerunt et thesibus non subscripserunt.

Perroniana de seminario clericali Coloniensi et convictorio Bonnensi. — Declarationes eorum qui his institutis praepositi sunt. — Viri cuiusdam reverendissimi ad Perronium epistola. — Martyres in causa Coloniensi. — Hüsgenius.

Extremis paucis libri sui paginis Perronius operam suam impendit seminario clericali Coloniensi et convictorio Bonnensi. Qui ambobus his institutis praepositi sunt, ii haec publice declarari voluerunt.

Declaratio.

„Anonymus quidam in diurnis „Athanasia“ operam dedit, ut declarationem a nobis adversus *P. Perronium* Romanum factam et Nro. 4 diurnorum universalium Augustanorum hoc anno propositam tanquam a veritate abhorrentem ostenderet. Adversus hoc conamen denuo declarari voluimus, enarrationem anonymi istius rebus non solum improbe detortis sed etiam plane falsis niti, quod publice demonstrare et possumus et volumus, simulatque hoc necessarium videbitur.

Coloniae die 9 Novembris 1839.

Antistites et magistri seminarii archiepiscopalis.
Dr. *Weitz*, regens et capituli metropolitani collega,
Dr. *Gau*, subregens. Dr. *Reber*, repetens.
Dr. *Lentzen*, repetens.“

Declaratio.

„Doctores *Benkertius* et *Düxius* in diurna, quae „Athanasia“ inscripta auctoritate horum virorum eduntur, relationem receperunt, quae inter alia etiam hoc intendit, ut quae *P. Perronius*

Romanus de me et convictorio catholico-theologico curae meae demandato retulit, tueatur adversus declarationem meam diurnis universalibus Augustanis 7 die Ianuarii insertam. Quamquam auctor eius relationis Perronii criminationes ex parte missas facit, tamen et ex ipsa ratione, qua id factum est, et ex modo, quo accusatio adversus me allata defenditur, tam constans veritatis odium elucet, quod in eos, qui ad decipiendam hominum opinionem eiusmodi res scribunt evulgantque, nonnisi miserationem excitare possit. Haec miseratio tamen prohibere non potest, quominus veritatem contestari et denuo publice declarare sustineam, ea, quae P. Perronius et de me et de convictorio ante memorato pronuntiavit, rebus inniti falsis et detortis.

Bonnae die 9 Novembris 1839.

Achterfeldt."

Duo insuper libri iam editi sunt, quibus illae declarationes copiosius defenduntur. Dicimus libros quorum unus inscriptus est: *Triumviratus*: *Benkertius*, *Hönighausius*, *Perronius*; alter: *Antiperronius*, *id est defensio seminarii clericalis Coloniensis ex actis ducta Coloniae* apud *T. C. Eisen.* His libris luculentissime et admirabili patientia explicatum est, quam detortas rerum nostrarum imagines Perronius exhibeat et quam turpes partes iste et sibi et ecclesiae infelix homo coram hominibus agere soleat [1]. Ad hos libros remittimus et intimo pectore gaudemus,

1) Quid sentiant catholici in Germania de sapientia Perronii, nam protestantibus Perronius et sapientia Perroniana ludibrio est, hoc ex loco quem infra habes, intelligi potest. Descriptus est ex libello cui titulus: *Novissimum specimen theologiae Iesuiticae ductum ex praelectionibus theologicis Perronii, ab homine catholico. Lipsiae* 1839. Scriptorem huius libelli e schola Hermesiana non esse ex ipsa disputatione dilucida et sobria satis patet. In fine libri scriptum legimus: „*Rationalistae* vident argumenta quae ipsis (a Perronio) opponuntur esse tenuia et invalida, vident ea eruditione philosophica et ingenii subtilitate esse destituta: *Protestantes* nihil inveniunt, quod ullo modo ipsorum disquisitionibus criticis et exegeticis aequiparari possit, *Infideles* argumenta spernunt quibus interior veritatis vis, robur et ordo deest; et ipsi *Catholici* a zelo immodico et armis omnino disparibus

quod Perroniana etiam in his rebus ad examen vocare supersedere possumus. Unum tantummodo hoc loco considerare placet.

Gloriatur Perronius, in manibus suis esse varia fragmenta praelectionum priore anni 1838 semestri in seminario Coloniensi habitarum. Ex his fragmentis seriem doctrinarum acatholicarum Perronius connectit, his fragmentis multa iniuriose dicta adversus seminarii magistros, adversus capitulum Metropolitanum, adversus vicarium generalem superstruit! Num hoc agendi genus est viri boni, iusti, religiosi, an versuti, malitiosi, profligati? Num haec agendi ratio est legibus moralis doctrinae consentanea, an omnino idonea est ad mores corrumpendos, ad res ecclesiae bene ordinatas turbandas? Abs quonam Perronius haec fragmenta nactus est? Num a praeposito magistratu clericali, ab antistibus seminarii, a viris qui sine ira et studio fragmenta illa scriptis mandarunt? Minime omnium. Nactus est per alumnos quosdam. Sic igitur viri adolescentes, qui aliis exempla probitatis et apertae ingenuitatis aliquando futuri sunt, quorum lux luceat coram hominibus, ut videant homines opera eorum bona, hi, inquam, primis institutionis suae annis occultas delatorum artes edocentur, sic iuvenes inducuntur, ut pietatis erga praepositos officium violent, sic iam mature simulandi atque dissimulandi arte instruuntur, sic ad morum pravitatem educantur, postea nimirum, quum coeperint in vitae cursu esse, fiduciam illam atque fidem, quae inter clericos obtinere debet, eversuri, sontes et insontes circumventuri et occulta pestis adversus quemcunque qui iustitiam diligit eandemque aperte et nullo metu exercet! Perronione liceat gloriari, hanc iuventutis corruptionem a se promoveri? O gloriam turpissimam! o Perronium tali gloria dignum! Sed quomodo tandem haec fragmenta se habent? Sci-

---

nullam iustae causae salutem sperare possunt.“ Conveniunt haec optime cum iis quae ab episcopo Linziensi *Gregorio Thoma* dicta esse constat: *non debuisse praelectiones theologicas Perronii in Germania innotescere.* Iam quum propter scientiae „*tenuitatem*“ Thrasonem Perronium rideant, propter mendacia eum contemnunt, ita quidem ut nuper scripserint nomen eius esse infame (berüchtigt). Utinam, quum doctrina sua nullum iustae causae adiumentum affert, eidem turpitudine sua non afferret detrimentum.

licet qui ea transmiserunt ad Perronium, qui eo ipso, quod ad eiusmodi conamina se adhiberi patiuntur, ut miselli attrito iam pudore homines comparent, — in consolationem addere possumus, nonnisi *unum* fuisse teste libro, cui titulus *Antiperronius* — argumentum praelectionum earum *corruperunt;* ac ni corrupissent, nihil quo gratiam mererent aderat, neque vero Perronius ipse in eo opere laudabili sibi defuit, immo fragmenta iam *corrupta* iterum iterumque *corrupit!* Atque iste his testimoniis, his falsis adversus magistros seminarii et vicarium generalem, qui orthodoxiam eorum custodiendam habet, iniuriosissimas criminationes superstruit! O turpem temporum nostrorum notam! O verissimum Ciceronis dictum: „Nulla pernicies vitae maior inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiae."

Ante aliquot annos libro de luna evulgato, cui nomen clari astronomi inscriptum erat, homines sive decepti sunt sive delectati. In eo de miraculis nescio quibus et bene multis in luna observatis omnino serio et ingeniose expositum est, de hominibus alatis, de ovibus ingentibus et pilosis, quae in hortis arvisque lunae perinde ac terrestres creaturae ambulationibus et itineribus operam darent. Momentum temporis haec enarratio vera habita est, dein risus secutus est, quemadmodum de *vera historia Luciani* ridemus, et ut certo tempore de *Görresii Patre Amabili* homines riserunt. Quae Perronius de archidioecesi Coloniensi narrat, non magis ea ad veritatem accedunt quam quae narraverunt *Lucianus* et *Görresius* et *Pseudo-Herschelius*; sed ridere de Perronianis nemo potest: quippe non solum veritate sed etiam lepore et facetiis destituta sunt. Nisi forte in eo lepus et facetiae quaerendae sunt, quod *occulta quaedam hominum coniuratio epistolis fabricandis sese exercens*, cuius quidem socii nimium noti ex descriptione Hogarthiana emersisse videntur, quique in hac urbe contemtu et silentio praetereuntur, rebus a se nuntiatis *publicum professorem collegii Romani*, *Iesuitam* ludificantur, quodque typi Romani ab hoc perducuntur, ut cloacam tantae sordis se fieri permittant! In sua de *connubiis mixtis* commentatione Perronius occasionem arripuit etiam archidioecesis Coloniensis memorandae, ibique in litteras suas introspicere nobis permisit. Ibi gloriatur sese epistolas a viro aestumatissimo missas accepisse, ut idem praedicat excerpta a „Theodisco nato" confecta. Epistola ibi

exprompta nimis lepida est, quam ut silentio eam praeterire possimus! Exemplum infra scriptum est:

„Testes sumus eorum quae vidimus et audivimus. Infelicissimum nobis est, quod *Hüsgenius* vicarius generalis in omnibus votis et voluntati Protestantium et Hermesianorum obsecundat. Si parochus causam archiepiscopi fortiter defendit, aut publice pro ea in ecclesia precatur, extemplo ille in parochiam dissitam et minus fructuosam transfertur, licet vel decem vel viginti annos parochiam suam administraverit. At si quis talem agendi modum vituperat, is illico a sacro munere prorsus suspenditur, unde fit ut dioecesis nostra optimis suis pastoribus orbata sit. Plures parochiae vacant, aut in manibus Hermesianorum sunt."

O miseram veritatem, miseram archidioecesin, cui acciderit, ut litterarum commercio *virum aestumatissimum* inter et *Perronium aestumatissimum* occasionem praebeat! Si vir iste ex luna de archidioecesi Coloniensi renuntiasset, num magis falsa renuntiare potuisset, quam quae nuntiavit vir aestumatissimus apud Perronium? Mira aestimatio quam quis falsis nuntiis et calumniis meretur, miri mores eius, qui pro mendaciis et rebus prave detortis reverentiam rependit! Ut verum pretium huic aestumatissimo documento assignemus, iam sufficit, si lectoribus nostris id unum dixerimus, quod amplissimis documentis probari in promptu est, usque ad id temporis momentum, quo ista epistola scripta est, in archidioecesi Coloniensi, quae septingentos viginti quinque parochos totidemque fere vicarios habet, *unum tantummodo* sacerdotem, ac ne parochum quidem, sed capellanum a munere suspensum esse. Hic sacerdos sane precatus erat pro archiepiscopo, sed eam ob causam a munere suo suspensus *non* est. Idem sacerdos iam semel suspensus erat, antequam archiepiscopus ex archidioecesi abductus esset, isque neque nunc neque olim *ob id* suspensus est, quod palam in ecclesia pro archiepiscopo precatus esset! Sed ne ille sacerdos, Perronii cliens et soldurius, semper denuo suspenderetur, semper denuo ab Hüsgenio et Hermesianis vexaretur, iam is *uxorem duxit*, atque Perronio honos reservatus est, ut hunc Romae adversus *Hüsgenium* patrocinio suo tueatur, hunc tanquam martyrem causae

archiepiscopalis et victimam Hermesianismi praedicet! Et hic esto instar plerorumque omnium. Nam quorum mentem conscientia vexabat, qui convicti erant iudiciis aut convincendi, qui honesto cuique invisi, et publice contemti, illi orthodoxiam crepare, de Hermesianismo vociferari, „pravis viis“ falsissimas relationes Romam mittere, in sacris pompis procedere iisque levis plebeculae auram captare seseque insolentius et ferocius extollere.

Sane Perronius huiusmodi heroas praeconiis suis celebrandos sumat, sunt enim tali patrono digni, sed quomodo eidem impune liceat in centro ecclesiae catholicae has inauditas turbas facere!

Hüsgenius aut miser ille et contemnendus homo est, apertus hostis religionis catholicae et ecclesiae, quem Perronius et amici eius crepant, aut non est. Si est, cur cunctatur fulmen papae damnatorium, cur is non statim de administratione dioecesis deiicitur, qui, si Perronio credamus, tam nefarie ad eam pervenit? Cur s. sedes munus eius comprobat, cur omnibus quae ad dioecesin administrandam requiruntur facultatibus ornatur? A s. patre non modo ius, sed etiam sanctissimum officium postulat, ut pestem illam inhibeat. Sin talis non est, si ipse archiepiscopus *de Droste* duabus epistolis ad clerum populumque datis ut virum meritissimum publice eum laudavit, si idem archiepiscopus „*in eius virtute, scientia, zelo, fidelitate ac prudentia eximiam fiduciam*“ posuit, qui tandem Iesuitae Romano licebit, ut nihil non audeat in praelatum externum, ut administrationem eius palam conviciis petat, qui a s. patre aut adprobatus aut certe non reprobatus est? Qui licebit, homini maledicentissimo auctoritatem summi pontificis negligere, palam sordibus vicarium generalem adspergere, auctoritatem qua opus est ad ordinem sustentandum, ad dioecesin administrandam, ei surripere, clericos ad eius mandata repudianda incitare? Videtne Perronius, convicia sua recidere in s. patrem, videtne sua culpa fieri ut archidioecesis Coloniensis ex optima mox evadat pessima, videtne se esse qui praesules ecclesiae catholicae coram oculis hominum atque hostium huius ecclesiae in contemptionem adducat? — In contemptionem adducat? Ha! Perronius neminem in contemptionem adducit —!

Biundius et Perronius. — Hieronymus Savonarola, eiusque Apologia composita a Bartolio Florentino, ordinis s. Dominici.

Si iam ubi ad finem examinis mei prope accessi, quaerat aliquis ex me, quid in universum de libro Perroniano sentiam, sane non melius sententiam meam verbis exprimere possim, quam quibus *Diderotus* usus est de auctoribus Encyclopaediae Franco-Gallicae: c'est un gouffre où une éspèce de chiffonniers, qui jete pêle mêle une infinité de choses mal-vues, mal-digérées, bonnes, mauvaises, détestables, vraies, fausses, incertaines et toujours incohérentes et disparates.“ Sed vel in his vafrities ista, inclinatio cuivis sententiae terminos pro libidine promovendi, cupido detorquendi et suspiciones excitandi, quibus artibus Perronius a nemine superatur, nondum denotata est. Eius generis exemplum epilogum enarrationis Perronianae proxime praecedit; hoc est:

> „Biundius tandem“, ille scribit p. 48, „in opusculo non diu edito ad Theodiscos se convertit et nonnullos s. Augustini locos affert, quibus probet, si s. sedes Hermesianos excommunicet, non esse cur eam ob causam sollicitudine afficiantur: eam enim sententiam ei potius nocituram esse qui tulisset, quam eis adversus quos lata esset.“

Non necessarium nobis videtur, ut dolum malum horum verborum in lucem protrahamus et explicemus. Biundius publice declaravit: ***Rationem qua Perronius librum suum respexerit tam pravam esse, ut ab ipsa perfidia peior exspectari nequeat.*** Hoc quidem per se liquet, Perronium delectari cogitatione excommunicationis, quamvis ea per leges ecclesiasticas in hac causa minime fieri possit, quippe nulla iusta causa adest, eundemque ex illa cogitatione semel excitata et propagata optatum eventum sperare. Perronius si bonus catholicus esset, si animo et corde in communione ecclesiae catholicae esset, haec cogitatio eum tristitia et summo dolore afficere deberet, omnia declinare deberet, quibus eiusmodi cogitatio emergere posset. „Caritas non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem

veritati" apostolus Paulus scribit, et s. Augustinus docet: „qui ista" (vera scandala in ecclesia) „non dolent, non est in eis caritas Christi, qui etiam de talibus gaudent, *abundat in eis malignitas diaboli.*"

Locus s. Augustini, quem Biundius attulit et Perronius pessime detorsit, idem in aliis causis allatus est, et unum eiusmodi exemplum memorabile hac occasione non omittendum esse putavi.

Fata moresque Savonarolae recenti memoria saepius per Germaniam enarrata sunt; quo magis exspectare possumus, doctrinam et fata eius viri lectoribus nostris cognita esse. Florentiae tanquam magister erroris strangulatus ipsiusque corpus igne combustum est; plura ex scriptis eius etiamnum in Indice sunt. Quae omnia viros doctos catholicos non prohibuerunt, quominus hunc virum defendendum susciperent. Splendore autem et eloquentiae vi omnes hae defensiones superantur ab Apologia Savonarolae, quam Dominicanus Florentinus, theologiae lector in monasterio s. Marci, *Wilhelmus Bartoli* anno 1782 evulgavit. Sed is nunquam ob hanc causam in suspicionem aut in heterodoxiae crimen adductus est, eius Apologia, adprobantibus officialibus Florentinis, edita est, et ipse magnus dux Tusciae Leopoldus dedicationem eius libri accepit [1]). Ipsa haec Apologia illustri documento ostendit, quam prompte ecclesia permittat, ut homines iam condemnati defendantur, ostendit eadem, mentem legesque ecclesiae quam male cognitas habeant ii, qui quodcunque verbum in gratiam Hermesii dictum restinguere cupiunt; eadem denuo ignorantiam vel perversitatem animi ostendit, qua Perronius ab initio usque ad finem libri sui excellit. Caput vicesimum secundum solum sufficit, ut quae diximus probentur; hoc igitur cum lectore communicandum putavimus. Inscriptum illud est:

---

1) Istoria dell' Arcivescovo S. Antonino e de' suoi piu' illustri discepoli coll' Apologia di *F. Girolamo Savonarola* libri III, descritti e dedicati a sua altezza reale Pietro Leopoldo arciduca d'Austria Granduca di Toscana ec. ec. ec. da *F. Guglielmo Bartoli* Domenicano Lettore in S. Marco di Firenze MDCCLXXXII. Per Anton-Giuseppe Pagani, e Comp. con Approvazione.

Si parla della scomunica fulminata contro il Savonarola da Alessandro VI.

Quello che adesso richiama le nostre, e le più serie riflessioni dei leggitori, si è la scomunica nelle forme più imponenti e strepitose da Alessandro VI fulminata, e fatta pubblicare in Firenze contra il Savonarola. Questo passo, che era l' ultimo sforzo del Papa, determinato in qualunque maniera a far provare al Savonarola gli effetti della sua collera, riempì e di stordimento, e di cordoglio tutti coloro, che vedevan le cose in vicinanza, e nel loro aspetto genuino; ed accrebbe moltissimo la baldanza, la bile, e il mal animo di quelli altri, che sospiravano il momento di veder reciso affatto un' albero, che produceva dei frutti, troppo amari al loro gusto depravato. Fra Girolamo udì con sorpresa quest' ultima violenza: si appartò per qualche spazio di tempo nel ritiro del suo monastero; ma poscia quelle medesime ragioni, che lo aveano vigorosamente persuaso dell' invalidità del divieto di predicare, lo indussero a credere eziandìo, col parere di uomini dottissimi, che la scomunica non avesse nelle date circostanze alcun vigore di vincolarlo. Il perchè tornò a celebrare i divini Misterj in mezzo ad un popolo, che era il testimone della sua innocenza, e a sparger di nuovo i semi più salubri della divina parola. E' degna di leggersi la sua predica del Mercoledì dopo la quarta Domenica di Quaresima, dove con una scelta e vasta erudizione di argumenti, di autorevoli testimonianze, e di esempli, discorre diffusamente dell' ingiustizia della censura accennata, e fa conoscere, che ei non dovea prendersene quella pena, che certamente si sarebbe data, se avesse saputo di essere anatema alla Chiesa. Molte penne delle più illustri sottoscrissero questi suoi sentimenti, e il gran Pico Mirandolano pubblicò a tale effetto un Trattato intorno alla scomunica ingiusta, emanata contro il suo degno amico da Ferrara. In fatti chiunque intende la natura di una pena, la maggiore, che infliger si possa dalla autorità spiritual della Chiesa contro alcuno de' suoi membri; chiunque sà, che una tal pena suppone sempre un delitto gravissimo, giuridicamente provato, e renduto più abominevole dalla contumacia del reo; chiunque non è digiuno della pratica stabilita da i Canoni più an-

tichi, e dai Concilj intorno a sì delicate materie; chiunque finalmente si ricorda dell' avviso di S. Paolo [1]), che gli uomini nulla possono contro la verità, ma in favore della medesima, poichè la potestà fu conceduta da G. C. in edificazione, e non in distruzione; chiunque, dissi, tali cose abbia avanti agli occhi, resterà agevolmente persuaso, che i passi del Savonarola in un sì scabroso incidente non furono irragionevoli, e alieni dalle disposizioni di un sincero cattolico. Non è egli vero, che una notoria ingiustizia significa lo stesso, che una intrinseca nullità? [2]) Tutti i delitti rinfacciati al Savonarola da Alessandro VI non erano forse stati dimostrati apertissime calunnie, e stortissime imposture di emoli trasportati dalle loro mire invidiose? Di qual fallo, degno di una pena sì grave, e solita dalla Chiesa riserbarsi ai più atroci misfatti, era stato il Savonarola convinto? Quando ancora potesse essere stato al più sospetto di aver troppo maneggiato gli affari politici dei Fiorentini, era questo un oggetto degno di richiamare le Censure Ecclesiastiche, delle quali si sà innegabilmente qual' uso parco, savio, e conforme allo spirito della Chiesa, abbian fatto sempre i migliori Vescovi, e i Papi più santi? Dov' era nel Savonarola l' eresia, la vita pertinace e scandolosa, dove in somma il delitto? Se egli era sempre preparato, come abbiam veduto in più luoghi ad ascoltare la Chiesa, perchè dividerlo dalla medesima come un gentile, ed un pubblicano? [3]) Se era dunque notoria per tanti capi l' ingiustizia della Censura, palese eziandio, giusta il principio

1) II. ad Corinth. 13. S. Girolamo lib. 3. in Comment. ad cap. 6. Matt., spiegando quelle parole „et tibi dabo claves Regni Coelorum" dice, Istum locum Episcopi et Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumant supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quaeratur.

2) Notoria iniustitia aequiparatur nullitati. De Afflictis Decis. 39. num. 5. Rota Rom. Decis. 644. in princip. p. 1. diversorum; e così tutti i più celebri Dottori.

3) Dum semper est paratus audire Ecclesiam, cur habebitur sicut Ethnicus et Publicanus? Cur ab ea abscindes? Così parla dottamente in simil materia Gio. Gersone de vita spirituali lect. 4. Coroll. 14.

di sopra allegato, dovea riputarsene la nullità. E' vero che S. Gregorio [1] di passaggio, e per maniera di digressione inclinò a dire, che debbe temersi ancora l' ingiusta sentenza del Pastore; ma egli stesso nel medesimo luogo confessò, aver ciò detto per un eccesso, o sia esagerazione, e fuori del suo proposito [2]. All' incontro quante luminose istruzioni non leggiamo nei decreti dei Papi, nei libri de' Padri, che ci istruiscono, come debba portarsi dinanzi a Dio, e alla sua Chiesa lo scomunicato, quando la scomunica sia notoriamente nulla ed ingiusta? Il santo Papa Gelasio [3] non dice forse apertamente, che quello, il quale soffre una ingiusta sentenza, deve talmente restarsi tranquillo, senza nemmeno desiderare di esserne assoluto? Il gran P. S. Agostino [4] non scrive forse con tutta la chiarezza, che se alcun de' Fedeli verrà a torto anatematizzato, la scomunica in tal caso sarà più di pregiudizio a chi la pronunzia, che a

1) Homil. 26. super Evangelia.

2) Sed quia haec breviter per excessum diximus, ad dispositionem ordinis redeamus loc. cit. Le parole di S. Gregorio dette per soprabbondanza bastarono, acciò nel Decreto di Graziano II. q. 1. L. sententia con un altro tuono di parole fosse apposto il Canone „Sententia pastoris, sive iusta, sive iniusta est timenda.“ Gio. Gersone Tom. 2. p. 3. et Consid. 12. dimostra di qual' glossa, e di quali temperamenti abbisogna un tal detto, anzi asserisce che un tal detto preso così generalmente renderebbe l' uomo sospetto in materia di Fede. Si veda il luogo citato.

3) In una sua Lettera scritta a' Vescovi d' Oriente sopra la condanna di Dioscoro, e nel suo Trattato sopra l' anatema, che si legge ne' Concilj del Labbeo tom. 4., donde ne venne il Canone cui illata q. 3., e che fu inserito nel Gius Canonico, secondo la compilazione del Pithoeo, dicesi „Cui est illata sententia, si iniusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum et Ecclesiam eius, nemo potest iniqua gravari sententia. Ita ergo ea se absolvi non desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.“

4) Epist. 78. num. 4. ad Hipponenses „Illud plane non temere dixerim, quod si quisquam Fidelium fuerit anathematizzatus iniuste, ei potius oberit qui faciet, quam ei qui hanc patietur iniuriam.

quello, il qual riceve una tale ingiuria? Lo stesso S. Gregorio di sopra allegato [1]) non asserì a chiare note, che quegli, il quale a suo capriccio, fa un vano uso della potestà di sciogliere, e di legare, vien da se stesso a privarsene? In vista di tali irrefragabili verità, che noi potrebbamo convalidare con innumerabili altre testimonianze, superiori ad ogni eccezione, Palladio Vescovo di Ellenopoli, nel Dialogo che compose degli atti di S. Gio. Grisostomo, con Teodoro diacono della Chiesa Romana, ci racconta, che avendo Teofilo Patriarca di Alessandria ingiustamente scomunicati alcuni Vescovi e Monaci, costoro morti scomunicati, risplendettero viepiù chiari e luminosi per molti miracoli [2]). Principj sì saldi, esempli tanto rispettabili, ragioni sì valide dedotte dalla natura istessa di una ingiusta scomunica [3]), non doveano forse togliere dall' animo del Savonarola ogni fastidiosa dubbiezza, ond' egli, tranquillato nella coscienza, e certissimo di non scandalizzare il popolo, che era persuaso delle

1) Hom. 26. Tit. 1. Unde fit, ut ipsa hac ligandi, solvendique potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subiectorum moribus exercet.

2) Vid. Christ. Lupum in scoliis et notis ad Tertull. de Praescript. cap. 4.

3) Da alcuni passi della S. Bibbia male interpretati ha preteso qualche indiscreto Teologo di concludere, che debbansi sempre temere le censure e le scomuniche, ancorchè scagliate a capriccio contro di un innocente, allegando fuor di proposito in prova di ciò qualche testo dello stesso Evangelio. *Quis talia fando temperet a lacrymis?* Esclama a giusta ragione il dottissimo Giureconsulto Saverio Mattei, il quale incidentemente tocca questo argumento al num. X. della Dissertazione V. „Delle varie significazioni di alcuni epiteti, e di alcune particelle presso gli Ebrei" ove illustra a maraviglia il racconto di S. Marco c. XI. v. 13. intorno alla maledizione data da G. C. all' infruttifera ficaja. Noi aggiugniamo, che se mai potesse accordarsi alcuna forza all' ingiusta censura, ne verrebbe questo palpabile assurdo: che non il peccato produca la scomunica, ma questa venga a generare il peccato. Fra i Canonisti di qualche secolo parve che incominciasse a serpeggiare una tal massima, per una conseguenza del loro sistema, e per altre cause ben note ai dotti. Un sensato studio della storia dissipò in appresso questa confusione d' idee.

violenze del Papa, tornasse, e a celebrare il divin sacrifizio, e a dispensare i Sacramenti, e a catechizzare i Fiorentini? L' ingiustizia della scomunica, di cui egli si vedea aggravato, oltre all' essere una manifesta conseguenza dello sdegno privato di Alessandro, rendeasi viepiù a tutti ben nota, dal non esserne stata antecedentemente provata alcuna giusta cagione: il che bastava per renderla nulla, e vuota di forza, non solamente secondo tutti i Canoni, ma conforme eziandio alle Costituzioni [1]) si celebri de' Codici di Teodosio, e di Giustiniano, nei quali non vi è cosa, che occorra tanto frequentemente, quanto la memoria di tali scomuniche, non solo delle semplici comminatorie, o sia *Mundiburnii,* ma anche delle giudiziarie e forensi. Questa nullità dispensava il Savonarola dal chiederne l' assoluzione, come sull' autorità di Gelasio, di sopra accennata, ne sentono dottissimi Canonisti [2]). Che se, come vedremo, poco avanti, che ei fosse condotto al supplizio, le venne per commissione del Papa compartita, ei lasciò correre un atto, la di cui natura non dovea discutersi in quei dolorosi momenti di morte vicina, che ogni credente si riserba per umiliare al suo divin Giudice la propria contrizione. Manifestata frattanto la censura per nulla, essendovi concorso l' errore come dicono, in jure, perchè proferita senza legittima causa, è mai da sospettarsi, che il Savonarola non dovesse opporsegli [3])? E' vero, che l' innocente, per errore *in facto*, ingiustamente scomunicato, è tenuto, per non dare scandalo, a soffrir con pazienza la censura; ma quando l' errore antecedente del gius è interamente notorio; quando il

---

1) Si veda nel Cod. Teodosiano dell' Edizione del Gotofrede la Costituzione dell' Imperator Leone sotto il Tit. de Episcopis „Interdicimus, ne quem a sacrosancta Ecclesia, seu Communione segregent, nisi justa causa probata sit. Qui vero citra probationem hanc segregat a sacra Communione, ad tempus arceatur.

2) Fra gli altri molti si veda Van Espen Tom. 1. Part. 3. Tit. 2. num. 21 e 22.

3) Quando la scomunica è notoriamente ingiusta, può l' innocente aggravato opporsegli. Vid. Gratianum Caus. 1. q. 3. e nel Gius Canonico. Can. si quis non p. 230. Tit. 1. Can. Illud plane pag. 230. Tit. 1. si veda sopra di ciò ancora il Navarro Cap. Cum contingat rem 2.

fatto medesimo parla agli occhi di tutti in favore dell' innocente, come avvenne nel caso di cui parliamo; quando non si teme occasione, che ne possa nascere scandalo alcuno, come temer non la potea Fra Girolamo garantito da tutti i voti del popolo, in tal caso dovrà mai un sensato cristiano affliggersi di una separazione, che non ha forza di dividerlo da quella pietra angolare che è G. C., e dal consorzio de' Santi, che sono i fedeli. Che se alcuno venisse ad opporci, o lo scandalo farisaico di alcuni disapprovatori della condotta di Fra Girolamo, o il pessimo esempio, che egli diede, facendo giustizia a se medesimo, col giudicare della sentenza di un Papa in suo proprio vantaggio; noi, per non ripetere le cose già dette, soggiugneremo soltanto, che se il Savonarola avesse dovuto prendersi pena di ciò che pensavano i suoi dichiarati contradittori, si sarebbe dovuto astenere da ogni altra sua impresa più santa e felice; ma siccome dovean porsi in non cale le macchine, e i pensamenti di costoro, così non era da valutarsi quel zelo simulato, che essi affettavano verso gli ordini del Papa, tanto lesivi della buona equità. Quanto al cattivo esempio, che si pretende originato dalla resistenza del Savonarola, può dirsi a ragione, che avendo egli appreso a contenersi in tal guisa, nel dato caso di scomunica ingiusta, dagli avvertimenti dei Padri e dei Dottori più celebri, dovrebbe dirsi, che simili uomini di alta sapienza forniti, avessero eglino aperta la strada ad un tal preteso cattivo esempio. Un tal supposto è irragionevole: fuor di ragione adunque eziandio sarà il provocare il Savonarola a questa ideale mancanza. Egli non fu il giudice della causa propria; il che sempre disconviene in una causa dubbiosa. Giudicò della verità, quale appariva senza velo, e non ammetteva dei dubbj, che la rendessero oscura, o che esigessero un giudice terzo. Non giudicò della sentenza di un Papa; ma credette unicamente con ragione, che la sentenza penale, in materia sì grave, si interessante, proferita senza alcun previo giusto motivo da un Papa, non dovesse riempierlo di quel timore, che incute sempre una giusta condanna. Non temette, perchè il timore era troppo indoveroso [1]; nè reputò suo dovere di togliersi dal consorzio, e

---

1) Il famoso Gersone tom. 2. Opp. dichiara che il timore, e la pa-

dal servizio del popolo, poichè chiunque non volea chiuder gli occhi alla luce della verità, nè operare alla maniera de' Farisei [1], dovea conoscere, che il Papa in questo fatto avea trapassati quei confini „quos ultra citraque nequit consistere rectum."

Hactenus *Bartoli.* Cuius intererit, hac de re copiosius edoceri, quique persuaderi sibi cupiet, ubique Perronium eundem comparere, is quaeso legat *Biundii* librum, quem ita inscripsit: *Nachruf eines Hermesianers* cet., et locum citatum cum verbis Perronii conferat, quo facto celeberrimi cancellarii universitatis Parisinae, *Ioannis Gersonii*, duas perbreves considerationes *de excommunicationis valore* comparare velit. Inde perspicuum erit, et quam egregiam obedientiam et quod rarum obsequium illo loco Biundius docuerit, perspicuum erit denuo, Perronium odio furentem omnia rapide appetere quibus Hermesianis nocere possit, ipsumque callere etiam ex dulcissimo flore mortiferum venenum exsugere.

Epilogus et vale Perronio dictum.

Tandem ad epilogum libri Perroniani perveni, neque minor laetitia mea est, quam Moysis fuit, qui terram promissam, quam sociorum Columbi fuit, cum diu multumque alto iactati tandem terram conspicerent ardentissime desideratam!

Epilogus brevis est; duodetriginta lineis constat. Sed quamquam brevis est, multa continet. Quodcunque veneni sive aperte sive occulto super quadraginta octo paginas libelli effusum est, hoc arto spatio inclusum est et infarctum. Nullus in iis versus est, qui non, si vera proderet, famam et existimationem Herme-

---

zienza in simili casi, è un timor fatuo, ed una pazienza animalesca. „Imo in casu pati illam (la scomunica ingiusta) esset asinina patientia, et timor leporinus et fatuus."

1) Il dotto Pietro di Palude 4. dist. 18. q. 1. dice, che colui, il quale viene ingiustamente sottoposto alla scomunica, deve operare in maniera, per far conoscere, che quella non tiene; e soggiugne „quo facto amplius non est scandalum pusillorum, sed Pharisaeorum, unde contemnendum."

sianorum letali vulnere affligeret. Inveterata callidi calumniatoris arte auctor epilogi singula lineamenta in imaginis formam colligere callet, nervos tangere idem callet, qui multitudinem movent, ut eius in Hermesianos odium contrahat. Perronius si Gellerto *Orgonem* scribenti imaginis formam praebuisset, melius hic non evasurus erat! Adhuc enim nonnulla in gratiam Hermesianorum retulerat Perronius, nonnulla in recessu reposuerat: nunc vero carbones, quibus considerate et caute adflaverat, in candentes flammas excitantur, quo rapidiores in capita Hermesianorum delabantur. Laus eorum repetitur, sed nonnisi ut vituperatio fortius ingeratur, extolluntur, quo altius contemptu obruantur. Sic Perronius consedit et haec postrema dissertationis suae verba conscribit:

> „Horrendum exemplum, si unquam aliud, quid amor idoli valeat, cui *officium*, *conscientiam*, *religionem* gratificantur“! —

Ecce imago, quam Perronius hominibus promisit, perfecta est! —

Mecum reputo, num vel unus sit Hermesianus, cui imago similis sit; sinistrorsum oculos coniicio, dextrorsum coniicio, neque unum invenio.

Sed ut rector coelorum saepe iam in hac vita eos poenis suis assequitur, qui deserunt viam veritatis, hic Perronius suam ipsius foedissimam simul et verissimam imaginem pinxit hominibusque inspiciendam tradidit! Nos oculos ab ea avertimus cum acerbo animi dolore ob vitiositatem eius, unde imago ducta est, neque minus hoc dolentes quod infelicissimus iste homo famam sedis Romanae et urbis Romae tam palam commaculat, atque hoc intimo pectore optantes, ut nunquam posthac causa sit, ut ad eundem redire cogamur.

Tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: et ecce morior, cum nihil horum fecerim, quae isti malitiose composuerunt adversum me. Daniel *13, 43. 44.*

Bonnae formis Caroli Georgii.

Bernhardi
Laocoon

1041 511


UNIVERSITY OF CHICAGO
47 595 542

